DE MONETIS ITALIÆ

VARIORUM ILLUSTRIUM VIRORUM DISSERTATIONES,

Quarum pars nunc primùm in lucem prodit.

PHILIPPUS ARGELATUS

BONONIENSIS

Collegit, recenſuit, auxit, necnon Indicibus locupletiſſimis exornavit.



Vidit judicium Ca
Bergamy pro e
Senatu

BIBLIOTHEQUE S. J
Les Fontaines
60 - CHANTILLY

MEDIOLANI, MDCCL.

PROSTANT IN REGIA CURIA IN ÆDIBUS PALATINIS.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

SS.mo DOMINO NOSTRO
BENEDICTO XIV.
PONT. OPT. MAX.

PHILIPPUS ARGELATUS FELICITATEM.

TUus Maximus B. P. in litteras amor, erga Litteratos autem Viros ſumma Tua Merita, atque incredibilia, cùm aditum ſemper unicuique optimo ad Te Te

* pa-

Digitized by Google

patere voluerunt; tum me hortata ſunt, ut memet, & vero iſthæc de Monetaria Hiſtoria Volumina tria auderem Tibi ſiſtere: Tibi, inquam, quem jure prope ſuo (tanta Tua eſt Sapientia) plerique omnes doctiſſimi & ſibi Patronum vindicant; neque unquam niſi magna cum Ingenii, Doctrinæque Tuæ longe præſtantiſſimæ admiratione prædicant. Quæ hominum admiratio hoc eſt ad Nominis Tui, Gloriæque commendationem magnificentior, quod in omnes terrarum partes latiſſime eſt amplificata, atque ii ipſi, qui a Catholica Fide diſſentiunt, quotidie tamen de Tua Virtute commemorant cum maxima gratulatione, ac prope infinita; ut Typi Germanici, Batavici, Anglici Tuarum videantur jam Laudum amplitudine redundare, ſic ut non magis fortaſſe Itali. Atque utinam qui Sapientiæ Virtutiſque Tuæ opinionem altiſſime habent animo inſidentem, æque in Tuam ſe mallent Diſciplinam, Obedientiamque tranſdere! Brevi enim arbi-

tra-

Digitized by Google

trarer Orbem Terrarum Universum Catholicum fore. Sed ut ad memet redeam, abs Te postulo, ut, qua clementia aliorum bene multa, Opus etiam hoc meum amplectare. Quod qualecumque sit, est tamen laboris curarumque pleniſſimum; neque profecto nostræ ætati inutile futurum, quæ Monetas ubique fere contaminatas pretio, immutatas mensibus fere singulis, crescentes decrescentesque vidit, maximo cum Reipublicæ, tum privatorum detrimento; quin Magistratuum ac Principum auctoritas satis adhuc habuisse virium videatur ad eversam quassatamque rem plane restituendam. Erit etiam, quæ Te delectare possit Pontificiæ monetæ, undecumque quoad licuit, in unum collecta memoria, statim atque se Tibi stiterit, nullo certe casu in posterum peritura. Quare pro Tua incredibili Indulgentia, non Humanitate solum, & Opus universum, & Auctorem, otii sane nescium, ampliſſimo paternoque fovebis Patrocinio Tuo Tibi ad pedes provolutum,

at-

Digitized by Google

atque enixe ab D. O. M. precantem Sanctitati Tuæ ſummam atque perennem felicitatem.

Mediol. VII. Calendas Martias MDCCLI.

Digitized by Google

LECTORI
HUMANISSIMO

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS
S. P. D.

EA est humanæ naturæ ad res novas perscrutandas inexplebilis cupiditas, ut perpetuo quodam acerrimoque animi impetu agitemur, neque non semel in diversa contendamus; quodque mirabilius est, iisdem efferimur studiis in ipsa etiam cultura Litterarum, in qua, si uspiam alias, rectæ rationis præceptis inhærere studemus. Atque hinc porro, ni fallor, impellimur ad cognoscendas absconditas quasque res tanta contentione animorum, ut laboribus, & impensis parcere nesciamus, postquam semel in hoc genere studiorum aliquid feliciter tentatum est. Illico enim ad nova etiam tentanda trahimur, non secus ac reduces a longa navigatione memoria ipsa periculorum, & immensi maris recordatione temerario quodam impetu in altum revocamur. Hæc mihi præmittenda putavi novam hanc rei Monetariæ Collectionem capessenti post editas amplissimas alias Rerum, *&* Antiquitatum Italicarum Collectiones, *post auctum, & illustratum* Sigonium, *& compositam* Mediolanensium Scriptorum Bibliothecam *sane copiosam, cui non minimum gloriæ accessit* REGINÆ NOSTRÆ AUGUST. IMP. *Nomine: atque illi libros consecrasse laudi nobis fuisse gratulamur. Namque de eisdem verba minime faciam, quòd totum hominem non postulabant; vix enim unum, aut alterum ex ipsis Operibus me absoluturum sperabam, cum singulis operam darem; sed ope Divina præter spem absolutis, resumptis iterum, iterumque viribus lætus cognovi non solum digestum fuisse copiosissimum* Indicem *præfatæ Collectionis Rerum Italicarum nonnullis accuratissimis, doctisque Viris mecum labore improbo diu manus adhibentibus; verum etiam otii plurimum superfuisse ad alia paranda. Duo itaque, dum veterum* Poëtarum Latinorum *versionibus continuandis incumbimus, novissime placuerunt,* Bibliotheca *nempe antiquorum Scriptorum usque ad Seculum XVI., quorum Opera ex Hebræa, Arabica, Græca, Persica, Turcica, ceterisque linguis exoticis, ac Latina in Italicam nostram translatæ fuerunt, in qua describenda vestigiis inhæsi*

Digitized by Google

illuſtrium Virorum, qui de Italis noſtris, eorumque ſtudiis in hoc genere Verſionum (ut ajunt) Commentaria ſua in publicum emiſerunt. Sed liceat ipſi mihi fortunæ meæ gratulari, cum eorum videar diligentiam longiſſime ſuperaſſe, ut cuique brevi conſtare poterit ex comparatione librorum: Alterum eſt de Re Monetaria *curioſius, & ni fallor, utilius argumentum. Noſtris enim temporibus turbata ubique fere gentium æſtimatione Monetarum, mirum dictu quot jurgia emerſerint, quot & diſſidia, quæ alicubi facile in bella migratura fuiſſent, ni Principum cura obortam graviſſimam tempeſtatem quoquo modo ſedaſſet. Apud nos vero nemo eſt, qui non ſenſerit auctum, vel ſupra æquam rationem rerum omnium pretium, unde incommoda plurima extitere non tam privatis rebus, quam publicis, & negotiationi potiſſimum ob commercium cum ceteris Nationibus non facilè, ut ante, ineundum, ſine quo fortuna Urbis noſtræ diu ſtare non poteſt. Cum verò mala certiſſima paſſi fuerimus, & remedia non ſemel ſedula Magiſtratuum cura ſint quæſita, non minus gravia cognovimus remedia, quam ipſa mala. Hinc aſſiduæ in plateis, privatiſque domibus tamque variæ de hac materia diſceptationes. At profecto ſi diverſæ oppidò Opiniones ſint afferendæ, finis dicendi nullus eſſet; poſtremoque facilè eſſet pronunciandum, plurimum dictum fuiſſe, ſcriptum plurimum, at mehercle re parum cognita. Hoc ego incommodum, ſi poſſem, pro viribus reparaturus ex certiſſimis Rei Monetariæ veterum monumentis, & ſelectiorum Virorum obſervationibus Collectionem hanc inſtituere cœpi; eo potiſſimum conſilio, ut ſi fieri poſſet, delatum, ut ita dicam, Opus a Clariſs. Viro* Ludovico Antonio Muratorio, *cujus nunquam non mihi nomen erit venerandum, accuratiori lima perpolirem.*

Is enim in ſuis Italicis Antiquitatibus Diſſertationes duas de Monetis exaraverat, quas ego dum publici juris facerem ulterius produci poſſe præcognoveram; quinimmo cum ipſo doctiſſimo, atque humaniſſimo Amico facturum aliquando me communicaveram, quod illi gratiſſimum fuit. Hinc eſt, ut veſtigiis ejuſdem inhæſerim, neque metam illius exceſſerim, tempuſque præfinitum. Hac enim re una ſatis me facturum exiſtimavi, ſi plura afferrem, quæ ad manus illius delata non fuerant, quæque ipſe comparaveram a ſingulis ferme Italiæ Urbibus amicorum ope, quibus pro more meo ſuis opportunius locis honor habebitur. Cum verò conſilium hocce meum cognoviſſet litteratiſſimus Vir P. Ferdinandus Schiavini *Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, cui me debere plurimum palam profiteor, litteras ad me dedit, quibus hortatus eſt, ut non unam tantum ſeriem Italicarum Monetarum exhiberem; ſed & ſingularum pondus, & valorem, quem dicunt, certiſſimis e monumentis inveſtigarem. Probatum illico a me conſilium fuit, ſimul tamen cognovi rei maximam difficultatem. Homo quippe requirebatur in Urbibus ſingulis, quibus aliquando Monetæ*

cu-

Digitized by Google

cudendæ jus fuit ; ſummaque in iis perquirendis , & illuſtrandis diligentia , quæ per me , ſi ſolus eſſem , minime præſtari poterat . Cum dubitanti mihi , atque ancipiti , en ad me deferuntur accuratiſſimi libri de Nummis Patriarcharum Aquilejenſium , & de Re Nummaria Patavinorum , quorum primus Authorem habet Cl. V. Bernardum Mariam de Rubeis *Ordinis Prædicatorum , alter doctiſſimum* Johannem Brunatium *utrumque diligentiâ , & eruditione plurimâ commendatiſſimum , ne de ceteris hîc verba faciam , quorum illuſtria nomina ſequens exhibet Elenchus .*

Diviſum inter plures Opus ad umbilicum , ut ajunt , facilè deduci poſſe putavi ; & veluti ſorte mihi datam , hanc Mediolanenſem provinciam modis omnibus excolendam accepi , collectis Monetis omnibus , quarum notitia ad me eſt perlata auro , argentoque cuſis , earumque certo valore per varia tempora inveſtigato . Univerſæ namque Italiæ id maximè commodum exiſtimavi , quòd Officina Monetaria Mediolanenſium , quam vulgò appellant Zecca , *perpetuò magnitudini Urbis par fuit , ac inter ceteras ob fidem laudatiſſima ; atque utinam Romæ , Neapoli , Venetiis , ac Florentiæ par cura excitetur , ex qua utilitatis plurimum accipiet Italia univerſa in tanta varietate Monetarum pretii cum detrimento non rerum privatarum tantùm , ſed publico , cui provideri nulla ratione videtur poſſe , niſi præcipuarum Italicarum Officinarum inter ſe comparatione , unde ſtatim emergat æqua proportio , quæ ſit omnibus communis , & perpetua , ſine qua jurgia ſemper , & querelæ erunt acerbiſſimæ .*

Operi manum appoſiturus , ad Clariſs. J. C. , & Advocatum Johannem de Sitonis de Scotia *acceſſi , precatuſque ſum , ut ſi quid aliud præter ea , quæ de Monetis noſtris ediderat , ſecundis curis comparaſſet , pro humanitate ſua communicaret , quod & copioſiſſimè fecit . His obtentis nihil adhuc diligentiæ peperci meæ , ut plura congererem . Eaque de re copiâ factâ ex Archivis & Caſtri Portæ Jovis , & noſtratis Officinæ Monetariæ plura collegi , quæ infra ſunt exhibenda , quibus omnibus monumentis locuples moleſtiſſimo labore Tabulas digeſſi , in quibus per duo ſæcula & ultra enunciantur Monetæ omnes Mediolanenſes , auri , argenti , & æris cujuſcumque moduli , quæ impreſſæ fuere ad noſtra uſque tempora , adnotato ſingularum pondere , valore intrinſeco , Remediis , ut vocant , & extrinſeco pretio , atque utinam Regium hoc Officinæ noſtræ Archivum ita ſartum tectum ſervatum fuiſſet ab injuria temporum , ut alibi , ac Neapoli potiſſimum factum fuiſſe intelligo ! eo namque præſidio , ac certiſſimis teſtimoniis , de veteribus , quæ præceſſerant , Monetis , diſceptatio jam nulla eſſet inſtituenda . Sed & in hac parte lucem aliquam attulit J. C.* Johannes Angelus de Cuſtodibus *Antiquitatum Mediolanenſium ſolertiſſimus indagator , a quo nonnulla Diplomata Principum noſtrorum , aliaque de Re Moneta ria Documenta accepimus .*

Hæc

Digitized by Google

Hæc de Mediolanenſibus præcipuè ſeduld curâ comparavi, nique fallor futurum ſpero, ut Spicilegium ceteris in hac materia vix reliquerim. Præterea etiam Monetas alias cujuſcumque Italicæ Nationis, quantùm potui amicorum fretus operâ in medium affero, eo conſilio, ut argumentum potius proponam Litteratis Viris cujuſcumque Civitatis ad rem exhauriendam, quàm ad antiquitatis lautitiem apparandam. Ipſi enim res ſuas edocti facilius, ac diligentius, quàm alter uſpiam de iis aget, eâque de cauſa maximas me gratias habiturum eſſe profiteor, ſi quis Operam ſuam quacumque in parte adhibuerit ad rem tanti momenti diligentius illuſtrandam. At reponet aliquis multo plura me congerere potuiſſe de Re Monetaria. Ita vero ingenuè fateor; ſed Bibliothecam integram potius inſtruere neceſſum fuiſſet, quàm Tractatum, in tanta copia Scriptorum tam Noſtratum, quàm alterius cujuſcumque Nationis, qui vel Politicorum, vel Juris-Conſultorum more ſingulis ferme ſeculis meditationes ſuas propoſuerunt, quorum ſi quis nomina tantùm recenſeat, non minimam libri partem hac re una compleat.

Quamobrem commodius me facturum putavi, ſi poſt collectas Monetas omnes veteres, ut ante præfabar, ea maturiùs inquirerem, quæ alibi fruſtra quæſiveris. Neque improbatum fuit conſilium litteratiſſimis Viris in hac Urbe, maxime autem Alexandro Theodoro *Marchioni* Trivultio, *cujus ſapientiæ & conſilio plurimum tribuimus. Multum aliis etiam debemus, qui pretioſiſſima quæque contulerunt, quæ in adjuncto Elencho enumerantur; Officium verò eorum ſatis liberale gratiarum actionem expetit, quas hoc loco, quantum tenuitate mea poſſum, in futurum ævum rependo Illuſtriſſimo nempe, ac Doctiſſimo Viro Co: Senatori* D. Gabrieli Verro, *cujus eximiam doctrinam, ac politiſſimam Italici non minus, quam Latini ſermonis elegantiam nemo ſatis commendaverit. Clariſs. Viris* Joſepho Antonio Saxio *Ambroſianæ Bibliothecæ Præfecto, cui a ſolo nomine ob edita Opera laus maxima, Canonico* Johanni Andreæ Irico *ex Doctoribus ejuſdem Ambroſianæ Bibliothecæ, quem ſatis editæ ab ipſo Lucubrationes, & patria Tridinenſis Hiſtoria illuſtrarunt;* Anonymis *tandem* Mediolanenſi, *&* Cremonenſi, *quorum ſingularis modeſtia prohibet laudibus efferri nomina. Collectionem hanc mallem quidem a me tradi meliori potuiſſe ordine: Sed cum aliis alia temporibus monumenta ad me perlata ſint, fortunæ inſerviendum fuit.*

Coronidis loco Diſſertationem ejuſdem Clariſs. Muratorii cudendam iterum curavi, quam de Sigillis medii Ævi *Principum edidit; idque propterea factum eſt, quod in Sigillis iis imagines Principum diligentius repræſentatæ ſint, quàm in Monetis; Ea re etiam error corrigitur, in quem plurimos incidiſſe conſtat, qui Sigilla pro Monetis, & viceverſa, nobis exhibuerunt. Non me latet ſuppleri magnopere*

po-

Digitized by Google

potuisse Dissertationem ingenti numero Sigillorum, uti de Monetis altera: sed quoniam Eruditissimus Vir Dominicus Maria Mannius *Florentinus Provinciam hanc, supra quam credi potuerat, ornavit, aliorum Scrinia expilare nolui, & antiquitatis studiosos ad editos ejusdem Libros remitto. Id tantùm addo, quòd omittere haudquaquam censui, quin typis commendarem Tabulas XIV. Monetarum, quas in celebri suo Musæo servant Patres* Societatis Jesu *in Braydensi Collegio, quorum humanitas, sicut & præclara eruditio communi Rei Litterariæ commodo semper favens, mihique quocumque benignitatis, & favoris officio devinctissima nulli pepercit labori, ut istam Monetarum supellectilem pararet exhiberetque. Scio equidem plures ex hisce Nummis jam antea editos, nonnullos ego quoque superiùs exhibui; verùm non displicebit opinor eruditis Lectoribus, si collectionem integram pro frugibus in isto Monetarum divite prandio absque ulla imminutione porrexero.*

Grata fortassis erunt hæc studia nostra, sed gratissima futura erunt ea, quibus incumbimus actu, illustrandis, ac edendis nempe Operibus omnibus Onuphrii Panvinii *celebratissimi tam editis hactenus, quàm ineditis pluribus, pari diligentia, quam in edendo Sigonio adhibuimus, jamque sunt omnia parata prælo, & exeunte anno specimen exhibebimus, si placet superis. Quod si huic Operi perficiendo in tanta horum temporum calamitate, ac tam infelici rerum domesticarum conditione vires mihi minimè deerunt, hoc erit ab singulari divina ope unicè repetendum. Quòcumque enim me convertam, videor humano prope omni præsidio destitui; quo enim tempore universa fere Italia longo gravissimoque bellorum est impetu profligata, eâdem nos fortunâ jactati fuimus, atque auxilium illud omne, subsidiumque ad res nostras sustentandas, quo jamdiu* CAROLI VI. AUG. CÆS. *memoriæ nunquam interituræ beneficio, ac liberalitate fruebamur, Reipublicæ angustiis planè amisimus.*

At erit his quoque finis, abblandiente spe fore, ut aliquando AUGUSTISSIMÆ DOMINÆ NOSTRÆ *munificentia, atque auxilio subsidii aliquid habeamus, quo pares possimus esse impensis. Accipe interim hæc Lector, & judicio tuo laboribus nostris plaude, ac vale.*

Digitized by Google

ELENCHUS
ET ORDO TOTIUS OPERIS.

PARS I.

EDITORIS Præfatio generalis.

Series Diplomatum, aliarumque veterum Chartarum, quæ, ex integro, in hac Collectione habentur, ordine chronologico digesta. pag. I.

Nomina Romanorum Pontificum, Imperatorum, Regum, Ducum, aliorumque Principum, quæ in Formis Monetarum hujus Operis leguntur, ordine alphabetico disposita. pag. II.

Index Provinciarum, atque Locorum, ubi cusæ sunt Monetæ in hoc Opere exhibitæ. pag. III.

De MONETA, sive Jure cudendi Nummos, Dissertatio *Ludovici Antonii Muratorii*, iterum recusa. pag. 1.

EJUSDEM de diversis Pecuniæ generibus, quæ apud Veteres in usu fuere, Dissertatio, denuò typis data. pag. 99.

De NUMMIS PATRIARCHARUM AQUILEJENSIUM *Bernardi Mariæ de Rubeis* Ordinis Prædicatorum Dissertatio prima, & secunda, altera vice prælo commissæ. pag. 137.

JOANNIS BRUNATII de Re Nummaria Patavinorum, editio secunda. pag. 215.

FERDINANDI SCHIAVINI Ordinis Eremitarum S. Augustini Observationes in Venetos Nummos a Clar. Muratorio editos, aliis item de novo adjectis; Quibus accessere Additamenta II. ad Nummos Mediolanenses, qui in Muratoriana Collectione desiderantur, & Explanatio Nummi argentei Brixiensis. pag. 267.

EPISTOLÆ VII. Cl. V. *Stanislai Santinelli* Congregationis a Somasca Clerici Regularis ad N. V. Franciscum Feupolum de vetere Moneta Veneta, vulgò (*Matteguna*) vocata, iterum typis traditæ. pag. 297.

PARS II.

JOHANNIS DE SITONIS DE SCOTIA Elucubratio de antiquis, & modernis in Insubria Monetis; Editio tertia correctior, ac novis Additionibus aucta. Accedunt ejusdem Dissertatio ad ostendendum pretium antiquæ Mediolanensis Monetæ, appellatæ *Ducati d'oro in oro*; necnon Observationes Monetariæ ab eodem Auctore collectæ ab Anno MCLXI. usque ad MDCCXXXII. nunc primùm publicæ luce donatæ. pag. 1.

SPICILEGIUM de valore Monetarum Mediolanensium ex antiquis Chartis Archivi, præsertim Basilicæ Collegiatæ S. Georgii in Palatio desumptum a *Josepho Antonio Saxio* Bibliothecæ Ambrosianæ Præfecto. Nunc primùm prodit. pag. 41.

PETRI ZAGATÆ Observationes de Libris, & Monetis Veronensibus, ac aliis nonnullarum Urbium Italicè scriptæ, nunc iterum prælis commissæ. pag. 43.

JOSEPHI LIRUTI a Villafrigida Dissertatio de Monetis, quæ in Forojulienſi Provincia cursum habuerunt a Seculo circiter V. usque ad XV., in qua etiam de antiqua Veneta Moneta nonnulla recensentur; vulgari sermone scripta, & rursum luce donata. pag. 71.

DE MONETIS ITALIÆ, earumque pondere, & valore a Seculo XI. ad XVIII. Tractatus Historicus, OEconomicus, atque Politicus, e Codice *Anonymi* Cremonensis, Italicè scripto, & nunc primùm Typis commisso. pag. 191.

SIMONIS PETRI BARTHOLOMÆI de Tridentinarum, Veronensium, Meranensiumque Monetarum Speciebus, & Valore cum hodiernis Monetis Austriacis, & Venetis comparato Dissertatio, aliquot notis Criticis, Geographicis, & Historicis illustrata, & denuo typis tradita. pag. 225.

DIPLOMATA ANTIQUA, aliaque Documenta ad comprobandam, illustrandamque *Johannis Sitoni de Scotia* Elucubrationem de antiquis, & modernis in Insubria Monetis, ab ejusdem Musæo deprompta, partim nunc prima vice in publicum prolata; nempe

EDICTUM Bertholdi Comitis de Marestetem, dicti *de Nifren*, pro Ludovico de Bavaria Romanorum Imperatore in partibus Italiæ Vicarii Generalis pro confirmatione Privilegiorum favore Monetariorum Regiæ ac Imperialis Civitatis Mediolani, & pro executione EDICTI Henrici VII. Romanorum Imperatoris pro Monetis in Italia cudendis, & Monetariorum Privilegiis, signatum Derthonæ die 17. Octob. Anno 1311. & datum Mediol. die 26. Junii Anno MCCCXXIII. pag. 261.

Digitized by Google

EDICTUM Caroli IV. Romanorum Imperatoris de Moneta in Delphinatus, Sabaudiæque Ditionibus non aliter quam ſecundum modum, & formam præſcriptam cudenda. Datum Anno MCCCLXIII. pag. 266.
DIPLOMATA II. VVenceslai Romanorum Imperatoris favore Nobilium familiarum *de Capitaneis* ex Porta Romana, & *de Lavinis* Mediolanenſium Civium, & Monetariis publicis conſtitutis. Data apud Yrodium die 20. Martii, Anno MCCCXCVIII. pag. 268.
DIPLOMA Sigiſmundi Romanorum Imperatoris favore Nobilium *de Capitaneis* pro Imperialium Monetariorum confirmatione. Datum Mediol. die 15. Decembris, Anno MCCCCXXXI. pag. 271.
DIPLOMA Maximiliani Mariæ Sfortiæ Vicecomitis Mediolani Ducis favore Nobilium Monetariorum Officinæ Monetariæ (vulgo *Zecca*) Mediolani. Datum Mediol. die 11. Jan. Anno MDXV. pag. 272.
DIPLOMA Caroli V. Romanorum Imperatoris favore Monetariorum Civitatis, & Status Mediolani. Datum Mediolani die 27. Auguſti, Anno MDXLI. pag. 273.
MANDATUM Franciſci II. Sfortiæ Vicecomitis Mediolani Ducis pro ſolutione Penſionum, ac Stipendiorum Officialibus, & Miniſtris Status Mediolani. Datum Viglevani die 22. Novembris, Anno MDXXVIII. pag. 274.
CAPITULA Regiæ Ducalis Officinæ Monetariæ regnante Galeatio Maria Sfortia Vicecomite. Data die 4. Junii, Anno MCCCCLXXIV. pag. 279.
CAPITULA pro cudenda Moneta in Civitate Mediolani, & Aſtæ, regnante ibidem Ludovico XII. Francorum Rege, & Mediolani Duce. Data die 27. Junii, Anno MDVIII. pag. 281.
CAPITULA pro Officina Monetaria Mediol. (vulgò *Zecca*) per Dominum de Lautrico Regio Locumtenenti generali, data die 6. Maji, Anno MDXXI. pag. 282.
CONSULTATIO in materia Monetarum ſignanter Status Mediolani edita per Regium Advocatum Fiſcalem generalem *Alexandrum Rovidam*, dein Regium Senatorem Mediolani ſignata die 12. Novembris, Anno MDXCVI. pag. 283.
DISSERTATIO adversùs abuſum parvæ Monetæ Solidorum vitiatorum, & noviter propoſita per *Jacobum de Bertis* ad uſum Status Mediol., ſignata die 28. Julii, Anno MDCLXXVIII. pag. 292.
DISSERTATIO de non cudendis novis Monetis ad uſum Status Mediolani, ac Regni Neapolis, ſignata die 30. Aprilis, Anno MDCLXXIV. pag. 304.
CONSULTATIO adversùs propoſitam Monetarum alterationem in Statu Mediolani edita per *Joſeph Mariam Folli* JC. C. & Oratorem Civitatis Laudæ, ſignata die 28. Februarii, Anno MDCCIV. pag. 323.

SPICILEGIUM Sitonianum, in quo nonnulla habentur Obſervationes novæ de Monetis Florentinis, Papienſibus, Genuenſibus, Derthonenſibus, aliiſque. pag. 330.

DE MONETIS MEDIOLANENSIBUS Conſultationes, & Decreta ab Anno MDCCXX. ad MDCCXXVII. prima vice typis tradita ex MS. Comitis, & Senatoris *Gabriellis Verri*. pag. 335.

DE RE MONETARIA, præcipuè Mediolanenſi, Conſultatio *Alexandri Riccardi* Regii Fiſci Patroni, ſignata Viennæ Anno MDCCXXIV vulgari idiomate ſcripta, & nunc primùm publici juris facta ex MS. Cod. ejuſdem Comitis, & Senatoris *Verri*. pag. 343.

GALEATII VICECOMITIS DE ARAGONIA Vicarii Proviſionum Mediolani Conſilium contra apparatum augendi pretium Monetarum, iterum prælo commiſſum. pag. 371.

SCRUTINIUM Juridico-Politicum pro regimine dando in Re Monetaria Parmæ, & Placentiæ Anno 1738. Italicè editum, & hic denuo Typis traditum. pag. 381.

PARS III.

GEMINIANI MONTANARII Tractatus de Valore, atque abuſu Monetarum, Italicè ſcriptus, & nunc primùm in lucem editus, ex MS. Cod. Can. *Jo. Andreæ Irici* Bibliothecæ Ambroſianæ Doctoris. pag. 1.

LEGES variæ, & Decreta pro intelligentia Statutorum Reipublicæ Januenſis ad rem Monetariam ſpectantium, ex Statutis ejuſdem Reipublicæ deprompta. pag. 17.

EXPERIMENTA valoris, ac ponderis plurimorum Nummorum Italiæ, Galliæ, & Hiſpaniæ acta in Officina Monetaria, vulgò *Zecca*, Civitatis Placentiæ ex Opere Arithmeticæ, & Geometriæ practicæ *Julii Baſſi*, Italicè edito Anno MDLXVI. pag. 24.

EDICTA Principum, aliaque Documenta Seculi XV. ad Nummos Mediolanenſes ſpectantia ab Archivo Caſtri Portæ Jovis hujus Metropolis nunc primùm eruta, & ad publicam utilitatem prælo commiſſa; nempe:

EDICTUM Franciſci I. Sfortiæ Vicecomitis Mediolani Ducis pro imminutione (vulgò *abbattimento*) Monetarum auri, & argenti, & pro tollendis contentionibus in ſolutione debitorum, datum Mediolani die ultimo Octobris MCCCCLXV. pag. 31.
GALEATII Mariæ Sfortiæ Vicecomitis Mediolani Ducis Proclama pro Monetis expendendis, earumque valore. Actum Mediolani die VII. Octobris Anno MCCCCLXIX. pag. 33.
CONSULTATIO utriuſque Magiſtratus Reddituum Status Mediolani ſuper exemptionibus Clericorum, ſignata die VII. Aprilis Anno MCCCCLXXI. In eo habetur valor Floreni aurei ab Anno MCCCXCVII. ad MCCCCLXXI. pag. 34.
DECRETUM Galeatii Mariæ Sfortiæ Vicecomitis Mediolani Ducis pro tollendis nonnullis oneribus, & pro valore Monetarum expendendarum, ſignatum Abbiate die XI. Aprilis MCCCCLXXIV. Una cum Acceptatione ſanctionis factæ nomine ejuſdem Principis pro obſervatione dicti Decreti per Decuriones Conſilii Generalis Mediolani, data die XIII. eorundem Menſis, & Anni. pag. 36.

RE-

Digitized by Google

RELATIO Antonii de Landriano pro Incantatione Ducalis Officinæ Monetariæ (vulgò *Zecha*) Mediolani, data die XXVIII. Maji, Anno MCCCCLXXIV. pag. 47.
OBSERVATIONES Petri de Acceptantibus pro recta administratione Officinæ Monetariæ, signata die IV. Junii MCCCCLXXIV. pag ibid.
CAPITULA Officinæ Monetariæ Mediolani sub Duce Galeatio Maria Sfortia Vicecomite, signata die IV. Junii, Anno MCCCCLXXIV. pag. 49.

TESTAMENTUM Galeatii Mariæ Sfortiæ Vicecomitis Mediolani Ducis, in quo adest iterata mentio Monetæ Mediolanensis Ducatorum auri in auro; signatum die III. Novembris, Anno MCCCCLXXI. ex *Musæo Sitoniano*. pag. 53.

DE RE MONETARIA, præcipuè Mediolanensi, atque Papiensi Documenta varia excerpta ex *Musæo Custodiano*; nempe:

INSTRUMENTA Receptionum in Operarios Zechæ Mediolani de Jacobino, & Ambrosio fratribus de Philippis, factarum per Monetarios, & Operarios ejusdem *Zechæ Mediolani*, & *Sacri Imperii*, & *Regni Francorum*, quibus Jura, ac Privilegia ipsorum Monetariorum in Statutis in Civitate Nemausi firmatis Anno MCCCXVI. XXIV. Junii expressa, confirmantur: pag 57.
EXCERPTA ex Proclamate Illustris & Excellentissimi Domini Jo: Galeatii Vicecomitis pro Re Monetaria edito Anno MCCCXCI. die XXV. Januarii. pag 59.
CAPITULA pro cudendis Monetis in Civitate Papiæ, cum eorundem pondere, & valore, concordata Anno MCCCC. pag ibid.
ALIA CAPITULA compilata eodem Anno MCCCC. pro Monetis Aureis, Argenteis, & Mixtis, cudendis ad Zecham Civitatis Papiæ Annis MCCCCI., & MCCCCII. pag. 60.
CAPITULA altera pro eadem re Papiæ expedita Anno MCCCCVIII. Mense Aprilis pro Monetis cudendis Anno MCCCCIX. pag. 64.
DECRETUM Jo: Mariæ Vicecomitis Mediolani Ducis &c. pro valore Ducati, & Floreni aurei Anno MCCCCIX. XVIII. Januarii. pag. 65.
DECRETUM Illustrissimi, & Excellentissimi Domini Jo: Mariæ Vicecomitis Mediolani Ducis, Comitis Papiæ, ac Veronæ Domini pro mutatione Monetæ editum Anno MCCCCIX. die XXVI. Septembris. pag. 66.
INSTRUMENTUM declarationis factæ per Johannem de Aplano pro quadam quantitate Auri variis ponderis, ex Officina Monetaria Mediolanensi, signatum Anno MCCCCXXIX. die XXVIII. Novembris. pag. 68.
INSTRUMENTUM mutui facti per D. Innocentium de Cottis, Illustribus, & Magnificis DD. Capitaneis, & Defensoribus aureæ Libertatis Illustris, & Excelsæ Communitatis Mediolani, quo probatur diversitas, quæ intercedebat inter Ducatum auri in auro, & Florenum, subscriptum die XXV. Junii MCCCCXLIX. pag. 69.
ACCEPTATIO Ducalis Decreti Monetarum facta per Decuriones Consilii Generalis Civitatis Cumarum, Anno MCCCCLXXIV. VI. Maji. pag. 71.

ANONYMI MEDIOLANENSIS Sylloge Principiorum, quæ usui fuere ad constituendum Monetarum Proclama Anno MDCCXLIX. XXVI. Novembris, nunc publicæ curiositati, ac eruditioni exposita. pag. 75.

APPENDIX AD PARTEM TERTIAM.

DE ORIGINE, & antiquitate Monetæ Venetæ Dissertatio Italicè conscripta ab *Hieronymo Zanetti*, accessit ejusdem celeberrimi Scriptoris Commentariolum de Nummis Regum Mysiæ, seu Rasciæ ad Venetos Typos percussis; ad Rem Nummariam augendam novis curis, correctior, & auctior hîc iterum prælis committuntur. pag. 1.

ANDREÆ ALCIATI J. C. Mediolanensis de Re Nummaria antiquorum ad recentiora tempora redacta compendiosa Ratiocinatio nunc primùm prodit ex MS. Codice Bibliothecæ Ambrosianæ. pag. 23.

NUMMORUM Series tam auri, quàm argenti, & æris, qui in Officina Monetaria Mediolanensi cusi fuere ab Anno MDXLVIII. ad MDCCL., unà cum eorumdem valore intrinseco, atque, ut ajunt, *Remediis*, necnon extrinseco pretio studio & labore *Editoris* per Tabulas XX. digesta, additis nonnullis Adnotationibus, necnon nominibus Magistrorum ejusdem Officinæ, Judicum, aliorumque majorum Operariorum ab Anno MDV. usque ad præsentem diem. pag. 29.

EDITORIS Additiones ad Nummos variarum Italiæ Urbium, qui nunc primâ vice in publicum producuntur, unà cum eorumdem Formis, & Explicationibus. pag. 61.

INDEX Generalis Rerum, & Nominum, præcipuè Familiarum Mediolanensium: pag. 79.

CORONIDIS LOCO

LUDOVICI ANTONII MURATORII Dissertatio de Sigillis medii ævi, denuo recusa: pag. 99.

TABULÆ XIV. Monetarum veterum ex Musæo *Braydensis Universitatis* Societatis Jesu, prima vice prælo donatæ.

Digitized by Google

CATALOGUS DIPLOMATUM,

ATQUE CHARTARUM VETUSTARUM,

Quæ ex integro in hoc Opere leguntur per Seculorum seriem digestus.

Primus numerus signat Partem hujus Collectionis, secundus Paginam.

DCCXXXVI. VEnditio Domus, ac Terrarum facta Walperto Duci Urbis Lucensis a Lupo viro honorabili. I. 101.

DCCXLVI. Emphyteusis, seu usus Domus, quam à Walprando Episcopo Lucensi, Anselmus vir devotus se tenere agnoscit. I. 102.

DCCCVII. Traditio Ecclesiæ S. Terentii ab Alberto Clerico facta Walprando Presbytero cum reservatione Pensionis, sive Census, annuente Jacobo Episcopo Lucensi. I. 103.

DCCCXLVII. Ubertus Diaconus ab Ambrosio Lucensi Episcopo Ecclesiam in beneficium accipit, eique censum pollicetur. I. 103.

DCCCCXXXVI. Leonis Sublacensis Abbatis Charta, per quam Agros emit a Marco Archipresbytero &c. I. 121.

DCCCLVII. Ludovicus II. Imper. Ansperto Diacono Mediolanensi quasdam res, ab ipso non semel in judicio evictas, confirmat. I. 114.

DCCCCLVIII. Atto filius quondam Attonis Massaritias sex vendit Adalberto, qui & Atto, Comiti Consobrino suo, & Proavo Comitissæ Mathildis. I. 105.

DCCCCXLVIII. Diploma Ottonis III. Imp., quo confirmantur Ecclesiæ Mantuanæ omnia illius Jura, & Privilegia. I. 69.

DCCCCXCVIII. Otto Dux, & Missus Ottonis III. Imp. in Placito Cremonensi coram ipso Imperatore Privilegium Imperiale, ab Olderico Episcopo Cremonæ productum contra Cives Cremonenses, germanum recognoscit, & bannum pro ejus tutela emittit. I. 115.

MXIV. Henrici II. Regis, & Imper. Diploma, perquod Monasterio S. Zenonis omnia illius Jura, & bona confirmat. I. 117.

MXV. Charta Ottonis Ursеoli Venetiarum Ducis, favore Eraclejensium. III. *in Append.* 12.

MXXV. Charta Tisonis, & Elicæ Jugalium de preciis quorumdam bonorum ad ipsos pertinentium. I. 224.

MXXVII. Diploma Conradi II. favore Udalrici Episcopi Tridentini de cudenda Moneta. II. 232.

MXXVIII. Conradi Imperatoris concessio facta Poponi Patriarchæ Aquilejensem, qua potestatem eidem impertitur cudendæ Monetæ. II. 96.

MXXVIII. Conradi II. Imperatoris Diploma, quo Poponi Patriarchæ Aquilejensi Nummos argenteos cudendos concedit. I. 146.

MLI. Donatio facta Ecclesiæ S. Felicis in Lucania a Guaimario IV. Principe Salernitano. I. 113.

MXLIX. Henrici II. Imp. Diploma, quo Bernardo Patavino Episcopo jus cudendæ Pecuniæ elargitur. I. 75.

Digitized by Google

MXLIX. Diploma Henrici III. favore Bernardi, seu Berenhardi Episcopi Civitatis Patavii de Moneta cudenda. I. 223.

MLIV. Riculfi Abbatis S. Vitalis Ravennatis, loci cujusdam infra Civitatem Ravennæ concessio in Ephyteusim Geriberto Episcopo Mutinensi. I. 45.

MLV. Charta Henrici Imper. favore habitantium in Plebe Sacci Territorii Patavini. I. 222.

Guatherus Cancellarius Henrici Imperatoris II. in Placito Mantuano Bannum promulgat pro tutela Decimar. spectantium ad Canonicos Patavinos. I. 116.

MLXIII. Wolmarii Episcopi Regiensis Decretum, quo Monialibus S. Thomæ confirmat Plebem S. Michaëlis. I. 107.

MLXVII. Charta libellaria Gepæ Abbatissæ Monasterii S. Stephani Patavii favore Pagani de Berengarda. I. 224.

MLXXVIII. Charta Emphyteusis Ferrariensis. I. 87.

MLXXIX. Placitum Arretii habitum coram Constantino Episcopo illius Civitatis, & Hugone Comite, in quo Guido Abbas Monasterii SS. Floræ, & Lucillæ evincit Curtem de Sesto. I. 113.

MLXXXV. Milo Episcopus Patavinus litem vincit in Placito coram Liutaldo Duce contra quosdam usurpatores bonorum Ecclesiæ suæ. I. 117.

MLXXXXV. Charta venditionis Fulconis Marchionis Azonis filii favore Ugonis. I. 225.

ML. Charta donationis Viti Presbyteri favore Ecclesiæ S. Mariæ Patavii. I. 226.

MCIV. Otto Archiepiscopus Ravennæ vendit Landulpho Episcopo Ferrariæ, ejusque Ecclesiæ Massam Firminianam, cum Plebe S. Stephani. I. 108.

MCXII. Casalis S. Apollinaris venditio facta Christadoro Admirato Wilelmi Ducis Apuliæ a Fulcone de Balungerio, ut in jus Monasterii S. Mariæ de Patiro transferatur. I. 111.

MCXXIX. Charta commutationis factæ ab Alberto Marchione, & Garsenda ejus Uxore cum Petro filio Baroni de Mundevilla. I. 107.

MCXLVI. Charta de Petroniano pro ducentis libris obligata pignori Ecclesiæ Romanæ. I. 7.

MCXLVII. De Marano, & Plazano pignori obligatis Eugenio III. Papæ a Rainerio Girardi Comitis filio pro quadraginta duabus libris Lucensis Monetæ. I. 6.

MCLV. Friderici I. Imp. Decretum, quo Mediolanenses, quia Novocomum, & Laudam destruxerant, Imperiali banno subjicit; Moneta, Teloneo, Districtu, & omnibus Regalibus privat, & jus condendæ Monetæ in Cremonenses transfert. I. 23.

MCLVIII. Chartula de medietate unius Molendini apud S. Christinam, quod aquisivit Domnus Hadrianus IV. Papa. I. 8.

MCLVII. Chartula venditionis duorum Molendinorum apud S. Christinam positorum, facta a filio Ugolini Comitis de Calmaniate Hadriano IV. Papæ. I. 7.

MCXCI. Henrici VI. Germaniæ, ac Italiæ Regis Diploma, per quod Bononiensi Populo jus Monetæ largitur. I. 84.

MCXCV. Privilegium Conradi Imperatoris Poponi Patriarchæ Aquilejensi pro Monetis cudendis. II. 96.

MCXCV. Charta refutationis factæ a Guidone S. Mariæ Trans-Tyberim Cardinali, & Joanne Guidonis de Papa, & Petro Romano, & Henrico fratribus, & filiis quond. Cencii de Papa, super Civitate Castellana. I. 124.

Altera Charta refutationis facta filiis Cencii Romani de Papa de facto Civitatis Castellanæ. I. 126.

MCCV. Concordia inter Bononienses, & Ferrarienses in controversia de Moneta. I. 60.

MCCIX. Facultas Bononiensibus data a Ferrariensibus signandi Nummos ad instar Parmensis pecuniæ. I. 62.

MCCXVII. Instrumentum de quadam renuntiatione, seu refutatione, quam fecit Domino Papæ Honorio III. Pandulfus filius quondam Jo: Petri de Judice. I. 9.

MCCXX. Privilegium Honorii III. Pont. Max. Firmanis concessum de cudenda Moneta. I. 65.

Fri-

Digitized by Google

MCCXXVI. Friderici II. Auguſti Diploma, quo Civitati Mutinenſi antiqua jura, & Privilegia confirmat, inter quæ jus Monetæ condendæ. I. 72.

MCCXXXI. Litteræ de Comitatu Aſculano a Gregorio IX. Papa commendato Epiſcopo Aſculano conceſſa ſub centum librarum penſione. I. 90.

MCCXXXII. Confeſſio facta a Joanne de Columna S. Rom. Eccleſiæ Cardinali de pecunia ſibi perſoluta nomine Gregorii IX. Papæ. I. 123.

Charta altera facta a Joanne de Columna S. R. E. Card. de pecunia ſibi perſoluta nomine Gregorii IX. Papæ. I. 127.

MCCXXXVI. Charta conventionis inter Patavinos, & Tarviſinos pro Monetarum falſariis. I. 237.

MCCXLVII. Cenſus trium Marabutinorum auri Anfuſinorum pro Caſtro de Agantico Magalonenſis Diœceſis. I. 110.

MCCLIII. Conceſſio Caſtri de Arſa in feudum dati ſub annuo cenſu facta ab Innocentio IV. Papa. I. 112.

MCCLV. Diploma Alexandri IV. Pont. Max. de ceſſione juris cudendæ Monetæ facta per Gregorium de Montelongo Patriarcam Aquilejenſem. II. 3.

Litteræ Alexandri Papæ IV. ad Gregorium de Montelongo Patriarcham Aquilejenſem pro cudenda Moneta. I. 145.

MCCXCI. Promiſſio, & Obligatio Syndici Caſtri Centumcellarum ſuper Cenſu annuo quinquaginta librarum Paparinarum Romanæ Eccleſiæ ſolvendarum. I. 11.

MCCXCV. Diploma Adulphi Imper., quo Philippo Tridenti Epiſcopo jus cudendæ Monetæ concedit. II 234.

MCCCXI. Edictum Henrici VII. Imper. pro Monetis cudendis in Italia, & Monetariorum Privilegiis. II. 263.

MCCCXX. Tabulæ conventionis cudendæ Monetæ Aquilejenſis per Paganum Patriarcham actæ. I. 177.

MCCCXXIII. Edictum Bernardi Co: de Mareſtetem Ludovici Imp. in Italia Vicarii Generalis favore Monetariorum Mediolanenſium. II. 263.

MCCCLI. Conventiones pro cudenda Moneta Aquilejenſi a Nicolao Patriarcha peractæ. I. 183.

MCCCLVI. Charta Nicolai Aquilejæ Patriarchæ de Sagiis Monetarum favore Gabrielis Aurificis Magiſtri Officinæ Monetariæ Aquilejenſis. II. 107.

MCCCLVI. Charta Nicolai Patriarchæ Aquilejenſis favore Gabrielis Aurificis de Civitate Auſtria Officinæ Monetariæ Magiſtri. II. 101.

MCCCLVII. Tabula Nicolai Patriarchæ Aquilejenſis pro cudenda Moneta. I. 143.

MCCCLIX. Tabula Ludovici Aquilejenſis Patriarchæ pro cudenda Moneta. I. 145.

Charta Ludovici Patriarchæ Aquilejenſis favore Franciſci Bonaquiſti de Florentia Magiſtri Officinæ Monetariæ Aquilejæ. II. 101. & 104.

MCCCLX. Charta Ludovici Patriarchæ Aquilejenſis de approbatione Monetarum facta favore Gabrielis Aurificis Officinæ Monetariæ Magiſtri. II. 104.

MCCCLXIII. Edictum Caroli IV. Imper. de Moneta in Delphinatus Sabaudiæque ditionibus cudenda. II. 266.

MCCCLXXXV. Inſtrumenta receptionum in Operarios Zecchæ Mediol. de Jacobino, & Ambroſio fratribus de Filippis &c. III. 57.

MCCCXCI. Jo: Galeatii Vicecomitis, Mediolani Domini Proclama de Monetis datum Mediolani die 25. Januarii. III 59.

MCCCXCIII. Diplomata II. Wenceslai Imper. favore Nob. Familiar. de Capitaneis, & de Lucinis quibus Monetarii publici jus impertitur. II. 208.

MCCCXCVIII. Franciſci II. Carrariæ Domini Locatio Monetarum conficiendarum favore Joanniſq. Magiſtri Simonis ab Argento de Bononia. I. 258.

Locatio Monetæ Patavinæ a Franciſco II. Carrarienſi acta. I. 259.

MCCCXCIX. Literæ Zanobii Monetarii de Giaceto de Florentia ad Joannem de Rabatta ſuper Monetam novam per Patriarcham Aquilejenſem cuſam. I. 150.

MCCCCII. Inſtrumentum mutui Capitaneor., & Defenſorum Libertatis Mediol. cum Innocentio de Cottis. III. 69.

Char-

Digitized by Google

MCCCCIII. Charta libellaria Gepæ Abbattiſſæ S. Stephani in Civitate Patavii favore Dominici fil. quond. Chriſtiani. I. 221.

MCCCCIX. Decretum Jo: Mariæ Vicecomitis Mediol. Ducis pro valore Ducati, & Floreni aurei ſignatum Mediolani die 18. Januarii. III. 65.

MCCCCIX. Decretum Jo: Mariæ Vicecomitis Mediol. Ducis pro mutatione Monetæ editum Mediolani die 26. Septemb. III. 66.

MCCCCXIII. Edictum Ludovici Ducis de Dech Aquilejenſis Patriarchæ de nova Moneta cujus valoris, & ponderis ea eſſe deberet. I. 151.

Charta Ludovici Ducis de Dech Patriarchæ Aquilejenſis de Sagiis Monetarum favore Dominici de Brunatiis Officinæ Monetar. Aquil. Magiſtri. II. 106.

MCCCCXIV. Charta Ludovici Ducis de Dech Patriarchæ Aquilejenſis de Sagiis Monetar. factis per Dominicum de Brunatiis Officinæ Monetar. Magiſtrum. II. 107.

MCCCCXXXI. Diploma Sigiſmundi Imper. favore Nob. Familiæ de Capitaneis pro confirmatione muneris Monetarior. in Urbe Mediolanenſi. II. 271.

MCCCCLXV. Edictum Franciſci I. Sfortiæ Vicecomitis Mediol. Ducis pro imminutione vulgò *Abbatimento* Monetarum Auri, & Argenti, & pro tollendis contentionibus in ſolutione debitorum. Dat. Mediol. die ultimo Octob. III. 31.

MCCCCLXIX. Galeatii Mariæ Sfortiæ Vicecomitis Mediolani Ducis Proclama pro Monetis expendendis, earumdemque valore. Actum Mediol. die 7. Octob. III. 3.

MCCCCLXXI. Galeatii Mariæ Sfortiæ Vicecomitis Mediol. Ducis Teſtamentum, ſignatum Mediolani die 3. Novembris. III. 53.

MCCCCLXXIV. Capitula Officinæ Monetariæ Mediolani ſignata die 4. Junii. III. 49.

Decretum Galeatii Mariæ Sfortiæ Vicecomitis pro tollendis nonnullis oneribus, & pro valore Monetarum expendendarum &c. Actum Abbiate die IV. Aprilis. III. 36.

MDXV. Diploma Maximiliani Mariæ Sfortiæ Vicecomitis Mediolani Ducis favore Nob. Monetarior. Ducalis Zecchæ Mediolani. II. 272.

MDXXVIII. Mandatum Franciſci II. Sfortiæ Vicecomitis Mediol. Ducis pro ſolutione Penſionum, & ſtipendior. Officialibus, & Miniſtris Status Mediol. II. 274.

MDXLI. Diploma Caroli V. Imper. favore Monetariorum Imperialis Zecchæ Civitatis, & Status Mediolani. II. 273.

ADDENDA.

DCCCCXCVIII. Gregorii V. Pont. Max. Epiſtola ad Gerbertum Archiepiſcopum Ravennæ, cui jus cudendæ Monetæ concedit. III. 116.

MCCXVII. Charta Inveſtituræ Vicecomitatus Argentæ facta per Symeonem Cervienſem Antiſtitem favore Arconis, ejuſque Succeſſorem ſignata Argentæ XVIII. Kal. Madii 1217. III. 133.

MCCLVII. Declaratio Philippi Ravennæ Archiepiſcopi, quod jus cudendæ Monetæ ad Ravennatem tantùm Eccleſiam, non ad Commune pertinere, ſignata die XV Aprilis 1257. III. 120.

MCCCXXI. Charta Raynaldi Archiepiſcopi Ravennæ quâ Maximo Albiglieti licentiam cudendi Ravignanos Groſſos, & parvos concedit, ſignata II. Madii 1321. III. 120.

Digitized by Google

NOMINA

ROMANORUM PONTIFICUM, IMPERATORUM, REGUM, DUCUM, ALIORUMQUE PRINCIPUM,

Quæ in formis Monetarum hujus Operis leguntur, ordine alphabetico disposita.

A

ADrianus I. Pont.Max. III. *in Append.* 63.
Adrianus I. Pont. Max., *& forsan etiam.* II. & III. I. 2.
Adrianus II. Pont. Max. I. 3., & III. *in Append.* 63.
Adrianus III. Pont. Max. I. 3.
Agapitus II. Pont. Max. I. 4.
Aistulphus Langobardorum Rex. I. 31.
Albericus Tusciæ Marchio. I. 4.
Albertus de la Scala Veronæ Dominus. I. 88.
Albertus II. Goritiæ Comes. 178., & 210.
Albuinus Rex III. *in Append.* 77.
Alexander VI. Pont. Max. I. 53., & III. *in Append.* 69.
Alexander Farnesius Parmæ, & Placentiæ Dux. III. *in Append.* 76.
Alexander Sfortia Pisauri Dominus. I. 78.
Aloysius Sabaudiæ Dux. III. *in Append.* 76.
Aloysius Farnesius Parmæ, & Placentiæ Dux. III. *in Append.* 76.
Alphonsus I. Aragonum, & Siciliæ Rex. I. 42.
Alphonsus II. Neapolis Rex. I. 43.
Alphonsus Calabriæ Dux. III. *in Append.* 68.
Alphonsus I. Estensis Ferrariæ, Mutinæ, Regii &c. Dux. I. 64.
Alphonsus III. Ferrariæ Dux. III. *in Append.* 73.
B. Amedeus Sabaudiæ Dux. I. 83.
Amedeus I. Sabaudiæ Comes. I. 81.
Amedeus II. Sabaudiæ Comes. I. 81.
Amedeus III. Sabaudiæ Comes. I. 81.
Amedeus IV. Sabaudiæ Comes. I. 81.
Amedeus V. Sabaudiæ Comes. I. 82.
Amedeus VI. Sabaudiæ Comes. I. 83.
Amedeus VII. Sabaudiæ Comes. I. 83.
Amedeus VIII. Sabaudiæ Dux. I. 83.
Anastasius III. Pont. Max. I. 4.
Andreas Contarenus Venet. Dux. I. 48.
Andreas Dandulus Venet. Dux. I. 48.
Andreas Grittus Venet. Dux. I. 285. & 299.
Andreas Vendraminus Venetiar. Dux. I. 49., & 278.
Ansparis Augustus. II. 79.
Antonius Cajetanus Patriarcha Aquilejensis. I. 168., & II. 116.
Antonius de Pancera Patriarcha Aquilejensis. II. 116.
Antonius de Portugruario Patriarcha Aquilejensis. I. 168.
Antonius de la Scala Veronæ Dominus. I. 88.
Ardaburius Ansparis Augusti Filius. II. 80.
Atalaricus Rex. II. 81.
Arlongus Episcopus Tergestinus. I. 96. 170. & II. 174.
Athanasius Episcopus, & Dux Neapolis. I. 35.
Augustinus Barbadicus Venet. Dux. I. 49. & III. *in Append.* 69.
Aurus Mastri Petri Venet. Dux. II. 149.
Azzo Vicecomes Mediol. Dux. I. 24, & 59., & III. *in Append.* 65.
Azzo Marchio Estensis, Mutinæ, & Ferrariæ Dominus. I. 74.

B

BAduila, seu Totila Rex. I. 17., & 18.
Bartholomæus Roverella Cardinalis Archiepisc. Ravennæ. III. 121.
Bartholomæus de la Scala Veronæ Dominus. I. 88.
Bartholomæus Ticius Comes Ticii. III. *in Append.* 72.
Beatrix Sfortia Estensis, Mediolani Dux. III. *in Append.* 67.
Benedictus III. Pont. Max. I. 2. & III. *in Append.* 64.
Benedictus IV. Pont. Max. I. 4.
Benedictus V. Pont. Max. I. 5.
Benedictus VI. Pont. Max. I. 5.
Benedictus VII. Pont. Max. I. 5.

Digitized by Google

Benedictus XI. Pont. Max. I. 13.
Benedictus XII. Pont. Max. I. 13.
Benedictus XIII. Pont. Max. I. 15.
Berengarius Imp. I. 4. 19., & III. *in Append.* 64. 65.
Bernabos Vicecomes Mediol. Dux. I. 24. 28. 58. 293., & III. *in Append.* 66.
Bernardus Goritiæ Dux. II. 176.
Bernardus Patavii Episcopus. I. 239.
Bertoldus Patriarcha Aquilejensis. I. 51. 166. & II. 109. 110.
Bertrandus Patriarcha Aquilejensis. I. 168.
Bertrandus a S. Gennasio Patriarcha Aquilejensis. II. 113. & 114.
Bessus Fliscus Messerani Marchio. III. *in Append.* 75.
Bona Mediolani Dux. I. 29.
Bonifacius Montisferrati Marchio. I. 72. & III. *in Append.* 75.
Bonifacius Sabaudiæ Comes. I. 82.
Bonifacius IX. Pont. Max. I. 15., & 68.
Borsius Estensis Ferrariæ Dux. I. 63., & 64.
Brancaleo Adaloi fil. Bononiensis Romanorum Senator. I. 10.

C

Calistus III. Pont. Max. III. *in Append.* 64.
Camilla Sfortia de Aragonia Pisauri Domina. I. 79.
Carolus Burgundus. III. *in Append.* 78.
Carolus M. Imp. I. 2. 18. 21. 31. 34. 86. 93., & III. *in Append.* 63.
Carolus IV. Imp. I. 33.
Carolus V. Imp., & Dux Mediol. I. 30.
Carolus Crassus Imp. I. 3. 44.
Carolus Humbertus Hungariæ Rex. I. 67.
Carolus VIII. Franciæ, & Neapolis Rex. I. 44.
Carolus VIII. Franciæ Rex, & Pisanor. liberator. I. 78.
Carolus III. Rex Neap. I. 46.
Carolus I. Provinciæ Comes, & Siciliæ Rex. I. 38. & 39.
Carolus II. Apuliæ Rex. I. 39.
Carolus Dux Aurelianensis. III. *in Append.* 67. 70.
Carolus I. Sabaudiæ Dux. I. 83.
Carolus II. Sabaudiæ Dux. I. 84.
Castonus a Turre Patriarcha Aquilejensis. I. 167.
Christierna Mediol. Dux. III. *in Append.* 69.
Christophorus Maurocenus Venet. Dux. I. 49.
Christophorus Maurus Venet. Dux. I. 278.
Civardus Episcopus Tergestinus. I. 96.
Clemens V. Pont. Max. I. 13.
Clemens VI. Pont. Max. I. 13.
Clemens VII. Pont. Max. I. 14.
Clemens XII. Pont. Max. III. 123.
Coënvulfus Merciorum in Brittania Rex. I. 91.
Conon Treverensis Archiepiscopus. I. 96.
Conradus I. Imp I. 38. 74. & III. *in Append.* 74.
Conradus II. Imp. I. 54. 67. 68. 79., & 92.
Conradus Tiroli Comes. II. 175.
Conradus Episcopus Tergestinus. II. 174.
Constantia Friderici III. Uxor. III. *in Append.* 68.
Constantinus Imp. III. 115. & III. *in Append.* 19.
Constantius Imp. III. 99.
Constantius Sfortia de Aragonia Pisauri Dominus. I. 78.
Cunipertus Langobardor. Rex. III. *in Append.* 64.

D

Desiderius Langobardor. Rex. I. 51.

E

Eugenius II. Pont. Max. I. 54.
Eugenius IV. Pont. Max. I. 65.

F

Fabritius de Carretto Magnus-Magister Equitum Rhodiorum. I. 97.
Ferdinandus IV. Aragoniæ, & Navarræ Rex. I. 92.
Ferdinandus V. Aragoniæ, & Navarræ Rex. I. 92.
Ferdinandus I. Neapolis Rex. I. 42., & 43.
Ferdinandus II. Neapolis Rex. I. 44.
Focas Imp. III. 111
Formosus Pont. Max. I. 4.
Franciscus I. Francorum Rex, & Mediol. Dux. I. 30., & III. *in Append.* 74.
Franciscus Sfortia Vicecomes Mediolani Dux. I. 26. 29. 65. 74., & III. *in Append.* 66.
Franciscus II. Sfortia Mediol. Dux. I. 31. 59., & III. *in Append.* 69.
Franciscus Foscarus Venet. Dux. I. 49. 277., & II. 160.

Digitized by Google

Franciſcus I. Carrarienſis Patavii Dominus. I. 76. 249. 258., & II. 181.
Franciſcus de Gonzaga Mantuæ Dominus. I. 71.
Franciſcus Maria Urbini Dux. III. *in Append.* 78.
Franciſcus Maria Metauri Dux. III. *in Append.* 75.
Franciſcus III. Ordelaphus Fori-Livii Princeps. I. 66.
Franciſcus Trivultius Viglevani March. I. 89.
Fridericus I. Imper. I. 22. 24. 32. 54. 57. 59. 61. 74. 77. 78., & III. *in Append.* 65. 72., & 73.
Fridericus I., aut II. Imper. I. 20.
Fridericus II. Imper. I. 37. 38. 58. 74., & 80.
Fridericus II. Neapolis Rex. I. 44.
Fridericus I. de Monteferetro Urbini Dux. I. 60.
Fridericus Urbini Dux. I. 90.
Fylias Roverella Archiepiſc. Ravennas. III. 122.

G

Galeatius I. Vicecomes Mediol. Dux. I. 25, & 28.
Galeatius II. Vicecomes Mediol. Dux. I. 25.
Galeaz Maria Sforcia Vicecomes Mediol. Dux. I. 21. 26. 27. 29. 293., & III. *in Append.* 67.
Georgius Benzonus Cremæ Dominus. III. *in Append.* 72.
Giſulphus Salerni Princeps. I. 35.
Ginardus Epiſcopus Tergeſtinus. II. 174.
Gregorius IV. Pont. Max. I. 2.
Gregorius XI. Pont. Max. I. 14.
Gregorius XII. Pont. Max. I. 15.
Gregorius Dux Beneventi. I. 33.
Gregorius de Montelongo Patriarcha Aquilejenſis. I. 167., & II. 110.
Gregorius Patriarcha Aquilejenſis. I. 51.
Grimoaldus Beneventi Dux. I. 34.
Guido Urbini Dux. I. 90.
Guido Ubaldus Urbini Dominus. III. *in Append.* 77. 78.
Guillielmus I. Siciliæ Rex. I. 37.
Guillielmus II. Siciliæ Rex. I. 37.
Guillielmus Montiſerrati Marchio. I. 72., & III. *in Append.* 75.

H

Henricus I. Imper. I. 22., & III. *in Append.* 65., & 72.
Henricus III. Imper. I. 5.
Henricus III. forſan IV., aut V. Imp. I. 20.
Henricus V. Imp. I. 37. 56.
Henricus VI. Imper. I. 22. 24., & III. *in Append.* 71.
Henricus Angliæ Rex. I. 92.
Henricus XI. Bavariæ Dux, & Meraniæ I. II. 254.
Henricus Dandulus Venet. Dux. I. 47. & 272.
Henricus Comes Provinenſis. II. 186.
Henricus Goritiæ Comes. I. 210.
Heraclius Auguſtus. I. 17., & II. 80. III. 112. & 113.
Heraclius Conſtantinus Imp. III. 112. 113. 114.
Hercules I. Eſtenſis Ferrariæ Dux. I. 63., & 64.
Hercules II. Eſtenſis, Ferrariæ, Mutinæ, Regii &c Dux. I. 64. & III. *in Append.* 76.
Hector Vicecomes. I. 25.
Honorius Auguſtus. I. 15. III. 92. 95. 98.
Humbertus Mauriennæ Comes. I. 80.
Humbertus II. Sabaudiæ Comes. I. 81.
Humbertus III. Sabaudiæ Comes. I. 81.

I

Jacobus Scotorum Rex. I. 92.
Jacobus Contarenus Venet. Dux. I. 283., & III. *in Append.* 69.
Jacobus Teupolus Venet. Dux. I. 47., & III. *in Append.* 69.
Jacobus de Pepulis Bononiæ Dominus. I. 56., & III. *in Append.* 71.
Innocentius VI. Pont. Max. I. 13.
Innocentius VII. Pont. Max. I. 15.
Innocentius VIII. Pont. Max. I. 51.
Joanna I. Apuliæ Regina. I. 40.
Joanna III. Neap. Regina. I. 41.
Joanna de Malateſtis Camerini Domina. I. 58.
Joanna Maria Varana Camerini Domina. I. 58.
Joannes VIII. Pont. Max. I. 3.
Joannes IX. Pont. Max. I. 3. 4., & III. *in Append.* 64.
Joannes X. Pont. Max. I. 4., & III. *in Append.* 64.
Ioannes XI. Pont. Max. I. 4.
Joannes XII. Pont. Max. I. 5.
Joannes XIII. Pont. Max. I. 5.
Joannes XXII. Pont. Max. I. 13. 67.
Joannes XXIII. Pont. Max. I. 15. 67.
Joannes Palæologus Imper. III. *in Append.* 78. III. 92. & 98.
Joannes I. Boëmiæ Rex. I. 92.
Joannes Dandulus Venet. Dux. I. 48.
Joannes Delphinus Venet. Dux. I. 48.
Joannes Mocenicus Venet. Dux. I. 49., & 278.

Digitized by Google

Joannes Galeatius Vicecomes Mediolani Dux. I. 25. 28. 29. 88. 256., & III. *in Append.* 66. 67.
Joannes Galeatius Sfortia Dux Mediol. I. 27., & 29.
Joannes Galeatius Maria Sfortia Vicecomes Mediolani Dux. I. 294.
Joannes Luchinus Vicecomes Mediolani Dux. III. *in Append.* 66.
Joannes Sfortia de Aragonia Piſauri Dominus. I. 79.
Joannes Vicecomes Archiepiſc., & Mediolani Dominus. I. 24. 56. 68., & 292.
Joannes de Vignate Placentiæ Dominus. I. 79.
Joannes Bentivolus Bononiæ Dominus. III. *in Append.* 71.
Joannes II. Bentivolus Bononiæ Dominus. I. 57.
Joannes de Pepulis Bononiæ Dominus. I. 56., & III. *in Append.* 71.
Joannes Jacobus de Medicis Leuci Dominus. I. 74.
Joannes Jacobus Trivultius Viglevani Marchio. I. 89., & III. *in Append.* 77.
Joannes Franciſcus Picus Mirandulæ Dominus. III. *in Append.* 76.
Joannes de Moravia Patriarcha Aquilejenſis. I. 168., & II. 115.
Iſabella Aragonia Mediolani Dux. III. *in Append.* 67.
Iſabella Sabaudiæ Dux. III. *in Append.* 76.
Iſotta Malateſta Arimini Domina. I. 69.
Julia de Varano Camerini Domina. III. *in Append.* 71.
Julius II. Pont. Max. III. *in Append.* 64.
Juſtinianus I. Auguſtus. I. 16. 17. 111.
Juſtinus minor Imper. I. 1. 6.

K

KArolus Rex. III. *in Append.* 21. 22. *V.* Carolus.

L

LAdislaus Rex Neapolis. I. 41.
Lambertus Imperator. III. *in Append.* 64.
Laurentius Teupolus Venet. Dux. I. 48.
Leo III. Pont. Max. I. 2.
Leo IV. Pont. Max. I. 2., & III. *in Append.* 63.
Leo VI. Pont. Max. I. 4.
Leo VII. Pont. Max. I. 5.
Leo IX. Pont. Max. I. 5.
Leo X. Pont. Max. III. 122.
Leo Iſauricus Imp. III. 115.
Leonellus Marchio Eſtenſis Ferrariæ Dominus. I. 63. 64.
Leonardus Epiſc. Tergeſtinus. I. 90. II. 174.
Leopoldus Tyroli Dux. 2. 255.
Liutprandus Rex. I. 15.
Lotharius I. Imp. I. 2. 19. 21. & III. *in Append.* 63. 64.
Lotharius Ugonis Regis filius. I. 21.
Ludovicus Pius Imp. I. 2. 19. 21. 93., & III. *in Append.* 63. 64.
Ludovicus II. Imp. I. 3. 21., & 34.
Ludovicus III. Imp. I. 4.
Ludovicus Hungariæ Rex. I. 41. 63.
Ludovicus Andegavenſis Rex Neapolis. I. 40., & 41.
S. Ludovicus Francorum Rex. I. 93. 94.
Ludovicus XII. Francor. Rex. I. 27. 30. 68. 94. 294. & III. *in Append.* 70. 74.
Ludovicus Maria Sfortia Mediol. Dux. I. 27. 30., & III. *in Append.* 67. 74.
Ludovicus Sabaudiæ Dux. I. 83.
Ludovicus de Gonzaga Vicar. Imperialis Mantuæ. I. 69. 75.
Ludovicus Dux de Tech Patriarcha Aquilejenſis. I. 168. II. 117.
Ludovicus Mezzarota Scarampa Cardinalis, & Patriarcha Aquilejenſis. I. 53. 169. 2. 117.
Ludovicus a Turre Patriarcha Aquilejenſis. I. 168. II 115.
Ludovicus I. Salutiarum Marchio. I. 85.
Ludovicus de Melioratis Firmi Dominus. I. 65.
Ludovicus Ticcionus Decianæ Comes. I. 59.
Ludovicus Fliſcus Lavaniæ Dominus. I. 68.
Lupoldus I. Tiroli Comes. II. 176.

M

MAnfredus Siciliæ Rex. I. 38.
Maphæus Nicolaus Farſetti S. R. E. Cardinalis Ravennæ Archiep. III. 123
Marcus Barbadicus Venet. Dux. I. 49.
Marinus Grimanus Venet. Dux. I. 277.
Marquardus Patriarcha Aquilejenſis. I. 168. II. 115.
Marſilius Carrarienſis Patavii Dominus. I. 248.
Martinus I. Pont. Max. I. 3.
Martinus IV. Pont. Max. I. 65.
Martinus V. Pont. Max. I. 54.

Digitized by Google

Martinus de la Scala Veronæ Dominus. I. 88.
Mauricius Imper. III. 3.
Maximilianus Imper. III. *in Aopend.* 71.
Maximilianus Maria Sfortia Vicecomes Mediolani Dux. I. 30., & III. *in Append.* 68.
Meinardus Tiroli Comes. I. 95., & II. 175.
Michaël II. Venet. Dux. III. *in Append.* 11.
Michaël Dominicus Venet. Dux. III. *in Append.* 69.
Muſſus Beccaria Papiæ Princeps. I. 20.

N

Nicolaus I. Pont. Max. I. 3.
Nicolaus Marcellus Venet. Dux. I. 278., & 284.
Nicolaus Tronus Venet. Dux. I. 49., & 283.
Nicolaus II. March. Eſtenſis Ferrariæ Dominus. I. 62.
Nicolaus III. March. Eſtenſis Ferrariæ Dominus. I. 63., & 64.
Nicolaus Carrarienſis Patavii Dominus. I. 255.
Nicolaus Patriarcha Aquilejenſis. I. 168.
Nicolaus de Lucemburgo Patriarcha Aquilejenſis. II. 114.

O

Obizzo Marchio Eſtenſis Ferrariæ Dominus. I. 62.
Obizo Carrarienſis Patavii Dominus. I. 255.
Octavianus Riarius Comes Fori-Livii. I. 66.
Ordelaphus Falerius Venet. Dux. III. *in Append.* 11.
Otto M. Imper. I. 5. 19. 22. 31. & III. *in Append.* 64.
Otto II. Imp. I. 5. 19. 20., & 32.
Otto III. Imp. I. 32.
Otto IV. Imp. I. 33.
Ottobonus de Razzis Patriarcha Aquilejenſis. I. 167.
Ottobonus Robarius Patriarcha Aquilejenſis. II. 112.

P

Paganus a Turre Patriarcha Aquilejenſis. I. 167. II. 113.
Paſchalis I. Pont. Max. I. 2.
Paſchalis II. Pont. Max. I. 5.
Paulus II. Pont. Max. I. 50.
Petrus Sabaudiæ Comes. I. 82.
Petrus Gradenicus Venet. Dux. I. 48.
Petrus Mocenicus Venet. Dux. II. 161.
Petrus Polanus Venet. Dux. III. *in Append.* 11.
Petrus Zianus Venet. Dux. I. 47. 299.
Petrus Patriarcha Aquilejenſis. I. 51.
Petrus Gerra Patriarcha Aquilejenſis. I. 167. II. 112.
Petrus Luca Fliſcus Lavaniæ Comes. I. 68.
Philibertus II. Sabaudiæ Dux. I. 84.
Philippus Rex Romanorum. I. 74.
Philippus Audax Francorum Rex. I. 94.
Philippus Valeſius Francorum Rex. I. 94.
Philippus Sabaudiæ Princeps. I. 82.
Philippus II. Sabaudiæ Dux. I. 84.
Philippus Maria Vicecomes Mediol. Dux. I. 25. 26. 293., & III. *in Append.* 65. 66.
Philippus de Alanzon, ſeu Alenconius Patriarcha Aquilejenſis. I. 168. II. 115.
Pius II. Pont. Max. III. *in Append.* 64.

R

Radelchiſius Beneventi Princeps. II. 83.
Raimundus Patriarcha Aquilejenſis. I. 51.
Raimundus Capizucchius Romanor. Senator. I. 1. 10.
Raimundus a Turre Patriarcha Aquilejenſis. 167. II. 111.
Raynerius Zeno Venet. Dux. I. 47.
Renatus Dux Andegavenſis, & Neapolis Rex. I. 41., & 42.
Robertus Apuliæ Rex. I. 40.
Robertus Provinciæ, Comes Hjeruſalem, & Siciliæ Rex. III. *in Append.* 68.
Robertus Sfortia Aſculi Dominus. I. 54.
Rodulphus Burgundior. Rex. I. 19.
Rogerius I. Siciliæ Comes. I, 36.
Rogerius II. Siciliæ Comes, Dux, & Rex. I. 36.

Digitized by Google

S

Salvinus Turrianus Novariæ Dominus. I. 74.
Sergius II. Pont. Max. I. 2. III. *in Append.* 63.
Sergius III. Pont. Max. I. 4. 35., & III. *in Append.* 63.
Sergius IV. Pont. Max. I. 5.
Sicardus Princeps Beneventanus. I. 34.
Siconus Beneventi Princeps. I. 34., & II. 83.
Siconulphus Beneventi Princeps. I. 34.
Sigiſmundus Pandulphus Malateſta Arimini Princeps. I. 53. 68., & III. *in Append.* 70.
Sigiſmundus Auſtriacus Tiroli Comes. I. 95. II. 176 255.
Simon Buccanigra Januæ Dux. I. 68.
Sixtus IV. Pont. Max. I. 67.
S. Stephanus Hungar. Rex. III. *in Append.* 18.
Stephanus IV. Pont. Max. I. 2. 3. 4.
Stephanus V. Pont. Max. I. 4.
Stephanus Myſiæ Rex. III. *in Append.* 25.

T

Tancredus Siciliæ Rex. I. 37.
Tebaldus Comes de Sampagna. II. 185.
Thadeus de Pepulis Bononiæ Dominus. I. 56.
Theodatus Rex. I. 16., & 82.
Thomas I. Sabaudiæ Comes. I. 81.

V

Valentinianus Imper. III. 98. 100.
Ugo I. Rex. I. 21.
Volcherus, ſive Volfkerius Patriarcha Aquilejenſis. I. 51. 166., II. 109.
Volricus Tergeſti Epiſcopus. I. 96. II. 174.
Urbanus V. Pont. Max. I. 14. 56.
Urbanus VI. Pont. Max. I. 14.
Uroſcius Romaniæ Imperator. III. *in Append.* 16 18. 19.
Uroſius Serviæ Rex. I. 95.
a Wanga Fridericus Tridentinus Epiſcopus. II. 235.
Wido Imper. I. 4.
Witiges Rex. II. 82.

Digitized by Google

INDEX

PROVINCIARUM, URBIUM, ATQUE LOCORUM, UBI CUSÆ SUNT MONETÆ,

Quarum Formæ in hoc Opere exhibentur.

ANCONA . I. 50. III. *in Append.* 68.
ANGLIA . I. 6. 91.
AQUILA . I. 51.
AQUILEJA . I. 51. 166., & II. 79. 109. 187.
ARAGONIA . I. 92.
ARRIMINUM . I. 53. 68., & III. *in Append.* 69.
ARRETIUM . I. 53.
ASCULUM . I. 53.
ASTA . I. 54., & III. *in Append.* 70.
BENEVENTUM . I. 33. & II. 83.
BERGAMUM . I. 54.
BOEMIA . I. 92.
BONONIA . I. 54., & III. *in Append.* 71.
BRIXIA . I. 57., & 289.
CAMERINUM . I. 58., & III. *in Append.* 71.
CATTARUM . II. 166.
CHIO Insula . I. 92.
CLARENTIA . I. 92.
COCONATUM . III. *in Append.* 71.
COMUM . I. 58., & III. *in Append.* 72.
CORTONA . I. 59.
CREMA . III. *in Append.* 72.
CREMONA . I. 59.
DECIANA . I. 59.
DERTHONA . I. 59., & III. *in Append.* 73.
EUGUBIUM . I. 59.
FERRARIA . I. 61., & III. *in Append.* 73.
FIRMUM . I. 64.
FLORENTIA . I. 65., & III. *in Append.* 74.
FORUMLIVIUM . I. 66.
FRANCIA . I. 93.
GENUA . I. 67., & III. *in Append.* 74.
GORITIA . I. 210., & II. 176. & 178.
HUNGARIA . I. 94.
LAVANIA . I. 68.
LEUCUM . III. *in Append.* 74.
LUCA . I. 31.
MACERATA . I. 68.
MANTUA . I. 69., & III. *in Append.* 75.
MEDIOLANUM . I. 21. 29. 292., & III. *in Append.* 65. 66.
MESSERANUM . III. *in Append.* 75.
METAURUM . III. *in Append.* 75.
MIRANDULA . III. *in Append.* 76.
MONSFERRATUS . I. 72., & III. *in Append.* 75.
MUTINA . I. 72.
MYSIA . III. *in Append.* 15. 21.
NAVARRA . I. 92.
NEAPOLIS . I. 35. 37. & III. *in Append.* 68.
NOVARIA . I. 74., & III. *in Append.* 76.
PARMA . I. 74.
PATAVIUM . I. 75. 239., & II. 181.
PERUSIA . I. 76.
PISÆ . I. 77.
PISAURUM . I. 78.
PLACENTIA . I. 79.
PROVIN . II. 185.
RAGUSIUM . I. 194. II. 166.
RAVENNA . I. 15. II. 80. III. 92.
RECINETUM . I. 79.
REGIUM LEPIDI . I. 79., & III. *in Append.* 76.
RHODUS . I. 97.

Digitized by Google

ROMA . I. 2. II. 184., & III. *in Append.* 63.
SABAUDIA . I. 80. & III. *in Append.* 76.
SALERNUM . I. 33.
SALUTIÆ . 185. & III. *in Append.* 77.
SCLAVONIA . I. 95.
SCOTIA . I. 91.
SENÆ , ſive SENA . I. 75. , & III. *in Append.* 77.
SENOGALLIA . I. 86.
SERVIA . I. 95.
SICILIA . I. 36.
SPOLETUM . I. 86.
TARVISIUM . I. 86. II. 179.
TAURINUM . I. 87.
TERGESTE . I. 95. II. 174.
TICINUM , ſeu PAPIA . I. 18. 21. , & III. *in Append.* 64.
TIROLUM . I. 95. II. 175. 255.
TREVERI . I. 96.
TRIDENTUM . 2. 235. III. *in Append.* 7.
VENETIÆ . I. 47. 271. 299. II. 149. & III. *in Append.* 2., & 69.
VERONA . I. 87. II. 182., & III. *in Append.* 77.
VICENTIA . I. 88.
VIGLEVANUM . I. 88. & III. *in Append.* 77.
VOLATERRA . I. 89.
URBINUM . I. 90.. & III. *in Append.* 77.

Digitized by Google

DE MONETÂ,
SIVE JURE
CONDENDI NUMMOS
DISSERTATIO.

VErgente in declinationem Romanorum Imperio, atque Italiâ barbaris gentibus jam ſervire aſſuetâ, quomodo ſe res Nummaria habuerit, nunc mihi inquirendum. Et primo quibus Urbibus jus officinæ Monetariæ conceſſum fuerit, ediſſeram. Caput Imperii Roma, vel poſt in Orientem translatam a Conſtantino ſedem, vetuſtam retinuit prærogativam publicæ *Monetæ*: nunc appellamus *la Zecca*, cujus vocis originem vide in Diſſertatione XXXIII. *de Origin. Vocum Italicarum*. Monetæ, inquam prærogativam ſervaſſe deprehenditur ſaltem uſque ad tempora Heraclii Auguſti. Habentur Numiſmata Imperatorum poſt magnum Conſtantinum, uti & Gothorum Regum cum ſigno Romanæ Urbis, in qua fuere percuſſa, nempe R P. quod ſonat *Romæ percuſſa*: aut R M. ſive R O M. quod idem ſignificat: aut R O P S. ideſt *Romæ pecunia ſignata*. Unum tantummodo Nummulum argenteum proferam ſub Juſtino Minore Auguſto percuſſum, circiter Annum Chriſti DLXX. Illum vidi apud Cl. V. Dominicum de Conradis Sereniſſimi Ducis Mutinæ Mathematicum, ejuſque rei Tormentariæ Præfectum. In antica viſitur caput Auguſti diademate margaritis aut gemmis conſperſo coronatum, cum literis D N IVSTINVS PP. AVG. hoc eſt *Dominus Noſter Juſtinus Perpetuus Auguſtus*. In poſtica eſt Monogramma has literas præferens R A O S D. quas ſic interpretari liceat: *Romæ obſignatus Denarius*. Monetarii quoque, ſive Romanæ Monetæ Præfecti, Sæculis iis memorantur. Ita apud Gruterum pag. 1054. num. 8. in Inſcriptione Romana *Conſule FL. Herculano* ſcriptâ, ideſt Anno Chriſti CCCCLII. occurrit *Porphorus Primicerius Monetariorum*. An poſt Heraclii tempora, hoc eſt ab Anno Chriſti DCXL. apud Romanos fabrica Monetaria viguerit uſque ad tempora Caroli Magni, affirmare non auſim. Sed illud inter Eruditos jam exploratum eſt, videlicet poſtquam Romanis Pontificibus collata eſt temporalis poteſtas in Urbem & Ducatum Romanum, tunc eoſdem cœpiſſe, ac perrexiſſe diu ſignare Nummos, ſuo & Auguſtorum imperantium nomine in iis impreſſo. Et Imperatorum quidem nomen additum Scriptores Romani temporibus noſtris cenſent, quod Auguſti Eccleſiæ Romanæ Defenſores eſſent. Longe tamen firmior eorum ſententia eſt, qui id factum arbitrantur in ſignum ſupremæ dominationis, quam diu retinuere Auguſti in Urbe ipſa. Lucem heic nobis præbet exemplum Grimoaldi Principis Beneventani. Principatum illum ſeu Ducatum inſignem Carolus Magnus eidem ſubjecerat, ſed intactâ ſummâ poteſtate Regis. Ne de iſta Populus dubitaret, pacto Grimoaldum adegit, *ut Chartas, Nummoſque ſui Nominis*, ideſt Caroli, *characteribus ſuperſcribi ſemper juberet*. Grimoaldi Nummum ita ſignatum infra adferam. Idem quoque Romæ & in Chartis & in Nummis factum. Multum autem gratiæ ſibi conciliavit apud Eruditos Johannes Vignolius olim Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtos Libro edito Romæ Anno MDCCIX. in quem intulit quotquot potuit *antiquiores Pontificum Romanorum Denarios*. Aliquot etiam Le-Blancus dederat Romæ percuſſos in Tractatu *de Nummis Regum Francorum*. Collegit inſuper atque illuſtravit, quotquot potuit, Pontificios Nummos a Martino V. ad ſua uſque tempora P. Philippus Bonanni e Societate Jeſu. Tum ante paucos annos Xaverius Scilla eoſdem a Clemente V. ad noſtram uſque ætatem perduxit. Noviſſime verò doctiſſimus vir Benedictus Abbas Floravantes ad Nummos Vignolii recuſos nobilem acceſſionem fecit, & Pontificum Romanorum Numiſmata protulit uſque ad Paſchalem II. atque in ſpem nos etiam adduxit, alteram ab eo Syllogen nos accepturos, uſque ad Clementem VII. deductam.

Liceat nunc mihi in omnium commodum

Digitized by Google

ex eruditis iſtorum laboribus proficere, hoc eſt congerere huc quoſcumque veterum Pontificum (recentiorum Sæculorum omiſſis) ii evulgarunt, atque adjicere quos & ego ſum nactus.

ROMA ET ROMANI PONTIFICES.

PRimum Pontificium Denarium debemus prælaudato eruditiſſimo viro Abbati Benedicto Floravanti. Is ſane perquam rarus, magnique habendus. In antica viſitur Pontificis protome, cum literis in limbo: HADRIANVS PAPA. Utrinque eſt I. B. In averſæ medio Crux, & hinc inde R. M. Circumſtant literæ VICTORIA DNN. Inferius CONOB. Nulla mihi dubitatio eſt, quin Romæ percuſſus fuerit Nummus ab eodem Papa, qui Anno Chriſti DCCLXXII. Cathedram Petri aſcendit. Id indicant literæ R. M. ideſt *Romæ*. Jus cudendæ Monetæ jam accepiſſe videntur Romani Pontifices a Græcis Imperatoribus, uti deinde a Francis tot Epiſcopi impetrarunt. Sed quis adhuc Urbis Dominus foret, indicatur per ſiglas illas DNN. ſignificantes aut *Domini Noſtri*, aut *Dominorum Noſtrorum*, ſcilicet Imperatoris. Quid ſignificet I. B. aliis diſputandum relinquo. Digladiantur adhuc Eruditi in explicando CONOB. tam frequenter occurrente in eorum temporum Nummis. Ab hujuſmodi certamine ego lubenter abſtineo.

Secundi Denarii ectypon adeo mancum eſt, ut ad quem ſpectet, certo affirmare nequeamus. Ad *Hadrianum I. Papam* Vignolius illum refert literis ſuppletis. Sæculo quoque Nono Pontificiam Cathedram tenuere Hadrianus II. & III. Cur non iis potius tribuendus eſt Nummus?

Tertium profert Vignolius. *Leonem III.* Papam Monogramma prodit cum literis LEO. SCS. PETRVS. Altera Nummi facies exhibet CARLVS, & in Monogrammate IPAT. ideſt *Imperator*. Is eſt *Carolus* Magnus, circiter Annum Chriſti DCCCI.

Quartum Le-Blancus produxit. Vignolius verò attritas literas ita ſupplevit, quaſi ibi ſcriptum fuit CAROLO *R. LEO PP.* ideſt *Carolo Regi Leo Papa*. Verùm inſuetam ac peregrinam e uſmodi formulam numquam componas cum reliquis Nummis, Romæ, immo & alibi percuſſis. Vide etiam Caroli Magni Numiſmata a Le-Blanco edita, uti & quæ heic ſequuntur. Vix aliud conjicies heic deſiderari, niſi CAROL*VS IMP.* vel *IMP. AVG.* In poſtica legitur SCS. PETRVS. ROMA.

Quinctus Denarius a Vignolio productus et ejus conjectura tribuitur Stephano IV. Papæ. Monogramma exhibet nomen STEFANVS cum literis in limbo inſcriptis SCS. PAVLVS. In altera facie SCS. PETRVS. ROMA. Si quis verò contenderet, Denarium hunc pertinere potius ad *Stephanum VI.* aut VII. aut VIII. Romanos Pontifices: quanam, quæſo, ratione hanc ei conjecturam eriperes?

Sextus Denarius a Le Blanco evulgatus, in altera facie habet LVDOVVICVS IMP. ROMA. Is eſt Ludovicus Pius Auguſtus. In altera PSCAL. Ideſt *Paſcalis*, ſive *Paſchalis I.* Papa, circiter Annum Chriſti DCCCXVIII.

Denarii Septimus, Octavus, & Nonus a Le-Blanco, & caſtigatius a Vignolio editi, *Gregorii IV.* Papæ mentionem faciunt, & *Ludovici Pii Auguſti*, circiter Annum Chriſti DCCCXXX. In Septimo & Octavo legitur PP. GREII. ideſt *Papæ Gregorii*. SCS. PETRVS. In altera facie LVDOVVICVS IMP. PP. ideſt *Perpetuo*, uti Vignolius interpretatur; ſeu *Imperator Perpetuus*, ut ego. Ita enim nuncupati veteres etiam Imperatores in pluribus Inſcriptionibus apud Gruterum, Reineſium &c. In area additur PIVS, quod epithetum animadvertit idem Vignolius viventi Ludovico Auguſto tributum, quamquam id Mabillonius negaſſe videretur. In Denario Nono legitur quidem *Papæ Gregorii* nomen, & SCS. PETRVS. Altera Nummi facies habet HLOTHARIVS IMP. & in medio PIVS. Quare vides *Pii* titulum Ludovico ejus patri minime fuiſſe datum, veluti peculiare eximii illius Auguſti agnomen, quum & Lothario parum pio Auguſto tribuatur.

Decimus Denarius, a Floravante editus, ſpectat ad *Sergium II.* Papam. In medio legitur SER*gius Papa*. In ambitu ✠ SCS PETRVS. Poſtica habet ✠ HLOTHARIVS I*mPerator*, in gyro; & in area PIVS. Anno Chriſti DCCCXLIV. electus & ſacratus fuit Sergius II.

Undecimus Denarius apud Scillam & Floravantem, *Leonem IV.* Papam, & *Lotharium I.* Auguſtum, circiter Annum DCCCXLVIII. exhibet. In Monogrammate legitur LEO PAPA: in gyro SCS PETRVS. In altera facie HLOTARIVS IMPR. ideſt *Imperator*. Quænam autem in hiſce Nummis antica, quæ poſtica ſit pars, aliis decernendum relinquo.


Duodecimus & Decimus Tertius. Priorem dedit Le-Blancus, ſed non ſine vitiis: emendatum a Vignolio habemus, qui & alterum produxit. Ambo ſpectant ad *Benedictum III.*

Pa-


Digitized by Google

ROMANI PONTIFICES.

I




II




III




IV




V



VI




VII




VIII




IX



X



XI




XII



XIII



XIV




XV.


Digitized by Google

Tab. I I.

XV



XVI



XVII




XVIII



XIX




XX



XXI



XXII




XXIII



XXIV



XXV



XXVI



XXVII



XXVIII



XXIX.

Digitized by Google

Papam, & ad *Ludovicum II.* Imperatorem, circiter Annum Christi DCCCLVI. In primo legitur BENEDICT. P. ideſt *Benedictus Papa*, S. P. nempe *Sanctus Petrus*. In altera facie LODOVVICVS IMP. In medio Manus effigiata conſpicitur cum literis RO. quas ſi literis Manum componentibus adjungas, habebis RO-MANVS, ideſt *Imperator Romanus*. Vide qualibus ingenii luſibus tunc Roma delectaretur. Sed & nos vidimus ſuperiorem ætatem, hoc eſt Sæculum Decimumſeptimum, ejuſmodi nugis deditum. Alter Denarius a Le-Blanco, rectius a Vignolio productus, id proprium habet, nempe titulum PIVS nomini *Ludovici II. Imperatoris* adjunctum.

Decimumquartum, ac Decimumquinctum Denarium Vignolio debemus. Percuſſi fuere a *Nicolao I* Pontifice circiter Annum Chriſti DCCCLX. In primo Monogramma refert NICOLAVS. SCS PETRVS. & in altera parte legitur LVDOVVICVS IMP. ROMA, ideſt *Ludovvicus II.* Auguſtus. Alter Denarius habet tantùm ROMA.

Decimus ſextus Denarius a Le-Blanco perperam ſub Ludovico Pio productus, ac ſuo loco redditus a Cl. Vignolio, circiter Annum DCCCLXX. percuſſus fuit ab *Hadriano II.* Papa, cujus nomen in Monogrammate continetur ADRIANVS ſine aſpiratione, cum SCS PETRVS. Exhibetur in altera parte LVDOVVICVS IMP. ROMA. ſcilicet *Ludovicus II. Imperator*.

Decimus ſeptimus, Decimus octavus, Decimus nonus, & Vigeſimus a Vignolio editi *Johannem VIII.* Papam referunt. In Monogrammate primi IOHANNES, & SCS PETRVS occurrit. In averſa parte LVDOVVICVS IMP ROMA. Et heic laudatur *Ludovicus II.* Auguſtus, circiter Annum DCCCLXXII. In Denario ſecundo Monogramma ejuſdem Pontificis legitur, & ROMA. In tertio idem Monogramma habetur cum literis in limbo CAROLVS IMP. ideſt *Calvus*, aut *Craſſus*, uterque ab ipſo Johanne Papa Imperiali coronâ ornatus. Hunc Nummum Le-Blancus etiam attulit, & immerito Carolum Magnum ibi memoratum cenſuit, quod Monogramma Pontificium explicare nequiverit. In poſtremi Denarii Monogrammate ejuſdem Johannis VIII. nomen proſtat. Literæ circumſtant CANTVER ..... reliquis detritis. Legit Vignolius CANTVERBERIA, ideſt Cantuaria, præclara Angliæ Metropolis; atque hunc ille ſuſpicatur unum ex nummis in Anglia percuſſis, qui *Denarii Sancti Petri* ſunt appellati. Quippe Ina Rex circiter Annum Chriſti DCCXXX. cenſum Romanæ Eccleſiæ perſolvendum juſſit. Vereor tamen ego, ut tanta ſit ejus Cenſus antiquitas: qua de re aliquid innui in Diſſertatione LXIX. *de Cenſibus Romanæ Eccleſiæ*. Ad hæc animadvertit doctiſſimus Floravantes, deceptum fuiſſe Vignolium in hoc Denario explicando. Is nempe ſpectat ad Johannem IX. Papam; ibique legi LANTVERT. IMP. infra ad Num. XXX. videbis. Ceterum monendus eſt Lector, ab Hicheſio Part. III. pag. 181. Theſaur. Linguar. Veter. adferri Diſſertationem Andreæ Fountaine Oxonienſis, exhibentis Nummos *Sancti Petri*, ab altera inſigni Anglorum Metropoli, hoc eſt, ab Eboracenſi Civitate percuſſos. Hos & ego poſt ſeriem Nummorum veterum Pontificalium proferre ſtatui, ut infra videbis.

Denarium Vigeſimum primum argenteum ſuppeditavit mihi ex ſuo Muſeo peramicus vir Johannes Franciſcus Muſellius, Archipresbyter Cathedralis Veronenſis, cui etiam debeo complures alios Nummos in iſta Collectione legendos, quos ille mihi ſumma humanitate ad utendum conceſſit. Spectat is ad *Marinum I.* Papam, Anno Chriſti DCCCLXXXII. electum. Per Monogramma in media area exhibetur MARINVS. Circumſtant literæ SCS PETRVS. Altera facies habet CAROLVS, & in medio IPAR. ideſt *Imperator*. Is eſt Carolus Craſſus Auguſtus.

Vigeſimum ſecundum Denarium evulgavit Vignolius. Has literas præfert: MARINI PP. ideſt Denarius, ROMA. Conſpicitur in altera facie KAROLVS. SCS. PETRVS. Nummus percuſſus circiter Annum Chr. DCCCLXXXIII. quo ſedebat prælaudatus *Marinus I.* Papa. Atque hinc Vignolius errorem Scriptorum arguit, ſtatuentium iis diebus *Martinum Secundum Papam*, uti & ſubſequenti tempore *Martinum III.* pro *Marino II.*, unde tamdem *Martinus V.* is eſt appellatus, qui *Martinus* tantùm *Tertius* dicendus erat.

Denarium Vigeſimum Tertium debemus Abbati Floravanti, & refertur ad *Hadrianum III.* qui Anno Chriſti DCCCLXXXIV. in Cathedra Petri ſucceſſit. In Monogrammate legitur HADRIANI. In gyro SCS PETRVS. In averſa ✠ CAROLVS IMP. ideſt *Craſſus*, ROMA.

Denarii Vigeſimus quartus & Vigeſimus quinctus a *Stephano V.* Papa obſignati fuere circiter Annum Chriſti DCCCLXXXVI. Ex Monogrammate elicitur STEPHANVS, circumpoſitis literis SCS PETRVS. In eo quoque

Num-

Digitized by Google

Nummo visitur CAROLVS IMP scilicet *Crassus*. Monogramma Pontificis idem est in altero Denario cum literis SCS PETRVS. Tum in facie aversa legitur ROMA. SCS PAVLVS.

Denarius Vigesimus Sextus a Floravante productus, ad eumdem *Stephanum V.* Papam pertinet. In Monogrammate legitur StEPhANVS, & in ambitu ✠ SCS PETRVS. In aversâ facie habetur CAROLVS IPA, idest Carolus Crassus *Imperator*.

Denarius Vigesimus Septimus, parum a præcedenti absimilis, atque ab eodem Floravante editus, has literas præfert STEPHANVS, & in gyro ✠ SCS PETRVS. In altera facie est CAROLVS IMP. & in medio ROMA.

Denarius Vigesimus octavus exhibet *Formosum* Papam, percussus circiter Annum Christi DCCCXCII. Ejus nomen, uti & VVIDO IMP. cum literis ROMA, in Nummo perspicua sunt.

Denarius Vigesimus nonus a Floravante nobis oblatus, & ad eumdem Pontificem spectans, illius, aut Sancti Petri imaginem præfert cum literis S. P. hinc inde positis, scilicet *Sanctus Petrus*. In ambitu FORMOSVS Papa. In altera facie VVIDO IMP. ROMA.

Denarium Trigesimum Floravantes nobis exhibet, sub *Johanne IX.* Papa percussum. Electus is fuit Anno Christi DCCCXCVIII. In Monogrammate legitur IOHANnes. In ambitu ✠ LANTVERT IMP. In altera facie SCS PETRVS, cum ejus, aut Pontificis effigie. Hic idem est Nummus, quem supra ad Num. XX. a Vignolio accepimus, quasi spectantem ad Johannem VIII. Papam. At is ad Nonum est referendus, uti Floravantes animadvertit.

Denarii Trigesimus Primus, Trigesimus Secundus, & Trigesimus Tertius, a Vignolio editi, nobis produnt *Benedictum IV.* Papam, electum Anno Christi DCCCC. Percussi videntur insequenti Anno. Pontificis nomen in Monogrammate inclusum est. In altera facie primi & secundi legitur LVVDOICVS IMP. ROMA, videlicet *Ludovicus III.* Augustus.

Denarios Trigesimum quartum, ac Trigesimum quinctum evulgavit Floravantes. Ad *Sergium III.* Papam spectant, electum Anno Christi DCCCCIV. qui Pontificatum tenuit usque ad Annum DCCCCXI. In area primi Crux, & ROMA. In circuitu SERGIVS PP. In altera facie SCS PETRVS, cum illius, aut Sergii ejusdem effigie. Parum dissimilis est alter. Nomen Ludovici Augusti non occurrit in his Nummis, quia percussi fuere, postquam is dejectus, & oculis multatus ex Italia decedere coactus fuit, ceciditque illius imperium.

Denarius Trigesimus sextus ad *Anastasium III.* Papam pertinere creditur, quum ejus nomen ex Monogrammate elucere videatur. Si ita est, Denarius hic percussus fuit circiter Annum Christi DCCCCXII. quo nullum Imperatorem Roma agnoscebat.

Denarius Trigesimus septimus in altera parte refert *Johannem X.* Papam, qui Anno Christi DCCCCXIV. sedere cœpit. In altera scriptum BERENGARIVS (sic) IMP. ROMA: hoc est *Berengarius* Augustus, qui Anno DCCCCXVI. Imperiali coronâ Romæ ab eodem Pontifice redimitus fuit.

Denarius Trigesimus octavus argenteus Veronæ visitur in Museo prælaudati Johannis Francisci Musellii Archipresbyteri Cathedralis Veronensis. Quantum conjicio, spectat ad *Leonem VI.* Papam, Anno Christi DCCCCXXVI. electum. Monogramma ejus nomen exprimit, videlicet LEO PAPA. Circumstant literæ SCS PETRVS. In altera facie idem Monogramma cum literis SCS PAVLVS. At inquias: cur non potius ad Leonem III. Papam hunc Nummum refers? Quia ab illius Monogrammate istud differt; & præterea nulla heic Imperatoris mentio, quæ omitti minime consuevit. Sedentibus autem Leone VI. & Leone VII. quum nullus esset Imperator, neque ullum propterea illorum nomen adpositum fuit.

Denarius Trigesimus nonus a Floravante publici juris factus, cui perquam similis adservatur in Museo Muselliano Veronensi, spectat ad *Johannem XI.* Papam, qui Anno Christi DCCCCXXXI. solium Pontificium conscendit, nullo tunc Imperatore existente. Ibi legitur DOMnus IOANnES, & in medio PAPA. Altera facies signatur hisce literis SCS PETRVS.

Denarii Quadragesimus, & Quadragesimus primus, sub *Agapito II.* Papa percussi fuere. Is Anno Christi DCCCCXLVI. Pontificatum inivit. Signatum in primi Nummi gyro, atque in Monogrammate reperias ALBERICVS, qui non *Adalberti Marchionis Tusciæ ex Marozia filius* fuit, ut nonnulli sibi persuasere, a depravato Liutprandi textu decepti, sed quidem alterius *Alberici Marchionis & Consulis Romanorum*. Ejus autem facta est mentio in Nummo, postquam is *Principatum Romanæ Urbis*, ac supremam dominationem tyrannice arripuit, ac diu tenuit, dum nullus Imperatorum tunc numeraretur, neque ullum ipse pateretur ad tantæ dignitatis fastigium evehi. In altero Denario legitur AGAPITVS PAPa, ALBERICVS, & SCS PETRVS, cum protome ipsius, ut opinor, Pontificis.

De-

Digitized by Google

XXIX



XXX



XXXI



XXXII




XXXIII



XXXIV



XXXV



XXXVI



XXXVII



XXXVIII



XXXIX



XL



XLI



XLII



XLIII.


Digitized by Google

Tab. I V.


XLIII




XLIV



XLV



XLVI



XLVII




XLVIII




XLVIIII




L




LI



LII



LIII



Digitized by Google

Denarii Quadrageſimus ſecundus, & Quadrageſimus tertius a Vignolio producti, percuſſi fuere a *Johanne XII.* Papa. Alter, quum adhuc Imperium vacaret: ac proinde ibi tantùm legitur DOMNVS IOHAnnes PAPA. SCS PETRVS. ROMA. Similem huic a Floravante editum prætereo. Alter Anno Chriſti DCCCCLXII. quo *Otto I.* renuntiatus eſt Romanorum Imperator, ſeu ſerius percuſſus fuiſſe creditur. Propterea ibi quoque occurrit OTTO IMPERATOR. Sed fortaſſis hic Nummus ad *Johannem XIII.* Papam, Anno DCCCCLXV. electum referendus eſt, quum diverſi plane ſint horum Nummorum typi, atque ibi vultus Imperatoris adoleſcentis occurrat, non ſenis, qualis fuit Otto I.

Denarii Quadrageſimus quartus, & Quadrageſimus quinctus, nobis *Leonem VIII.* Papam commemorant, qui Anno Chriſti DCCCCLXIII. Pontificatum iniit, literis iis LEONI (pro Leonis) PAP. OTTO, ideſt *Otto Magnus* Auguſtus. In altera facie protome viri cum literis P. S quas Vignolius interpretatur *Petrus Sanctus*. Si tamen vir ille Myſtacibus ornatus Coronam quoque radiatam præferret, uti ſubducere videtur, alia interpretatio adhibenda foret. In altero tantùm legitur DN. LEONI PAPE. SCS. PETRVS, atque ad ipſum *Leonem VIII.* pertinere Vignolio creditur.

Denarius Quadrageſimus ſextus a ſæpe laudato Vignolio percuſſus creditur a *Benedicto V.* Papa, Anno DCCCCLXIV. conjecturâ quidem laudabili, non tamen certâ ratione. Sed quia Nummi hujus typus apud Vignolium injuriam temporis ſenſit, eumdem accipe Num. ſubſequenti integrum, qualis adſervatur Veronæ in Muſeo Muſelliano.

Denarius itaque Quadrageſimus ſeptimus nobis exhibet effigiem *Benedicti V.* vel *VI.* vel *VII.* Papæ, cum literis BENE. PP. In averſa facie ROMA. SCS. PETRus. OTTO, vel Primus, vel Secundus Auguſtus.

Denarium Quadrageſimum octavum debemus Floravanti. Is ad *Johannem XIII.* Papam, Anno Chriſti DCCCCLXV. electum pertinet. Legitur ibi in circuitu DOMnus IOHAnnes PAPA. In area OTTO. In altera facie SCS PETRVS, & in area Manus.

Denarius Quadrageſimus nonus ab eodem Floravante productus, referendus videtur ad *Benedictum VI.* Papam, qui Anno Chriſti DCCCCLXXII. ſacratus fuit Pontifex. Ibi in area legitur D*ominus* BE*nedictus* P*apa*. In ambitu OTTO IMPE*rator* ROM*anorum*. Altera facies imaginem Pontificis, ſive Principis Apoſtolorum exhibet cum literis *Sanctus* PE*trus*. Ad hunc eumdem Papam doctiſſimus Floravantes pertinere putat Denarium, quem ſupra dedi Num. XLVII. & ipſe quoque ex ſuo Muſeo profert. Sed ectypon a præcedenti diverſum, hac de re dubitare me cogit.

Denarius Quinquageſimus pertinere creditur ad *Benedictum VII.* Papam, Anno DCCCCLXXV. electum. In Monogrammate legitur BENEDICTVS, & in literis circumpoſitis SCS PETRVS APoſtolus. In averſa OTTO IMP. ROM. ideſt *Otto II.* Auguſtus.

Denarius Quinquageſimus primus ad *Sergium IV.* ſpectat, electum Anno Chriſti MVIIII. a Floravante evulgatus. Tunc Imperium vacabat. In area Monogramma ejuſdem Pontificis cum literis SALVS PATRIAE. In averſa legitur ROMA ✠ SCS PETRVS.

Denarius Quinquageſimus ſecundus, a Floravante editus ad Sanctum *Leonem IX.* Papam, qui Anno Chriſti MXLIX. Pontificatum iniit, ſpectat. Legitur in area LEO P. in ambitu SCS PETRVS. Altera facies habet HENRICVS IMP. ROMANORV, ideſt *Henricus III.*

Denarius Quinquageſimus tertius Floravantis curâ ad nos pervenit. Ad *Paſchalem II.* Papam refertur, qui Anno MXCIX. in Cathedra Petri ſucceſſit. Legitur ibi PASCHALIS PP. II. eademque inſcriptio in altera facie habetur, ſed literis retrogradis. Eſt Nummulus bracteatus, & quidem ſingularis.

Subjicere nunc juvat Nummos Anglicanos, quos ex Diſſertatione Andreæ Fountaine depromtos antea pollicitus fui. Opinatur idem Scriptor, cuſos eos fuiſſe Eboraci, auctoritate potius illius Archiepiſcopi, *ad quem*, ait, *pertinebat jus cudendi Monetam tam in uſum communem, quàm in Tributum Papæ ſolvendum*. Tum addit, nullos ex ejus generis Nummis reperiri in ditione Papali: ex quo inferri poſſe videtur, non in eum finem percuſſos, ut Pontificibus Romanis perſolverentur. Sed quum in iis Nummis EBORACE CIV, ideſt *Eboracenſis Civitas* inſcripta appareat, cur Archiepiſcopo tribuendi ſint, non video. Certe *Sancti Petri Moneta* diſerte Nummi illi appellantur: quæ verba vix aliter explicare poſſis, quàm Tributum Eccleſiæ Romanæ pendendum, & quod reapſe olim eidem Eccleſiæ pendebatur. Temporis autem edacitas, & conflatores antiquæ pecuniæ, quorum genus numquam deſideratum eſt, in cauſſa fuere, cur non ii tantùm Nummi in agro Romano, atque in Britannia ipſa pœne defecerint, aut perquam rari appareant, ſed & alii innumeri antiquorum Sæcu-

Digitized by Google


lorum aut perierint, aut adhuc deliteſcant.

Primum Nummum hæ literæ exornant : SCI PETRI MO*neta*. *Partem averſam non intelligo*, addit Fountaine. Ne ego quidem.

In Secundo par Inſcriptio, ſcilicet SCI PETRI MO*neta*. Alterius faciei inſcriptio tenebris ſcatet, nempe ERIVIITM. *Has literas explicare non poſſum*, inquit Fountaine. Idem repeto & ego, niſi legendum ſit E. CIVIT. M. ideſt *Eboracenſis Civitatis Moneta*.

Subſequentes Nummi Tertius, Quartus, Quinctus, Sextus, & Septimus, ad *Eboracenſem Civitatem* ſpectant.

ROMA.



Atque hactenus veterum Romanorum Pontificum Nummi ab Eruditis viris accuratiſſime, & cum ſinceritate non omnibus uſitatâ evulgati. Cur nulli per tria ferme Sæcula in poſterum ab ipſis Romanis Pontificibus cuſi compareant (neque enim ullum ad ea tempora pertinentem novi) turbis tribuendum reor, quæ poſtea inter Romanos Pontifices, & Imperatores emerſerunt, ac deinde inter ipſos Pontifices, ac Romanorum Senatum. Priora diſſidia nemo non novit. Porro circiter Annum Chriſti MCXLII. Romanus Populus ab Arnaldi Brixiani hæreſiarchæ verbis ſeductus, rebellionem contra Petri Succeſſores juſtos Urbis dominos primum inſtituit, Rempublicam nempe, atque Senatum, prout antiquis temporibus fuerant, reſtituere auſus. Diu perduravit hic furor, & non ſemel compoſitus, identidem ſub variis Pontificibus in novam flammam exarſit, donec poſt multa tempora felix dies hiſce motibus finem impoſuit. Romani inter eas turbas Monetæ quoque Romanæ jus & uſum, aut numquam interruptum arripuere, aut jamdiu obſoletum reſtituerunt. In Chartis Romanis ante ea tempora memorantur *Libræ auri*, *Denarii Papienſes*, *Lucenſes*. Immo iis ipſis temporibus ejuſdem Lucenſis pecuniæ mentio occurrit in Urbe, uti fidem faciet Charta, quam ex Codice MSto Cencii Camerarii deſcripſi.

De Plazano & Marano pignori obligatis Eugenio III. Papæ a Rainerio Girardi Comitis filio, pro quadraginta duabus Libris Lucenſis Monetæ. Anno 1147.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Quadrageſimo Septimo, Indictione XI. Menſe Junii, die II. temporibus Domini Eugenii III. Papæ. Manifeſtus ſum ego Rainerius Girardi Comitis filius, *quod vobis* Domino meo Eugenio, *Dei gratiâ* ſummo Pontifici, *& Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, pro quadraginta duabus* Libris Denariorum Lucenſium, *quas negotiatoribus abſtuli, ea, quæ in Planzano & in Mairano mei juris habeo intus vel foris, jure pignoris obligo, cum introitibus & exitibus, illorumque utilitatibus. Tali videlicet pacto, ut ſi a præſenti die uſque ad Nativitatem Domini præſentem ego vel mei heredes, vel ſi ſine heredibus deceſſero, Tancredus, vel ſui heredes, vel ſi ſine heredibus deceſſerit, Offreducii filii, vel illorum heredes, ſupradictos Denarios non reddiderimus; ſupradicta pignora habeatis, iiſdemque pro velle fruamini, quouſque ſupradictam pecuniam ego vel mei heredes teſtamentarii, vel legitimi ſolvemus. Si verò ad prædictam diem Nativitatis non reddiderimus, fructuumque moleſtiam vobis, vel veſtris Catholicis Succeſſoribus fecerimus, duplum componere promittimus ego, vel mei heredes vobis, vel veſtris Catholicis Succeſſoribus. Sin autem ego, vel mei heredes teſtamentarii, vel legitimi, vobis vel veſtris Catholicis Succeſſoribus ſupradictam pecuniam ſolvere parati erimus, & accipere nolueritis, noſtrâ auctoritate in ſupradictis pignoribus ingredi nobis ſit licitum.*

✠ *Signum manus Rainerii, qui hanc Chartulam ſcribere rogavit.*

Signa manuum Seneballi Ruberti filii, & Vicecomitis Vetrallæ, & Fuſconis Pontii filii, & Warnerii de Biterbio, Guidonis Rollandi filii: qui rogati ſunt teſtes.


Ego Petrus Judex Vetrallæ hanc Chartam pignoris ſcripſi atque complevi.

Atqui circiter ipſa tempora in uſu eſſe cœpit (cœpit, inquam, neque enim antea illius mentionem invenio) *Affortiatorum* pecunia; qui nempe, ſive Solidi, ſive Denarii, videant Eruditi, cuſi-ne fuerint antea, an ab ipſo Romæ Senatu. Commemoratam conſpice in tribus Chartis, ex eodem Regeſto depromtis, ejuſmodi pecuniam. Char-


Digitized by Google

NUMMI ANGLICANI.

I



II




III




IV




V



VI



VII




NUM-

Tab. VI.

NUMMI A ROMANO SENATU PERCUSSI.















Digitized by Google

Chartula de Petroniano, pro ducentis Libris obligato pignori Ecclesiæ Romanæ. Anno 1146.

IN nomine Domini Jesu Christi. Anno ejus Incarnationis Millesimo Centesimo Quadragesimo Sexto, temporibus Domini Eugenii III. Papæ, Anno ejus Secundo, in Mense Decembri, die VI. Indictione X. Certum est, me Girardum Comitem de Vetralla *propriâ & spontaneâ meâ voluntate obligavisse vobis* Domino meo Eugenio Papæ, *vestrisque canonicis Successoribus pro pignore in summa ducentarum Librarum, unum Castrum meum, quod vocatur Petronianum, cum omnibus finibus & reditibus suis, & accessionibus suis, & generaliter cum omnibus, quæ ad ipsum Castrum pertinere videntur; ut ab hac præsenti die jure hypothecæ sit vobis libera facultas in supradictum Castrum introëundi, habendi, possidendi, tenendi, fruendi usque ad illud tempus, quo ego jam dictus Girardus Comes, vel mei heredes a vobis Domino meo Eugenio, vestrisque canonicis Successoribus supradictum Castrum a nexu pignoris liberaverimus. Quod si ego supradictus Girardus Comes, vel mei heredes aliquo tempore pro suprascripto Castro agere, litigare, causari voluerimus per nosmetipsos, vel per submissam aliquam nostram personam facere tentaverimus, ab omni insurgenti homine jure defendere noluerimus, aut non poterimus: tunc componere promittimus nos nostrosque heredes vobis Domino nostro Eugenio, vestrisque canonicis Successoribus, nomine pœnæ* Centum Libras Infortiatorum: *& post solutam pœnam hæc Chartula nomine hypothecæ, firma permaneat, quam scribendam rogavimus Guinizonem, Dei gratiâ Judicem, coram testibus infra scriptis, in Mense & Indictione suprascripta.*

Landulfus, rogatus testis.
Litolfus, rogatus testis.
Presbyter Willermus testis.
Oderisius de Vetralla, rogatus testis.
Bonus, rogatus testis.

Ego Winizo Judex rogatus scribere hujusce modi Chartulam scripsi & complevi.

Chartula venditionis duorum Molendinorum, apud Sanctam Christinam positorum, facta a filio Ugolini Comitis de Calmaniare, Hadriano IV. Papæ, Anno 1157.

IN nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo Quinquagesimo Septimo, Anno Tertio Pontificatus Donni Adriani IV. Papæ, Indictione VI. Mensis Octobris die XI. Nos Aldibrandinus & Bernardinus filii quondam Ugolini Comitis de Calmaniare, *vendimus, & publice per hoc Instrumentum corporaliter tradimus tibi* Adriano Papæ, *a Deo decreto summo Pontifici, & universali Papæ, tuisque catholicis Successoribus, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ in perpetuum ad veram hereditatem, perpetuamque proprietatem, idest duo Molendina in integrum, cum ferratura & cunciatura sua, & aquæductu eorum, & omnibus pertinentiis suis, posita ad Sanctam Christinam in loco, qui dicitur Bulsum, sicut inter suos conclauduntur fines, qualiter nobis pertinent, jure hereditario, vel quolibet modo, taliter sicut dictum est, ad proprietatem vendimus, & tradimus pro* Centum nonaginta Libris Affortiatorum, *quos nobis pro toto pretio dedistis in omnem veram decisionem. Et ab odierna itaque die licentiam & potestatem habeatis intrandi, tenendi, utendi, fruendi, dorandi, commutandi, & quicquid volueritis, ad proprietatem faciendi. Nos autem & nostri heredes defendere promittimus ab omni homine, si necesse fuerit. Quod si contra hæc, quæ dicta sunt, quolibet modo venire attentaverimus, & cuncta, quæ dicta sunt, non observaverimus; & si opus & necesse fuerit, & si ea defendere noluerimus, tam nos quàm nostri heredes componamus vobis vestrisque Successoribus pro pœna supradicta pretium duplum; & solutâ pœnâ, hæc venditionis Chartula perpetuo firma permaneat. Quam scribendam rogavimus Andream Scriniarium in Mense & Indictione supradicta VI.*

✠ *Signum manuum supradictorum Aldebrandini & Bernardini filiorum Ugolini de Calmaniare hujus Chartulæ rogatorum.*

Johannes Bonus Domni Papæ Marescallus: Bibianus de Sancto Apostolo: Petrus Riccius:

Don-

Digitized by Google

Donnellus, Narnienſes. Beraldus de Thebaldo: Rodulfus de Senioretto: Guido de Bono-Dei: Octavianus Anaſtaſii: Carboncellus, de Radicofano. Wicardus: Rolandinus: Particarius, de Ferentino. Ilditius Judex: Rainerius Trigintaeoſtæ. Milites Tuſci, Fortisguerra: Bernardinus filius Willelmi: Ranutius de Bernardino: Willelmus de Montorio: Aldrevandinus de Drudulo: Rolandus de Ezzolo: Buccaneccla: Ruſticus de Erminola: Arlottus de Belizzo, teſtes.

Ego Andreas Scriniarius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ſacri Lateranenſis Palatii complevi & abſolvi.

Chartula de medietate unius Molendini apud Sanctam Chriſtinam, quod acquiſivit Domnus Hadrianus IV. Papa, Anno 1158.

IN nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Octavo, Anno IV. Pontificatus Domni Adriani IV. Papæ, Indictione VII. Menſe Octobri, die Lunæ. Nos germani, ego Maſſutius, & Bernardus, & Rainerius in manu Alexii Pincernæ & Yconomi Domni Adriani ſummi Pontificis, *refutationem facimus de medietate unius Molendini, cum omni utilitate, & cum omni acceſſione & ingreſſione ad ipſum Molendinum pertinente, ut amodo Adrianus ſummus Pontifex & ejus Succeſſores vel Nuntii eorum, liberam habeant poteſtatem poſſidendi, & faciendi quicquid neceſſe fuerit ſine noſtra & heredum noſtrorum contradictione. Unde meritum accepimus*; vigintiduas Libras Affortiatorum *in pretium accepimus. Inſuper ſtipulatione firmamus, quod ſi nos germani ſupradicti vel noſtri heredes hanc refutationem & tranſactionem de ſupradicti Molendini medietate, quod eſt ædificatum in Burgo Bulſeni in Rivo capite prope Lacum, rumpere, aut litigare tentaverimus, tunc unuſquiſque noſtrum* decem Libras Afforciatorum *ſupradictæ Curiæ, aut ejus Nuntio componat, & refutatio & tranſactio firma ſtabiliſque permaneat.*

In præſentia G. Orbevetani Epiſcopi, & G. Præpoſiti Sanctæ Chriſtinæ, & Presbyteri Petri, Presbyteri Azzonis, & Domini Milonis de Radicofano, & Gregorii Corani Judicis, & Thebaldi Orbevetanæ Eccleſiæ Archidiaconi, & Johannis ejuſdem Eccleſiæ Primicerii, & Arlotti, & Perticarii, & Stephani, & Ildibrandi Succani, & Guaſco, & multorum aliorum, qui ibi aderant.

Ego Pingarius rem geſtam ſcribere rogatus ſcripſi.

Itaque *Affortiati*, & *Infortiati* (quod idem eſt) appellati fuere Denarii illi ab *Affortiare*, quod eſt *Munire*, *Firmare*, *Fortificare*. Romanum autem Populum uſurpaſſe revera jus auri aut argenti publice ſignandi, elucere poteſt e concordia Anno Chriſti MCLXXXVIII. initâ inter Clementem III. Papam, & Senatum Populumque Romanum, quam dabo in Diſſertatione XLII. *de Cognominum origine*, ubi Romani ajunt: *Ad præſens reddimus vobis Senatum; & Urbem, & Monetam* (ideſt *la Zecca* Italice). *Tamen de Moneta habebimus tertiam partem*. Sed hunc dominandi pruritum, quem ægre Populus Romanus deponebat, facillime etiam, quoties ſeſe occaſio offerebat, retumere conſuevit. Propterea quæ pecunia deinceps in Chartis Romanis ſæpe legitur *Provenientium*, ſive *Proviſinorum*, de qua ſermo erit in Diſſertatione ſubſequenti, *pecunia Senatus* appellabatur. *Libra* quoque *Parvenſium Senatus*, niſi ſit corruptus is locus, ſe mihi offert in Charta, nobis ab eodem Cencio ſervata.

Digitized by Google

Instrumentum de quadam renuntiatione seu refutatione, quam fecit Domino Papæ Honorio III. Pandulfus filius quondam Johannis Petri de Judice. Anno 1217.

IN nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Ducentesimo Decimo Septimo, & Anno Primo Pontificatus Domini Honorii III. Papæ, Indictione V. Mense Aprili die XXII. Ego quidem Pandulfus filius quondam Johannis Petri de Judice, ante præsentiam Dominorum Magistrorum, scilicet Fortis, Domini Papæ Notarii, & Bartholomæi, Romanæ Curiæ Advocati, & subscriptorum testium, ad hoc specialiter rogatorum, propria mea voluntate renuntio, & in omnibus & per omnia causâ transactionis generaliter refuto vobis verò Dominis Pandulfo Norwicensi Electo, & Sinibaldo Domini Papæ Honorii Camerariis, *mandatariisque & procuratoribus ejusdem, ad hoc specialiter constitutis, ad opus & utilitatem ipsius Domini Papæ Honorii & successorum ejus, atque totius Romanæ Ecclesiæ perpetuo, idest omnem litem & petitionem, quam denotato Domino Papæ Honorio feci, petii, petere vel facere potui, videlicet de universis expensis, quas tempore mei Senatus de mandato quondam Domini Innocentii Papæ III. feci, tam in custodiendis Stratis undique in circuitu, quàm in custodia diversarum Urbium, Turrium, quas meas ad manus de consilio Virorum prudentum pro pace & quiete sancti Synodi vel Concilii, seu in aliis, quæ ad pacem & securitatem venientium ad Urbem, erant necessaria, tenui; easque mihi dictus olim Dominus Papa cum munere reddere ac restaurare promisit. Quodcumque itaque jus, & quamcumque actionem personalem & in rem, sive hypothecam, quod, quamve hactenus adversùs dictum Dominum Papam Honorium, & totam Romanam Ecclesiam, & in omnibus ejus bonis & possessionibus habeo, habui, vel habere quoquo modo possem, tam scilicet jure vel occasione prædictarum impensarum, quas, ut dictum est, feci, quàm etiam cujuslibet promissionis quorumlibet datorum, tam pro damni restauratione quàm aliter modo quolibet mihi, vel alii pro me factæ a dicto olim Domino Papa, vel ab alio pro eo, & generaliter undecumque & quomodocumque adversùs dictum Dominum Papam Honorium, & totam Romanam Ecclesiam, respectu cujuslibet rei vel causæ, petere vel litigare, seu modo quolibet inquietare possem usque in hodiernum diem vobis, ut dictum est, pro eo procuratorio nomine in omnibus & per omnia generaliter refuto, nulla mihi in aliquo facta penitus reservatione. Pro eo quod vos procuratorio nomine pro dicto Domino Papa Honorio, & de pecunia ejusdem Cameræ, mihi pro omni meo jure prædictarum impensarum & aliorum quorumlibet datorum vel promissi, interventu quoque & laudatu Dominorum scilicet* Stephani *Dei gratiâ* Sanctorum Apostolorum Presbyteri Cardinalis, & Comitis Ricardi, *atque Johannis Bobonis, electorum Arbitrorum a prædicto Domino Papa, & a me, etiam compromisso pœnæ* mille Librarum Parvensium Senatus, *datis atque persolvitis* ducentas Libras bonorum Parvensium Senatus. *De quibus omnibus, & de omni meo jure bene quietum me voco, & non solutæ pecuniæ exceptione omnino refuto. Ideoque amodo dictus Dominus Papa & Successores ejus de hac causa quieti semper & pacifici maneant, eosque ab omni persona de hac causa semper indemnes conservare, vobis, ut dictum est, pro eo procuratorio nomine, sub pœna totius præfixæ pœnæ dupli nomine plejariæ promitto. Novissime autem pro me & meis heredibus & Successoribus vobis pro dicto Domino Papa & ejus Successoribus procuratorio nomine, ut dictum est, hanc refutationem, & quæ dicta sunt, omnia observare, defendere & adimplere nomine plejariæ & principalis obligationis promitto sub pœna totius prædictæ pecuniæ duplæ. Et solutâ pœnâ hæc Chartula firma permaneat; quam scribere rogavi Johannem Leonis Scriniarium in Mense & Indictione suprascripta V.*

Testes Petrus Capocia, & Petrus Nicolatri, *Domini Papæ Uscerii.* Johannes Sancti Angeli; Bonusenior Marchionis; Johannes Sancti Germani.

Ego Johannes Leonis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarius, habens potestatem dandi tutorem & curatorem, emancipandi, etiam decretum interponendi, & alimenta decernendi, complevi & absolvi.

Et sane Sæculo eodem Tertiodecimo Nummi visuntur tum aurei, tum argentei, Romæ percussi decreto Senatus, iisque *Senatoris*, ac ipsius *Senatus* nomen impressum. Atque heic mihi præsto fuit doctissimus vir Franciscus Valesius, cujus in Romanæ præsertim & barbari-

Digitized by Google

cæ Philologiæ ſtudio ſcientiam ac judicium non Urbs tantùm ſuſpicit, ſed quicumque eruditionis cauſsâ Romam petit. Itaque is monuit, Romanorum Senatorem Anno Chriſti MCCLII. fuiſſe *Raimundum Capizucchium*, cujus etiam Nummus aureus ſupereſſe videtur num. I. In ejus antica ſtat Chriſtus, Librum lævâ tenens, ſtellulis circumdatus, cum Epigraphe: VOT. S. P. Q. R. ROMA CAPVT M. ideſt *Mundi*. In poſtica Sanctus Petrus vexillum porrigit viro genibus flexis accipienti, cum veſte Senatoria, & birreto in capite. Addita eſt inſcriptio: S. PETRVS SENATOR VRBIS. In imaſcuti parte fortaſſis inſpicienda ſe offerunt inſignia Familiæ Capizucchiæ cum faſcia tranſverſa. Ad hæc idem humaniſſimus Valeſius duûm variorum Nummorum ectypon ad me miſit, quos heic infra editos volo. In primo Nummo, num. II. protome Urbis viſitur, dexterâ pomum, lævâ palmam tenentis, literis circumpoſitis ROMA CAPVT MVNDI. In alteraſacie Leo ſignatus eſt, cum Literis BRANCALEO S. P. Q. R. Fuit hic *Brancaleo de Andalò*, ſive Andaloi filius, civis Bononienſis, Doctor, & Eques Auratus, atque Senator Urbis. In Annalib. Genuenſib. Caffari Lib. 6. Tom. VI. Rer. Italicarum, Genuenſium Prætor fuiſſe dicitur Anno Chriſti MCCXXV. *vir nobilis Brancaleo de Bononia filius Andalonis*. Illum ipſum reputaſſem, qui poſtea Senatorem Romanæ Urbis geſſit, niſi Hiſtoricus ad eumdem Annum mortem ejuſdem retuliſſet. Quare is fuerit avus, aut pater alterius Brancaleonis Romanorum Senatoris. Quo Anno iſte ampliſſimo illo munere functus fuerit, diligentiſſime inveſtigavit prælaudatus Valeſius, multiſque Hiſtoricorum erroribus hac in re deprehenſis, tamdem evicit, Brancaleonem Anno Chriſti MCCLIII. Senatorem Romæ proceſſiſſe, Matthæi Pariſii Auctoris ſynchroni auctoritate præcipue fretus, qui recurrente Natali Domini Anni MCCLIII. nuntiata hæc Regi fuiſſe ſcribit: *Menſe Auguſti Romani elegerunt ſibi novum Senatorem, Civem Bononienſem, virum juſtum & rigidum, Juriſque peritum, qui noluit electioni de ſe factæ quomodolibet conſentire, niſi ſecurum eum facerent, quod tribus annis contra Statutum Urbis ſtaret in ipſius Senatus potentia*. Ita in Londinenſi Editione Pariſii Anno MDCLXXXVI. pag 741. Britanni a Natali Domini novum Annum inchoabant: quare ea Regi nuntiata fuere ſub finem Anni MCCLII. In eamdem ſententiam convenit Auctor Hiſtoriæ Miſcellæ Bononienſis, a me editæ Tomo XVIII. Rer. Italicarum, cujus hæc verba ſunt ad Annum Chriſti MCCLII. *In quello Anno Meſſer Brancalione di Andalò da Bologna fu eletto Senatore di Roma, e partiſſi con una bella compagnia, e andò al ſuo viaggio*. Scilicet is Anno MCCLII. electus, Anno ſubſequenti Urbem rexit. Auctor Vitæ Innocentii IV. Papæ, Tom. III. Rer. Italicar. pag. 592. eadem confirmat, ſcribens: *Illo tempore Romani quemdam Militem Bononienſem, Brancaleonem nomine, pro triennio in Senatorem Urbis elegerunt*. Itaque ſub eo percuſſus eſt Nummus.

Quinque ſubſequentes Nummos, a Romano Senatu percuſſos, mihi ſuppeditavit e Collectaneis MStis Clariſs. olim Viri Franciſci Blanchinii peramicus vir Johannes Franciſcus Muſellius ſupra laudatus. Diverſa Senatorum Inſignia unum ab altero diſtinguunt. Ceterum præcedentibus ſimiles ſunt, neque explicatione indigent.

Alios præterea Nummos a Romano Senatu variis temporibus obſignatos evulgavit Clariſs. Floravantes in P. II. de antiquis Romanorum Pontificum Denariis, quos utpote præcedentibus ſimiles omitto.

Præterea invenio eodem Sæculo Chriſti Tertiodecimo, Romæ in curſu fuiſſe *Denarios Paparinos*, quorum mentio occurrit in ſubſequenti Charta, quam mihi ſuppeditavit ſæpe laudatum Regeſtum Cencii Camerarii.

Pre-

Digitized by Google

Promiſſio & obligatio Syndici Caſtri Centumcellarum ſuper Cenſu annuo *quinquaginta Librarum Paparinorum* Romanæ Eccleſiæ ſolvendarum, Anno 1291.

IN nomine Domini, amen. Anno Nativitatis Dominicæ Milleſimo Ducenteſimo Nonageſimo Primo, Indictione IV. Pontificatus Domini Nicolai Papæ IV. Anno III. Menſis Januarii, die II. intrante. In præſentia mei Notarii & teſtium ſubſcriptorum, Jacobus Saxi de Caſtro Centumcellarum, Syndicus & Procurator Hominum & Univerſitatis dicti Caſtri, ad infraſcripta ſpecialiter conſtitutus, coram venerabili viro Domino Nicolao Domini Papæ Camerario & Notario perſonaliter conſtitutus, Inſtrumentum ſui Syndicatus exhibuit, tenoris & continentiæ infraſcriptæ.

In nomine Domini, amen. Anno Nativitatis ejuſdem MCCXCI. tempore Domini Nicolai Papæ IV. die XXV. Menſis Decembris, Indictione IV. Congregato Conſilio ſpeciali & generali & univerſali Parlamento Hominum & Univerſitatis Caſtri Centumcellarum, de mandato diſcreti viri Petri Baſſeji de Urbe, Caſtellani Caſtri ſæpedicti, ad ſonum campanæ, & vocem præconis, ut moris eſt, ipſe Caſtellanus cum voluntate, auctoritate, atque decreto dicti Conſilii & univerſalis Parlamenti dicti Caſtri, & dictum Conſilium & Parlamentum cum voluntate, auctoritate, atque decreto dicti Caſtellani, fecerunt, conſtituerunt, & ordinaverunt Jacobum Saxi de eodem loco, præſentem & ſuſcipientem, eorum Syndicum & Procuratorem & Nuntium ſpecialem, ad petendum & ſupplicandum ſanctiſſimo Patri & Domino, Domino Nicolao divinâ providentiâ Papæ IV. quod Caſtrum Centumcellarum, quod ad Romanam Eccleſiam pertinet pleno jure, faciat immediate in temporalibus per ipſius Cameram regi ac etiam gubernari, ita quod Univerſitas & Homines dicti Caſtri, ſicut ipſius Eccleſiæ ſubditi ſpeciales, non teneantur, nec compelli poſſint, alicui vel aliquibus aliis, niſi Camerario Domini Papæ, qui pro tempore fuerit, vel Caſtellano, qui per Dominum Papam, vel ipſius Cameram ad cuſtodiam & regimen dicti Caſtri fuerit deputatus, in temporalibus reſpondere, laudabilibus ac approbatis conſuetudinibus, & ſtatutis Hominum dicti Caſtri, quæ non ſint contra honorem & juriſdictionem Romanæ Eccleſiæ, integraliter reſervatis eiſdem. Et ad offerendum & promittendum nomine Univerſitatis & Hominum ejuſdem Caſtri, & pro ipſis propter hoc ſpecialiter venerabili Magiſtro Nicolao de Trebis Domini Papæ Camerario & Notario recipienti & ſtipulanti nomine & vice Domini Papæ & Eccleſiæ prælibatæ, nomine Cenſus quinquaginta Libras Paparinorum, *per eos vel ipſorum Procuratorem annis ſingulis infra quindenam a Die Nativitatis Dominicæ numerandam in perpetuum Cameræ ejuſdem Eccleſiæ, ubicumque Romana Curia fuerit in Terris ipſius Eccleſiæ, cum effectu ſolvendas. Si verò eadem Curia extra Terram reſederit ſupradictam, præfatam pecuniæ quantitatem perſolvent Theſaurario Patrimonii per Eccleſiam ordinato, ſalvis & plenarie Domino Papæ & Eccleſiæ Romanæ omnibus aliis juribus & juriſdictionibus, quas in præfato Caſtro ac ejus territorio dignoſcitur obtinere. Dantes & concedentes eidem Procuratori plenum & ſpeciale mandatum, jurandi in animas Hominum & ſpecialium perſonarum Univerſitatis Caſtri prædicti, prædicta omnia habere firma, rata, & ea integraliter obſervare; promittentes mihi Notario recipienti & ſtipulanti nomine & vice Domini Papæ & ejus Camerarii, omnia & ſingula ſupradicta, & quicquid in hac parte per eumdem Syndicum ſeu Procuratorem ipſorum actum, promiſſum, & geſtum exſtiterit, ſeu etiam procuratum, ſub obligatione & hypotheca omnium bonorum Univerſitatis ejuſdem Caſtri, & ſingularium perſonarum ipſius, ſe inviolabiliter ſervaturos, ac etiam impleturos.*

Actum in Centumcellis, ſub Porticu Sancti Jacobi in Platea Communis, præſentibus Domno Leonardo Priore Sanctæ Mariæ de Valle de Centumcellis, Presbytero Joanne Canonico dictæ Eccleſiæ, Domino Tancredo de Monte Cozono, Alberto Domini Raynerii de eodem loco, Magiſtro Cazato Notario, Magiſtro Leone Notario, & Magiſtro Janne Simeonis, Rectoribus Terræ prædictæ, Jacobucio Scolare Sancti Nicolai, & Giliolo Petteno, teſtibus ad hæc rogatis.

Et ego Johannes Rubeus, olim Bartholomæi, auctoritate Almæ Urbis Præfecti Notarius, & nunc dicti Capellani & Univerſitatis Caſtri prædicti Scriba, prædictis omnibus interfui, & rogatus ſcripſi, & publicavi, meoque ſigno ſupra ſignavi.

Unde

Digitized by Google

Unde Jacobus Saxi ejuſdem Caſtri Cancellarius, Syndicus prælibatus ex vigore & auctoritate præſcripti Syndicatus, pure ac libere, ſecumque plena deliberatione præhabitâ, Syndicario & procuratorio nomine Hominum & Univerſitatis Caſtri Centumcellarum, per legitimam ſtipulationem promiſit eidem Domino Camerario ſtipulanti & recipienti pro Domino Papa & Succeſſoribus ſuis, & Romana Eccleſia, & ejus Camera, ex nunc in antea dare & ſolvere cum effectu ſingulis annis eidem Cameræ, ubicumque Romana Curia in Terris Eccleſiæ fuerit, alioquin Theſaurario Patrimonii Beati Petri in Tuſcia, inibi pro Romana Eccleſia deputando, quinquaginta Libras Paparinorum, *infra quindenam Nativitatis Dominicæ, ad indicium perceptæ protectionis & exemtionis ab eodem Domino Papa, videlicet, quod Homines & Univerſitas dicti Caſtri Centumcellarum a juriſdictione Rectoris Patrimonii Beati Petri in Tuſcia, ejuſque Officialium, qui pro tempore fuerint, ſint exempti, & quod de cetero ſub tutela & protectione Cameræ Sedis Apoſtolicæ ſpecialiter permanentes, de juribus Eccleſiæ Romanæ debitis, eidem Cameræ dumtaxat, & nulli alii reſpondere teneantur. Ac illum recipient ſine contradictione qualibet in Rectorem, qui ad eorum & dicti Caſtri regimen de Domini Papæ conſcientia fuerit per eamdem Cameram ſpecialiter deputatus, laudabilibus conſuetudinibus & Statutis Hominum & Univerſitatis Caſtri præfati non præjudicantibus juriſdictioni ac juribus, quæ præfata Eccleſia in Caſtro prædicto, ejuſque territorio plenarie obtinet, prout prædictæ Sedis Camerarium ſingulis annis corrigi & ordinari contigerit, reſervatis eiſdem, ſecundùm modum & formam, quem, & quam idem Dominus Papa in Apoſtolicis Literis ſuper protectione ac exemtione prædictis conficiendis exprimendum duxerit vel exprimendam. Inſuper promiſit Syndicus ſupradictus nomine, quo ſupra, eidem Domno Camerario ſtipulanti & recipienti pro Domino Papa, ejuſque Succeſſoribus, Romana Eccleſia, & ejus Camera, quod quoties dictum Commune ceſſare contigerit in ſolutione, ut præmittitur, dictarum* quinquaginta Librarum Paparinorum, *toties nomine pœnæ ſolutis ipſis quinquaginta Libris, alias quinquaginta Libras ejuſdem monetæ integre perſolvet Cameræ memoratæ. Quæ omnia & ſingula idem Syndicus nomine dicti Communis, & ipſum Commune promiſit attendere & obſervare facere, & integrum adimplere, ſub obligatione bonorum omnium Hominum, & Univerſitatis ejuſdem Caſtri, mobilium & immobilium, præſentium & futurorum, & ſub pœna dupli dictæ quantitatis: quâ pœnâ ſolutâ vel non, nihilominus omnia & ſingula, quæ in hoc Inſtrumento continentur, in ſua permaneant firmitate. Et ad majorem firmitatem omnium prædictorum idem Syndicus & Procurator nomine ac vice ſua, & ſingulorum Hominum prædictæ Univerſitatis, quorum Syndicus & Procurator exiſtit, juravit tactis ſacroſanctis Evangeliis, omnia & ſingula ſupradicta plene ſine fraude facere attendere, obſervare, & facere obſervari ſine fraude & dolo.*

Actum apud Urbemveterem in Camera, in qua prædictus Domnus Camerarius morabatur, præſentibus Fratribus Hugone & Johanne Macarii Mareſcalcis familiæ Domini Papæ, Domino Onufrio de Trebis Canonico Virdunenſi, Paulo Caſellæ de Reate, Borgarucio de Peruſio, Magiſtro Johanne Draconis, Johanne Rubeo Notario Centumcellenſi, & Octaviano Raynerii, teſtibus ad hæc rogatis.

Et ego Jacobus Piſani de Viterbio, Apoſtolica auctoritate, & nunc Cameræ Domini Papæ Notarius, præmiſſis interfui, & ea rogatus ſcribere, fideliter ſcripſi &c.


Quid autem *Paparina* pecunia fuerit, incompertum mihi fateor. Aut ab Inſigni gentilicio (nunc *Arme* appellamus) Senatoris, nomen inditum Denariis: fortaſſis enim *Anſerculum*, quem *Papero* Italica Lingua nuncupat, ille pro Inſigni gerebat. Aut ab ipſius Senatoris nomine aut agnomine *Paparone* nobilem virum inſcriptum reperio in Muſivo Romano ſequioris ævi, quod Ciampinius ære inciſum dedit Tom. I. pag. 82. Uſque ad initium Sæculi XIV. deſiderantur Nummi juſſu Romanorum Pontificum percuſſi. Mirum tamen foret, ſi Bonifacius VIII. vir grandis animi neglexiſſet illuſtrem hanc ſui Principatus prærogativam, quando Benedictus XI. ejus Succeſſor jure hoc ſuo uſus deprehenditur. Porro, ex quo in Gallias, atque Avenionem a Clemente V. Curia Romana translata fuit, novimus, tunc in primis a ſummis Pontificibus ſignatam fuiſſe pecuniam. Et quoſdam quidem e Nummis ibi percuſſis ſervavit nobis, publicique juris fecit Baluzius in Vitis Paparum Avenionenſium; quos propterea huic Operi in commodum Eruditorum adjunctos volo. Ad hæc Anno MDCCXV. Xaverius Scilla Librum de *Nummis Pontificiis* a Clemente V. uſque ad Clementem XI. Romanis typis impreſſum edidit, nullo tamen addito eorum ectypo. Denique Benedictus Floravantes a me ſupra laudatus argumentum hoc uberius illuſtravit altero Libro poſt ejus mortem a Philippo fratre edito. Ex ejus

la-

Digitized by Google

ROMANI PONTIFICES.

I




II



III




IV




V




VI




VII




VIII



IX



X



XI




XII



XIII



XIV




XV.

Digitized by Google

Tab. VIII.

XV



XVI



XVII



XVIII



XIX



XX



XXI




XXII




XXIII




XXIV



XXV



XXVI



XXVII



XXVIII



XXIX.

Digitized by Google

labore & ego proficiens, inde hausi, quæ visa sunt consentanea instituto meo.

Itaque Primus Nummus æreus, a Scilla & Floravante productus, hisce literis signatus est PP. BENEDICT. VN. cum Cruce in medio, ideſt *Papa Benedictus Undecimus*, vir singularis sanctitatis, qui Anno Christi MCCCIII. ad solium Pontificale evectus fuit. In postica duæ Claves erectæ cum literis hisce circumpositis S. PETR. PATRIMONIVM.

Secundus Nummus, qui primus est inter editos a Baluzio, *Clementem V.* Pontificem exhibet, sacrâ Tiarâ ornatum, dexterâ benedicentem, & sinistrâ gestantem Crucem, cum epigraphe CLEMENS PAPA QVINTVS, qui Anno Christi MCCCV. electus fuit. In alterâ Crux aream implet cum duobus limbis circum. Brevior has literas præfert COMIT. VENASINI, ideſt Comitatus Venayssinus, seu Vindascinus in Provincia, cui jam dominabatur Ecclesia Romana. Latior limbus habet AGIM: TIBI: GRA: OMNIPOTENS DE: nempe *Agimus tibi gratias*, *Omnipotens Deus*. Supra visuntur geminæ Claves, insignia Romanæ Ecclesiæ.

Tertius Nummus, a Baluzio productus, & apud D. Vercellinum Mariam Vicecomitem, exhibet protomen Romæ supra duos Leones insidentis, nisi sub ea figura Faldistorium, aut sellam designatam potius opineris. Hæc ibi inscriptio IOHES PAPA XXII. COMIT. VENASINI. Altera facies Crucem in area habet, foliis ornatam in extremitatibus, cum lemmate AGIM: TIBI: GRA: OMNIPOTES DEVS. Solium Pontificium conscendit *Johannes XXII.* Anno Christi MCCCXVI.

Quartus a Floravante productus & ad eundem Pontificem spectans exhibet in anteriori parte imaginem S. Johannis Baptistæ promissis capillis & barba, prolata dextera, sinistra baculum tenet, in cujus apice Crux est. In superiori parte nummi Mitra Pontificia teniis utrinque pendentibus & literæ S. IOHANNES B. In aversa parte lilium, & in circulo duæ parvæ claves decussatæ cum epigraphe SANT. PETRV.

De hoc nummo egi in Dissert. XXVIII. ubi animadverti complures Principes industriam Florentinorum in cudendis florenis æmulatos fuisse, atque inter eos Johannes XXII. ob quam causam Johannes Villanius de eo conquestus est.

Quinctus argenteus, Scillæ visus, & a Floravante editus, Papam eumdem præsefert sedentem, cum literis PP. IOHANNES. In altera facie aream Crux occupat, circumpositis hisce literis SALVE SCA CRVX.

Sextus Nummus æreus apud eumdem Scillam, & Floravantem Cruce in medio positâ insignitus est cum Epigraphe circumducta PP. IOHANNES. In posticæ limbo VIGESIMVS SEC. & in area VDS. ideſt *Secundus*.

Septimus æreus, cujus est mentio apud eumdem Scillam & Floravantem, Claves duas erectas habet cum literis IOES PAPA XXII. In aversa parte Crux cum ista epigraphe PATRIM.' DIV.' PE.' ideſt *Patrimonium Divi Petri*. Invecta quippe jam fuerat consuetudo appellandi Sanctos *Divos*, minime a Sancto Augustino laudata.

Octavus æreus Nummus in Museo Bertacchinio Mutinæ, Pontificis effigiem nobis offert, dextrâ gestantis geminas Claves, & sinistra Crucem, cum literis PP. IOHES XXII. In postica visuntur itidem Claves cum literis S. ECCLIE ROME, hoc est *Sanctæ Ecclesiæ Romanæ*.

Nonus, qui Tertius est inter editos a Baluzio, spectat ad *Benedictum XII.* electum Anno Christi MCCCXXXIV. In cathedra insidet Pontifex, manu Pastoralem baculum tenens, cum literis BENEDITVS. Aversa facies, Crucem in area habet, hisce literis circumdatam PP. DVODECIMO.

Decimum Nummum publici juris fecit Floravantes. Ibi Crux cum literis PP. BENEDITVS XII. ex adversa facie binæ Claves visuntur. Circumstant literæ PATRIM. S. PETRI ✠

Undecimus, Baluzio Quartus, pertinet ad *Clementem VI.* Papam, Anno Christi MCCCXLII. electum. Ejus effigies cernitur cum literis CLEMS PP. SEST. Claves quoque ibi visuntur. In postica Crux cum literis COMES VENESI. ac rursus Claves. In latiori limbo AGIMUS TIBI. GRAS OMNIPOTES DEVS.

Duodecimus Nummus item argenteus apud Scillam & Floravantem visitur. Ibi figura Papæ sedentis, cum literis CLEMENS PP. SEXTVS. Aversa pars duas Claves decussatas habet, & hanc epigraphen: SANCTVS PETRVS E PAL. ideſt, *& Paulus*.

Decimus tertius quoque argenteus apud Scillam & Floravantem ostendit Clementem ipsum Papam sedentem, cum Literis CLEMS PP. SEXTS. In postica Crux literas intersecans, & quatuor paria Clavicularum, cum epigraphe SANTS PETRVS.

Quartus decimus Nummus, qui est Quinctus inter Baluzianos, exhibet effigiem *Innocentii VI.* ad Pontificium thronum Anno Christi MCCCLII. evecti. Insidet & ipse supra duos

Digitized by Google

leones, seu verius sellam, aut faldistorium, cum hac epigraphe INNOCEN. PP. SEXTVS. Altera facies Crucem præfert, in cujus angulis quaterna Clavium paria visuntur. Circumstant literæ SANTVS PETRVS.

Decimum quintum alterum ejusdem Innocentii nummum protulit Floravantes. Ibi imago S. Petri in Cathedra sedentis Pontificia veste induti cum nimbo, & dextera Claves tenentis. Circum literæ SANTVS PETRVS in area postica Tiara Pontificia triplici corona exornata. Subtus binæ Claves decussatæ cum literis INNOCENTIVS PP. SEXTVS.

Decimus sextus, Baluzio Sextus, effigiem præfert *Urbani V.* Papæ, Anno Christi MCCCLXII. electi, & supra sellam sive leones sedentis, cum epigraphe VRBANVS. PP. QVNTS. Postica binas Claves in area habet cum literis circumpositis SANCTVS PETRVS.

Decimus septimus argenteus Nummus penes nobilem Jurisconsultum Forosempronienſem Joachini, Auditorem Rotæ Bononienſis, effigiem Papæ exhibet cum literis VRBA. V. PP. ideſt *Urbanus V. Papa*. In area posticæ V.R.B.I. Circumstant literæ IN ROMA. Scilicet Nummus percussus, quum Anno MCCCLXVIII. idem Urbanus magnifice Romam ingressus fuit, Avenione illuc profectus.

Decimum octavum argentum Nummum Scilla evulgavit. Ibi idem Pontifex sedet, hisce literis distinctus: VRBANVS PP. QVNTS. In aversa parte duæ Claves decussatæ cum literis FACTA IN ROMA.

Decimum nonum argenteum Scillæ & Floravante prælaudatis debemus. In eo visitur Papa sedens cum epigraphe VRBAN. PP. QVNTS. Altera facies habet Crucem cum quatuor paribus clavium, & literis SANTVS PETRVS.

Vigesimus æreus apud Floravantem. Ibi Mithra in medio, & in circulo duæ Claves cum literis VRB. PP. QNTS. Postica habet in area Crucem cum duobus paribus Clavium, & literis per gyrum S. M. T.' PET.' E PAS.

Vigesimum primum argenteum Scilla & Floravantes protulere. Ibi protome ejusdem Papæ cum literis VRB. PP. QVITS. In aversa parte S. PET. E PAL. ideſt *Sanctus Petrus & Paulus*. Adduntur in area literæ ad modum Crucis V. R. B. I.

Vigesimus secundus argenteus: a Scilla editus, hanc epigraphen præfert: VRBAN QVNTS. In medio Mithra cum literis suppositis V. PP. ideſt *Universalis*, aut *Urbis Papa*. Postica pars Crucem exhibet cum duabus Mithris, & duobus paribus clavicularum decussatarum. Adduntur literæ in limbo SANCTVS PETRVS.

Vigesimus tertius, qui est Septimus inter Baluzianos, *Gregorium XI.* Papam electum Anno Christi MCCCLXXI. nobis ostendit. Ibi epigraphe GREGORS PP VNDEC. In altera facie geminæ Claves decussatæ, & SANTVS PETRVS.

Vigesimum quartum argenteum Scilla & Floravantes indicavit. Protomen Papæ exhibet cum duabus rosulis, & literis GG. PP. VND. Postica habet IN ROMA & in medio V.R.B.I.

Vigesimus quintus argenteus a Scilla & Floravante editus protomen Papæ ostendit cum literis GG. PP. VND. Apponitur Corona Regia. Aversa pars habet IN ROMA. & V.R.B.I.

Vigesimus sextus eidem Gregorio Papæ tribuitur a Scilla. Ibi protome Pontificis cum clavicula, duabus rosulis, & literis S. PETRVS. In postica DE ROMA. & literæ V.R.B.I. & geminæ rosulæ. Est & alter similis sine clavicula, sed cum T. in antica & postica.

Vigesimus septimus argenteus apud Scillam, & Floravantem spectat ad *Urbanum VI.* Papam, Anno Christi MCCCLXXVIII. electum. Visitur ibi figura Papæ sedentis, cum epigraphe VRBANVS PP. SEXTVS. Altera facies habet Crucem & quatuor paria Clavicularum decussatarum, ac literas SANCTVS PETRVS.

Vigesimus octavus, qui est Octavus inter Baluzianos, pertinet ad *Clementem VII.* Antipapam electum Anno Christi MCCCLXXVIII. Illic visitur ejus effigies cum literis CLEMENS PP. SEPTIVS. In postica Claves & lemma SANCTVS PETRVS.

Vigesimus nonus argenteus, a Scilla productus, sedentem exhibet Clementem ipsum cum hac Epigraphe CLEMENS PP. SEPTIMVS. Postica habet duas Claves decussatas cum literis SANCTVS PETRVS ET PAVLVS. Alter Nummus similis visitur apud Floravantem, ubi pro *Septimus* legitur SEPTIVS.

Trigesimus alter Nummus apud Floravantem exhibet Tiaram Pontificiam, cui subest insigne gentilitium cum literis CLEMENS PP. SEPTIVS. In altera S. Petrus cum literis S. PETRVS APOSTOLVS.

Trigesimus primus apud eumdem, Tiaram Pontificiam exhibet triplici corona, ac teniis pendentibus ornatam: utrinque parvæ Claves decussatæ. In altera Claves cancellatim dispositæ & alligatæ cum literis SANCTVS PETRVS ET PAVLVS.

Tri-

Digitized by Google

XXIX



XXX



XXXI



XXXII



XXXIII



XXXIV



XXXV



XXXVI



XXXVII



XXXVIII



XXXVIII



XXXIX



XL



XLI



XLII.


Digitized by Google

Tab. X.







R A V E N N Æ.






















Digitized by Google

Trigesimus secundus argenteus apud Scillam pertinet ad *Bonifacium IX.* Papam, electum Anno Christi MCCCLXXXIV. Visitur Papa sedens cum epigraphe BONIFA. PP. NONVS. In aversa parte cifra ad formam incudis, & geminæ Claves decussatæ cum literis SANCTVS PETRVS.

Trigesimus tertius argenteus a Scilla editus, Papam sedentem exhibet cum literis BONIFATI. PP. NONVS. Altera facies habet SANCTVS PETRVS. Inter literas conspicitur caput Mauri hominis, atque in area sunt geminæ Claves decussatæ.

Trigesimum quartum argenteum Scilla evulgavit. Ibi protome Pontificis & epigraphe BONIFAT. PP. N. Postica habet IN ROMA, & literas ad formam Crucis V. R. B. I.

Trigesimum quintum argenteum Scilla protulit, cum Pontificis ejusdem protome ac literis PP. B. NONVS. In postica DE MACERATA, atque in medio A. Itaque percussus fuit in Civitate Maceratæ.

Trigesimus sextus apud Scillam, æreus, Triregnum exhibet cum literis in limbo B. PP. NONVS. Aversæ partis aream Crux occupat cum literis DE FIRMO. A Firmanis cusus est hic Nummus.

Trigesimus septimus, qui est Nonus inter Baluzianos, exhibet *Benedictum XIII.* Antipapam electum Anno Christi MCCCXCIV. Ibi spectare potes illius effigiem, & inscriptionem BENEDICT PP TRDEM. ideſt *Tertius decimus*. In postica Claves cum literis SANTVS PETRVS ET PAVLVS.

Trigesimus octavus argenteus a Scilla recensetur. Ibi Papa sedens cum literis INNOCENTIVS PP. VII. Is fuit electus Anno Christi MCCCCIV. In postica duæ Claves decussatæ, & SANCTVS PETRVS. Alter similis visitur, addito capite hominis Mauri, & duobus asteriscis à Floravante editus.

Trigesimus nonus apud Scillam, quoque argenteus. Papa ibi sedet cum eadem epigraphe INNOCENTIVS PP. VII. Aversa pars habet SANCTVS PETRVS. S. P. Q. R. & duas Claves decussatas cum asteriſco. Videtur Nummus cusus a Senatu Populoque Romano Anno Christi MCCCCV. quo vir pacificus & mitis ob Nepotis truculentum facinus fugam arripere coactus, Romanis resumendæ auctoritatis locum reliquit. Alter similis Nummus visitur sine insignibus a Floravante editus.

Quadragesimus Nummus argenteus Veronæ adservatus ab amico viro Johanne Franciſco Musellio, spectat ad *Gregorium XII.* Papam electum Anno Christi MCCCCVI Ibi visitur Papa sedens, & epigraphe GREGORIVS PP. XII. In postica geminæ Claves decussatæ, & SANCTVS PETRVS. cum capite Mauri.

Quadragesimum primum argenteum Scilla evulgavit præferentem *Johannem XXIII.* Papam electum Anno Christi MCCCCX. Visitur figura Papæ sedentis cum literis IOVANNES PP. XXIII. In aversa parte Claves decussatæ, & SANCTVS PETRVS. Alter similis Nummus exsistit cum capite hominis Mauri. Tertius quoque similis occurrit, additâ *Coxâ*, quæ illius Insigne gentilicium fuit.

Quadragesimus secundus Nummus aureus apud Floravantem. In antica Tiara Pontificia, & infra stemma, cui epigraphe hæc additur: IOHES. PP. VIGESIMVS III. In postica duæ Claves decussatæ, & SANTVS PETRVS ET PAVLVS. cum insita inter Claves litera R.

Quadragesimus tertius proditur a Floravante aureus Nummus. In antica habet stemma cum Tiara, & IOHES VIGEXIMVS III. In postica S. Petrus dexterâ Clavem, sinistrâ Librum tenens, & literis in circuitu S. PETRVS APOSTOLVS.

Sunt & alii Nummi Pontificii a Panvinio, Ciacconio, & Victorello evulgati, quorum legitimitatem quum præstare nequeam, propterea omitto. Quod si Numismata a Martino V. Papa usque ad Innocentium XI. quisquam desiderat, Molineti Parisiensis hac de re Librum consulat; immo celebre opus adeat V. Cl. Philippi Bonanni e Soc. Jesu, qui duobus Tomis Anno MDCXCIX. Romæ impressis, longe plura produxit atque illustravit. Denique Clarissimi Floravantis Liber postumus merces hujusmodi omnium accuratissime exposuit. Hac de causa iis rursus imprimendis tempero.

RAVENNA.

AD *Ravennam* me confero. Illustris hæc Civitas Anno Christi CCCCII. Sedes Imperii Occidentalis constituta ab Honorio Augusto, ex eo saltem tempore Monetariæ officinæ decore frui cœpit. Apud Du-Cangium visitur ejusdem Honorii Nummus cum literis RV. P. S. quas siglas eruditi interpretantur *RaVennæ Pecunia Signata*. Alter quoque a Johanne Tyranno post Honorii mortem percussus easdem literas præfert. Neque ulla mihi dubitatio, quin & sub Odoacre Turcilingorum Rege, tum sub Theoderico, Athalarico, Theodahato, Witige' & Baduila Gothorum Regibus ab Anno Christi CCCCLXXVI. ferme usque ad DXL.

eadem

Digitized by Google

eadem prærogativa, uti Romæ, ita & Ravennæ perſeverarit. Odoacris nullos Nummos vidi: unum tantummodo Theoderici Romæ cuſum ſub oculis habui. Rariſſimum tamen fruſtulum antiquitatis ad inclytum illum Regem pertinens exeram, quod Mutinenſi ex Urbe in ſuum Muſeum intulit Cl. V. Apoſtolus Zenus, antiquorum monumentorum venator indefeſſus, hoc eſt Nummum æreum (ita tantiſper appellare liceat) quadrangularis formæ, non minoris craſſitudinis, quàm Numiſmata majoris moduli. In altera facie leguntur literæ iſtæ D N. THEODERICI. In alterâ una tantùm litera viſitur, ſed exeſa, formam T referens, quæ fortaſſis eſt initialis nominis Theoderici, & Coronâ laureâ, ſeu querceâ circumdatur. Duplex heic rarum occurrit. Alterum, quod in exteriori limbo Nummi (Italice *nel contorno*) literæ iſtæ leguntur: CATVLINVS V. C. ET I..... L.....P. F. V. Alterum, quod tum ipſius *Theoderici*, tum *Catulini* nomina literis conſtant in ære cavatis, atque argento oppletis. In nomine Theoderici adhuc fere omnes literæ ſuperſunt; e *Catulini* nomine præter duas aut tres, quæ remanent, reliquæ exciderunt, ſuperſtite earum veſtigio in ære. Ex illuſtri ac nobiliſſima Familia Catulinus iſte fuit, utpote quæ Anno Chriſti CCCXLIX. Conſulem dedit *Aconium Catullinum*; neque enim diverſa mihi nomina ſunt *Catullinus*, & *Catulinus*. Tulit etiam Præfectos Urbi, Proconſules, alioſque aliis muneribus primariis functos, quorum mentio eſt in Codice Theodoſiano, atque in aliis veterum monumentis. Apollinaris Sidonius Lib. I. Epiſtol. XI. auctor eſt, *temporibus Auguſti Majorani*, ſcilicet circa Annum Chriſti CCCCLX. Satyricam Chartam Arelate diſſeminatam fuiſſe. *Accidit caſu, ut Catullinus Illuſtris tunc ab Arvernis illo veniret* &c. Eſt & ejuſdem Sidonii Carmen Duodecimum *ad Virum Clariſſimum Catullinum*. Uti notum eſt, circiter Annum CCCCLXXXII. Apollinaris Sidonius diem ſuum obiiſſe creditur. Habes autem in Nummo, circiter Annum Chriſti CCCCXCIV. percuſſo, *Catulinum V. C.* qui & in literis exeſis appellatus videtur INLVSTRIS & PRAEF. VRB. Erat enim *Illuſtris* titulus præcipue tributus Præfectis Urbi. Niſi idem ſint Catulinus a Sidonio memoratus, & hujus æreæ tabellæ auctor, veri tamen ſimile eſt, hunc filium illius fuiſſe. Ceterum non inter Nummos reponendum eſt hoc monumentum, ſed quidem inter Teſſeras, ſive Donaria publica, quæ in honorem Principum, veniâ ab eis factâ, a privatis parabantur, eorumque die natali, aut aliâ ſolemni occaſione, diſtribuebantur amicis. Reliquorum Regum Gothorum, qui Italiæ dominati ſunt, Numiſmata protulere Octavius Strada, & Du-Cangius in Conſtantinopoli Chriſtiana. Ego ea tantùm heic evulgata volo, quæ vidi in Muſeo Reverendiſs. P. D. Alexandri Chiappinii Abbatis Canonic. Regular. Lateranenſ. Placentiæ, qui ſolicito ſtudio quotquot hactenus potuit, collegit. Quod præcipue in hiſce Nummis adnotandum, ibi conſpicitur effigies *Juſtiniani I.* Auguſti cum epigraphe, nomine Gothorum Regum in literis dumtaxat ſignato, ſed abſque illorum effigie: quæ conſuetudo verbis Procopii confirmatur, ita ſcribentis de Francorum Regibus Lib. 3. Cap. 33. de Bello Gothico: *Nummos cudunt ex auro Gallico; non Imperatoris, ut fieri ſolet, ſed ſuâ impreſſos effigie. Monetam quidem argenteam Perſarum Rex arbitratu ſuo cudere conſuevit; auream verò æque ipſi, neque alii cuipiam Barbarorum Regi, quamvis auri domino, vultu proprio ſignare licet.* Itaque Juſtiniani nomen in Gothorum Nummis impreſſum, ſat aperte oſtendit, eos adhuc agnoviſſe ſupremum Romani Imperatoris dominium: quod & in Pontificiis Denariis factum ſupra animadvertimus. An Theodericus huic legi ſeſe ſubmiſerit, ignotum mihi eſt. Eum fortaſſe formidanda illius potentia ejuſmodi onere levavit. At reliqui ejus Succeſſores vires animumque Juſtiniani imperantis veriti, ſeſe hac in re obſequentes præbuere, dum pax viguit; ſed ubi Juſtinianus conſilium cepit eripiendæ eis Italiæ, tum & ipſi Nummos percuſſere, additâ ſuâ effigie, & Imperiali abjectâ.

Primus Nummus, ſive Denarius argenteus, Juſtiniani I. Auguſti caput exhibet diademate coronatum cum literis D N IVSTINIANVS P F AVG. ideſt *Dominus Noſter Juſtinianus Pius Felix Auguſtus*. In poſtica D N ATHALARICVS REX, coronâ laureâ circumductâ. Circiter Annum Chriſti DXXVII. percuſſus fuit Nummus.

Secundus vultum ac nomen, ut in præcedenti, *Juſtiniani Auguſti* præfert, atque in altera parte has literas D N. THEODAHATVS REX, circiter Annum Chriſti DXXXV. Ejuſdem quoque Regis Numiſma apud Stradam & Du-Cangium habetur, ubi nulla Juſtiniani mentio, ſed quidem ipſius Theodati effigies, additis in poſtica literis VICTORIA PRINCIPVM. Deſpexiſſe creditur hic Princeps per aliquod tempus auctoritatem Imperatoris: idque locus nuper laudatus Procopii inſinuare videtur.

Tertii

Digitized by Google

Tertii Nummi, circiter Annum Christi DXXXVII. percussi, antica facies *Justiniani* ejusdem caput exhibet, & in postica D N VVITIGES REX.

Quartus Nummus nullam Justiniani mentionem habet, sed caput Regis cum epigraphe D. N. BADVILA REX, & in aversa parte has iterum literas D. N. BADVILA REX. Hic est Regum in Italia Gothorum postremus, qui a Belisario Anno Christi DXXXIX. captus, Constantinopolim ad Justinianum missus est.

Quamquam verò incertum sit, quo in loco percussi fuerint Gothorum Regum Nummi, falli tamen non possumus opinantes, non Romæ tantùm, sed & Ravennæ id factum, quum in Ægyptiaca papyro, quam dedi in Dissertatione XXXII. *De Origine Linguæ Italicæ*, quæque Anno Christi DXL. Ravennæ scripta fuit, *Vitalis Vir Clarissimus Monitarius*, ideſt *Monetarius* (*Ministro della Zecca*) testis subscribat. Quibus ex verbis intelligimus, Monetariam officinam adhuc perduraſſe Ravennæ. In Museo Alexandri Bertacchinii Mutinensis Denarius argenteus adservatur, quem infra proferam Num. V. caput Justiniani Augusti præferens cum literis D. N. IVSTINIANVS P. AVG. ideſt *Pius Augustus*. In altera facie Monogramma visitur coronâ circumdatum, sub hac forma



. In expiscandis ejusmodi Monogrammatis, aut figlis, hariolari videò Eruditos. Liceat & mihi eorum licentiâ uti. Aut hæc ad ipsum Augustum sunt referenda, aut locum, ubi Nummus percussus fuit, designant. Heic certe *Ravennæ* vestigia non desunt, ita ut suspicer legendum D. N. *Denarius*, RATS *Ravennatis* Urbis, nisi malimus interpretari *Dominus Noster Imperator*. Sed utcumque sit de obscuris hisce Siglis, certum est, haberi *Nummos Heraclii*, & *Heraclii Constantini*, signatos Ravennæ; e quibus duos proferre juvat, quòd minime laudatos viderim a Du-Cangio.

Sextus Nummus æreus in Museo Bertacchinio Mutinæ exhibet tres figuras, coronam cum Cruce in capite, & globum in dextra præferentes. Hisce designati videntur Heraclius ipse Augustus, Martina Imperatrix, eorumque filius Heraclius Constantinus, Anno Christi DCXIII. in Collegam Imperii a patre assumtus, nisi fortè pro Martina Flavius Heracleonas intelligendus sit, ejusdem Heraclii alter filius, Cæsar circa Annum DCXXX. renuntiatus. Altera Nummi facies inscripta est Monogrammate Christi. Subest M. Circumstant literæ ANNO XXIIII. RAV. ideſt Anno Christi DCXXXIII. *Ravennæ*.

Septimus Nummus æreus, in eodem Museo mihi inspectus, duas protomas Imperatorum præfert, alteram hastæ innixam, alteram globo in dextera ornatam. Visitur in postica Monogramma Christi cum suppositio M. & literis Anno XXVI. RAV., ideſt, secundùm Vulgarem Epocham, Anno Christi DCXXXV. *Ravennæ*. Quæ postrema verba evincunt, percussum fuisse Nummum in Urbe Ravenna. Sunt & alii Nummi, in quibus FELIX RAVENNA legitur, atque ex iis unum possideo, in quo Regis, seu Imperatoris protome visitur, in postica verò Aquila cum geminis asteriscis: quem vide heic infra Num. VIII.

Verùm post captam a Langobardis Ravennam, ac deinde Romanæ Ecclesiæ traditam, receptamque ab Augustis, diu cudendæ monetæ auctoritate spoliatam fuisse arbitror Urbem illam. At idem jus in Archiepiscopos Ravennates Anno Christi MLXIII. ab Henrico IV. Germaniæ ac Italiæ Rege translatum fuisse, Rubeus jamdiu memoriæ prodidit. Immo & ipse auctor est, longe antea, ideſt Anno Christi DCCCCXCVII. Gregorium V. Papam donasse Gerberto Ravennati Archiepiscopo *districtum Ravennatis Urbis*, *Ripam integram*, *Monetam* &c. Sed quando in Libris pro jure Imperiali & Estensi in Urbem Comaclensem ea attuli, quæ mihi visa sunt hujusmodi Chartam aspergere suspicione falsi, ab iis repetendis abstinebo. Interea testem dabo facultatis concessæ Ravennatibus Nummum unum argenteum Num. IX. mihi suppeditatum a Museo Muselliano Veronensi, in quod invecta sunt, quæcumque rudera antiquitatis collegit olim celebratissimus Philologus & Astronomus Franciscus Blanchinius. Ejusdem Nummi alterum exemplar e Cortonensis Academiæ Museo eductum suppeditavit mihi Cl. V. Abbas Rodulfinus Venuti, a Causis audiendis Eminentiss. Cardinalis Alexandri Albani. In antica legitur ARCIEPISCOPVS. In postica DE RAVENA ✠. Scilicet cujus Nummus, quo tempore Archiepiscopi dominabantur nobilissimæ Urbi Ravennæ, ejusque Exarchatui. Hieronymus Rubeus, & Ughellius hac de re consulendi.

TICINUM.


Ticinum pergo. Ex quo Civitatem illam Gothorum Reges diligere & amplificare cœperunt, ibi quoque pecuniæ signandæ locum statuerunt, ejusque rei testis supereſt Numisma


Digitized by Google

Baduilæ, sive Totilæ Regis, a Mediobarbo memoratum, ac Ticini adservatum penes nobilem virum Syrum Rho, sive de Rhaude, cujus ectypon a Cl. V. P. D. Gaspare Beretto ad me missum profero. In antica visitur caput Regis cum epigraphe FELIX TICINVS: quæ nota locum percussæ monetæ prodit. In postica legitur D N. BADVILA REX. Perrexit autem sub Regibus Langobardis eodem jure frui Ticinensis Urbs, & merito quidem, quippe quæ Italici Regni Sedes evaserat. Sed heic mature animadvertendum est, non tantùm *Ticini* regnantibus Langobardis, sed & *Mediolani*, *Lucæ*, ac *Tarvisii*, percussos fuisse Nummos. Hasce quatuor tantùm Urbes in Italico Regno officinâ Monetariâ insignitas iis temporibus reperio, quæ prærogativa sub Francis, diuque sub Germanis Imperatoribus in Civitatibus illis continuata est. Neque licuisse alibi signare pecuniam mihi persuadeo, si *Ducatum Beneventanum excipias*, de quo suo loco erit sermo, & *Spoletum*, in quo credibile est, Monetam exstitisse, quamquam nullum ibi Nummum tunc percussum detexerim. Nondum enim quidquam mihi occurrit, unde elucere possit, parem honorem aliis Urbibus tunc fuisse collatum. Itaque Ticinum sub Langobardis ac Francis Regibus cudere Nummos perrexit. Atque ego sane cupiebam, cusos a Langobardis Regibus heic exhibere Lectori; sed præter unum aut alterum, nullum alium producere in præsentia possum. Angelus quidem Beneventanus in Stemmate Regum Langobardorum, *Agilulfi* Nummum exerit, at facile adulterinam mercem agnoscas. Interea accipe *Liutprandi* inclyti Regis aureum Numisma, cujus ectypon debeo Theodoro Alexandro Trivultio Marchioni ac Patricio Mediolanensi, tum doctrinâ, tum rarâ humanitate viro spectatissimo. Regis effigies in antica parte conspicitur cum literis LIVTPRN. R. ideſt *Liutprandus Rex*. Jam enim inter Eruditos exploratum est, non *Luitprandus*, sed *Liutprandus* esse scribendum: quod marmora ipsa testantur, nempe præter unum Ticinense apud Gruterum inter Monumenta Christiana, & alterum Felsineum apud Malvasiam, illa etiam, quæ ego tum in Antiquitatib. Estensib. tum heic in Dissertatione XL. *de Rhythmica*, & in Dissertatione XXI. *de Statu Italiæ* legenda dedi, uti & complures Chartæ in hoc ipso Opere editæ, ejusdem nominis fidem facientes. In postica parte visitur effigies Sancti Michaëlis Archangeli cum literis exesis SCS.... MAHEL. Michaëlem quippe Archangelum Langobardi singulari veneratione prosequebantur: quod & a Principibus Langobardis Benevento dominantibus observatum videbimus. Ita insignis Basilica Ticini condita, adhuc ornamentis vetustatis compluribus splendet. A Constantino Magno illam extructam sine ullis tabulis ferunt Ticinenses Scriptores. Longe est veri similius, opus esse Langobardicorum Regum. De ea meminit Paulus Diaconus; atque ibi interdum coronati fuere Reges. Altera quoque Lucæ visitur, ad eadem tempora originem, ut puto, referens. Magna profectò tunc Populorum devotio erga beatissimum Archangelum fuit. Liutprandus Histor. Lib. I. Cap. 2. scribit, fabricatam Constantinopoli fuisse a Basilio Augusto *pretioso ac mirabili opere* Basilicam *in honore summi & cælestis militiæ Principis Archangeli Michaëlis*. Ita & Franci Reges eumdem Regni patronum elegisse videntur. Testis quoque est Paulus Diaconus, dum Cuniberti Regis gesta recenset, Sancti Michaëlis effigiem in vexillo militari Langobardicorum Regum pictam fuisse. Nempe Archangelus iste in suum patronum ab ipsis quoque Langobardis electus fuit. Quod & elucere videtur ex Historiola Ignoti Monachi Casinensis apud Peregrinium Tom. II. Rer. Italicar. pag. 264. ubi de Langobardis ait: *Post hæc dominantes Italiam, Beneventum introëunt ad habitandum. Horum autem ..... Princeps militiæ cælestis exercitus Michaël exstitit Archangelus*. Heic, ubi lacuna est, desideratur, ut opinor, vox *Patronus*, sive *Protector*. Age verò exerantur quicumque Nummi hactenus occurrerunt mihi, Ticinensi in Urbe percussi. Ex iis nonnullos evulgavit Le-Blancus in egregio Tractatu, Gallicâ Linguâ conscripto, de Nummis Francorum Regum. Complures autem apud prælaudatum nobilem virum Ticinensem Syrum de Rhaude adservantur, quos amantissimus mei Don Gaspar Berettus V. Cl. Ordinis Benedictini ac Gymnasii Ticinensis, dum vixit, ornamentum, mihi procuravit. Reliquos alibi sum expiscatus.


Primus Nummus ad Carolum Magnum Francorum Regem spectat, percussus Ticini, sive Papiæ, postquam is Anno Christi DCCLXXIV. Regnum Langobardorum sibi subjecit. Eum evulgavit Le-Blancus: possidet & Syrus de Rhaude. In prima facie Crux aream ornat, literis circumscriptis CARLVS REX FR. ideſt *Francorum*. In altera visitur Monogramma Regis ipsius, nempe CAROLVS, & in circuitu PAPIA. Locum Monetæ, ubi cusa fuit, heic habes. Alterum Numisma majoris moduli, Antonius Gattus V. Cl. evulgavit in Lib. de Gymnasio

TICINI, seu PAPIÆ.






I



VII



II




VIII




III




IX




IV




X




V




XI



VI



XII



Digitized by Google

. Tab. XII.

XIII



XIV



XV



XVI



XVII



XVIII




XIX



XX



XXI



XXII



XXIII



Digitized by Google

nasio Ticinensi. Cernitur ibi Rex sedens, dexterâ sceptrum gerens, coronâ ad pedes positâ, ac duæ figuræ ante eum genibus provolutæ, cum literis: DEVICTO DESIDERIO ET PAPIA RECEPTA. DCCLXXIIII. In altera facie est hæc epigraphe: CARLVS REX FRANCIÆ, & in medio T R S F. Numismatis hujus ectypon minime exero, quòd inter fœtus adulterinos amandandum sine dubitatione putem.

Secundum Nummum argenteum debeo humanissimo ac doctissimo viro Benedicto Abbati Floravanti, qui eum mihi inspiciendum misit. Temporis injuriam perpessus est adeo Nummus ipse, ut literæ circumscriptæ in antica ejus parte exesæ admodum, difficultatem aliquam legentibus creent. Verùm attentius considerati, satis demum sublucent harum literarum vestigia, nempe KARLVS IN-PATOR, hoc est *Imperator*. Crux aream occupat. In postica legitur in medio satis perspicue PAPIA. Itaque percussus fuit hic Nummus Ticini post Annum Christi DCCC. quo Imperiali diademate redimitus est Carolus Magnus.

Tertius Nummus a Le-Blanco productus, imperante *Ludovico Pio* Augusto circiter Annum Christi DCCCXV. procusus videtur. In antica Crux visitur cum literis HLVDOVVICVS IMP. In aversa verò parte PAPIA. Sed minime certum est, spectare ad Ludovicum Pium hunc Nummum: tribuique is potest *Ludovico II.* Imperatori ejus Nepoti, qui Ticini sedem Regni fixit, & Lothario patri successit Anno DCCCLV.

Quartus Nummus *Lotharium I.* Augustum circiter Annum Christi DCCCXL. nobis exhibet. E Museo Syri Rhaudii emersit. Crux in medio sita circumcingitur hisce literis HLOTHARIVS IMP. AV. In aversa parte PAPIA.

Quinctum Nummum accepi, dum in vivis erat, a Cl. V. Huberto Benvogliento Patricio Senensi. Visitur ibi Monogramma Christi, nempe ☧ cum epigraphe BERENGARIVS IN-P*erator*. In posticæ area PAPIA C*ivitas*, atque in limbo XPISTIANA RELIG*io*. Cusus Nummus Anno Christi DCCCCXVI. aut subsequentibus.

Sextus Nummus, e Museo prælaudati nobilis viri Syri de Rhaude mihi suppeditatus, cui tribuendus sit, certò assequi non potui. Ibi Crux in area. Circum stant literæ FI PAPIA, ideſt *Fidelis Papia*, nisi FL legendum sit, hoc est *Flavia*. Altera facies in medio habet P. R. C. I. & in circuitu IMPERATOR. Dum meliora adferant alii, liceat mihi in iis siglis legere PeRenCarIus, ideſt *Berengarius I.* Theotisco more pronuntiatus, qui Anno Christi DCCCCXVI. Romanorum Imperator est renuntiatus; sed pro I. scribendum fuisset R. Geminæ id genus monetæ argenteæ, diversi tamen moduli, repertæ fuerunt Imolæ ævo nostro in marmorea arca, ubi Sancti Cassiani Martyris ossa sub Honorio III. Papa collocata fuerant.

Septimus Nummus præcedenti similis est, atque ad eumdem Berengarium, sive PRENCARIVM Augustum spectare videtur. Eædem heic literæ, atque ibi.

Octavus Nummus argenteus apud eumdem Rhaudium exsistens, spectat ad *Rodulphum* Burgundionum *Regem*, qui Anno Christi DCCCCXXII Italiæ Regnum invasit. Christi Monogramma in medio cernitur, & circum literæ RODVLPO PIVS RX. In altera facie legitur PAPIA CI. ideſt *Civitas*, & in circuitu CHRISTIANA RELIG. hoc est *Religio*.

Nonus Nummus argenteus in Museo Rhaudio adservatus, ad *Ottonem I.* Augustum circiter Annum Christi DCCCCLXII. referendus videtur. Attamen tribui etiam potest Ottoni II. ejus filio, aut Ottoni III. ejus Nepoti. In area legitur OTTO, & in limbo IMPERATOR. Altera pars in medio præfert PAPIA INCLIT CIVIT. ideſt *inclyta Civitas*. Ticinensis autem Monetæ circiter ea tempora mentionem videas in Charta Anno DCCCCLXXXIX. scripta, quam dedi in Dissertatione VI. *de Marchionibus*. Nimirum *in Civitate Ticinensi Gundefredus, qui & Azo Magister Monetæ (Mastro della Zecca)* commutationem init cum *Johanne Archiepiscopo* (ita enim is sese appellabat) *Placentiæ*, tunc Abbate etiam Nonantulano.

Decimus Nummus argenteus in Museo Bertacchinio, & apud alios Mutinæ, Placentiæ verò penes Reverendiss. P. Alexandrum Chiappinium Abbatem Canonicorum Regularium adservatus, ad unum ex tribus *Ottonibus Augustis* pertinet. Ibi literæ istæ leguntur: OTTO IMPERATOR, & in aversa parte AVGVSTVS PAPIA.

Undecimus Nummus argenteus, ad unum ex iisdem *Ottonibus* spectans, & a prælaudatis diversus, Ticini exsistebat apud nuper laudatum P. Berettum Monachum Benedictinum. In antica parte OTTO IMPERATOR: in postica AVGVSTVS PAPIA.

Duodecimus Nummus argenteus apud Joseph Mariam Cattaneum Civem Mutinensem, nescio an pertineat ad unum ex tribus nuper commemo-

Digitized by Google

moratis Ottonibus. In prima facie legitur OTTO SEMPER AVGVSTVS: in altera IMPERATOR PAPIA. Trium Ottonum Diplomata nihil aliud exhibent, nisi *Romanorum Imperator Augustus*, neque ibi legitur *Semper*. Quare Nummus tribuendus potius videatur *Ottoni IV.* Augusto, qui Anno MCCIX. Coronam Imperii Romæ est consequutus. Verùm is *Romanorum Imperator & semper Augustus* in Diplomatis appellatur, eique Populus Papiensis acerrime est adversatus, ita ut absterrear ab opinando, agi heic de ipso Ottone IV. Quod si referendus est Nummus ad priores Ottones, veluti res rara animadvertendum est illud *Semper Augustus*.

Decimus tertius Nummus argenteus, in Museo prælaudati Syri de Rhaude Patricii Ticinensis exsistens, referendus videtur ad *Henricum* inter Augustos *Primum*, qui Anno Christi MXIV. Imperiali coronâ fuit redimitus; seu potiùs ad *Secundum*, quum Primum Ticinenses infensum habuerint, ejusque jussu Urbs tradita fuerit flammis. In antica parte, atque in media area legitur HRICV, ideſt *Henricus*, & in circuitu AVGVSTVS. Altera pars præfert IMPERATOR PAPIA CI. *Civitas*. Si quis contenderet, Denarium hunc spectare ad unum ex subsequentibus Henricis, scilicet III. IV. & V. nil solidi haberem, quod ei responderem. Alterum huic similem ad me misit Clariss., & amicus vir Dionysius San-Cassanius Medicus, quem apud me servo.

Quartusdecimus argenteus apud amicum virum Dominicum Vandellium, in Academia Mutinensi Matheseos Professorem, mihi inspectus, atque ab antecedenti diversus, ad unum ex Henricis Augustis spectat. In antica legitur HENRICVS AVGVSTVS. In posticæ limbo INPERATOR, atque in area PAPIA.

Quinctusdecimus argenteus adservatur in Museo sæpe memorati nobilis viri Syri de Rhaude. Quemnam Henricorum Cæsarum referat, incertum est. Facies prima Nummi Crucem exhibet cum literis HENRICVS INP. & in aversa parte PAPIA.

Decimum sextum argenteum, a me visum possidet nobilis vir Antonius Maria Carandinius Jurisconsultus Mutinensis, eique similem adservat in Museo suo Placentiæ Abbas Regularis Ordinis Canonicorum P. D. Alexander Chiappinius. Unum ex Henricis exhibet, quem decernere non ausim. In altera parte scriptum est HENRICVS AVGVSTVS .... in aversa IMPERATOR PAPIA.

Decimum septimum argenteum e Ticinensi Urbe ad me olim misit amicissimus P. D. Gaspar Berettus. Ab hactenus productis differt: nam in antica legitur HENRICVS IMPERATOR, & in postica AVGVSTVS PAPIA. Cuinam ex Henricis Cæsaribus sit adscribendus, decernant alii.

Decimus octavus, Mutinæ a me conspectus penes Bartholomæum Solianum, virum ob Libros in ejus officina impressos in Literaria Republica non ignotum, sit-ne referendus ad Primum, an ad Secundum e *Fridericis* Augustis, statuere nescio. Utrique ex iis Augustis amicum & obsequentem novimus Populum Ticinensem. In antica legitur FEDICV, ideſt *Federicus*, AVGVSTVS, in postica IMPERATOR PAPIA.

Decimum nonum suppeditavit mihi Museum Chiappinium Placentiæ, ad alterum ex *Frederici* Imperatoribus pertinentem. Ibi hæ literæ FE. AVGVSTVS ROMAN. in altera facie IMPERATOR PAPIA.

Vigesimus Romæ adservatur apud doctissimum virum Abbatem Franciscum Valesium. Ticini quoque visitur in Museo Rhaudio. Incertum est, quem ex Imperatoribus indicet. Ibi in antica visitur effigies Episcopi cum literis SANTV SYRVS. Is est Ticinensis Urbis patronus. In postica INPERATOR PAPIA.

Vigesimus primus ex Mutinensi Museo Bertacchinio mihi suppeditatus, e præcedenti lucem mutuatur; intricata quippe est illius inscriptio. Ibi, nisi mea me fallit opinio, literis partim ex area, partim e limbo sumtis legitur FREID*ericus* ROM*anorum* AVGVSTVS. In postica IMPERATOR. Et in area PAPIA.

Vigesimus secundus Nummus aureus, sive Numisma, pertinet ad nobilem celebremque gentem *Beccariam*, quæ Sæculo Christi Quartodecimo diu dominata est Ticini. Adservatur autem in eadem Urbe penes Marchionem Joseph Beccariam Patricium Papiensem. Ibi hæc epigraphe: MVS BECCAR. PAP. PRIN. ideſt *Mussus Beccaria Papiæ Princeps*, Anno Christi MCCCXL. Mihi sane aliquam suspicionem recentioris originis injicit vox illa *Princeps*: hoc enim titulo rari Dominatores Urbium tunc uti solebant. In altera parte visuntur Insignia Familiæ Beccariæ.

Comes Constantius de Abdua Patricius Mediolanensis servat Nummum argenteum, quem postremo loco heic profero, præsefert in antica S. Syrum sedentem mitratum cum diademate, dexterâ benedicentem, sinistrâ Episcopalem pedum, cum litteris circumscriptis SANCTVS SYRVS PAPIA. In postica anguis puerum vo-

rans

Digitized by Google

rans cum duobus truncis ardentibus, & duabus ſitulis pendentibus, circumſcriptis litteris ✠ GALEAZ VICECOMES D. MEDIOLANI.

Atque hi ſunt Nummi, quos hactenus ad inclytam Civitatem Ticinenſem ſpectantes conſpicere potui. Scribit Aulicus Ticinenſis Cap. 13. de Laudib. Papiæ, Tom. XI. Rer. Italicar. Ticinenſem *Monetam* antiquiſſimam eſſe: *quæ Moneta per totam olim Italiam valore & pondere approbata, uſque nunc ſola inter alias, quas viderim, Græcis literis deformatur*. Mihi nondum ullus Ticinenſium Nummus Græcis literis inſcriptus occurrit.

MEDIOLANUM.

VEnio ad Mediolanenſes meos, apud quos ab antiquiſſimis temporibus Monetariæ officinæ prærogativam inveniri jam monui. Vicina quidem Ticinenſis erat; tanta tamen ſemper dignitas fuit ſplendidiſſimæ Mediolanenſis Urbis, quæ inter Inſubres prima ſemper ac Metropolis fuit, ut hoc ei decus tum Langobardi Reges, tum Franci Imperatores, eorumque Succeſſores Germani, perpetuo ſervatum voluerint. Nam & ibi Reges & Auguſti Sedem ſæpe collocabant, ibique complures Regni Italici Coronam de manu Archiepiſcopi Mediolanenſis recipiebant, uti jamdiu oſtendi in Diſſertatione de Coronâ Ferreâ inter Anecdota mea Latina dudum editâ. Immo vel ſub Romanis Imperatoribus Sæculo Chriſti IV. ſignatam fuiſſe Mediolani pecuniam, produnt Nummi Maximi, Victoris, Arcadii, & Honorii, ab Occone & Mediobarbo evulgati, in quibus hæ ſiglæ viſuntur MDPS. quæ ſecundùm eruditæ gentis interpretationem ſignificant *Mediolani pecunia ſignata*. Ibi aliquem etiam ex Nummis Gothorum Regum, quos ante protuli, percuſſum opinari licet. Idque ſub Langobardis Regibus continuatum dubitare nos non ſinit ſupra laudatus Le-Blancus, dum ſcribit, ſibi fuiſſe trientem, ſive tertiam partem Solidi aurei, ubi *Deſiderii Langobardorum Regis* nomen occurrit, cum literis FLAVIA MEDIOLANO. Auctor eſt Paulus Diaconus Lib. 3. Cap. 16. de Geſtis Langobardorum, electum fuiſſe Regem a Langobardis *Authari*, *quem etiam ob dignitatem Flavium appellaverunt: quo prænomine omnes, qui poſtea fuerunt, Langobardorum Reges, feliciter uſi ſunt*. Hanc deinde appellationem Reges ipſi, veteres Auguſtos imitati, in præclariores Regni ſui Urbes tranſtulere, atque in Mediolanenſem potiſſimùm, quæ reliquis amplitudine ſua anteſtabat. Porro jus Monetæ ejuſdem continuatum Mediolani reperimus ſub Imperatoribus Francis atque Germanis. Teſtes rei Nummos, quos hactenus conſpicere potui, nunc proferam, ſimulque ſubjiciam reliquos ibi percuſſos a potentiſſima *Vicecomitum*, ac *Sfortiadum* gente, diu illic dominata, ut Lectori ſub uno aſpectu omnia ſint, quæ in hanc rem corradere mihi licuit.

Itaque primus Nummus circiter Annum Chriſti DCCLXXV. percuſſus, & ad *Carolum Magnum* Regem ſpectans, a Le-Blanco producitur. Ibi Crux cum literis CARLVS REX FR. ideſt *Francorum*, nondum ſcilicet Imperator. In altera parte ejuſdem Regis Monogramma CAROLVS: quippe O. inter compendia illa ſublucere videtur. In circuitu ducuntur hæ literæ MEDIOL. hoc eſt *Mediolanum*.

Secundus Nummus, ab eodem Le-Blanco editus, pertinere creditur ad *Ludovicum Pium* Auguſtum circiter Annum Chriſti DCCCXV. Effigies Auguſti illic viſitur cum literis HLVDOVVICVS IMP. AVG. In poſtica proſpectus cujuſdam Templi cum literis MEDIOLANVM.

Tertium Nummum laudato Le-Blanco debemus, qui percuſſum credidit ſub ipſo *Ludovico Pio*. In altera parte legitur HLVDOVVICVS IMP. in altera MEDIOLANVM. Veri tamen ſimilius videtur, niſi ambos hoſce Nummos, alterum ſaltem tribuendum eſſe *LVDOVICO II.* Auguſto, Pii videlicet Nepoti.

Quartum dedit nobis idem Le-Blancus, ibique *Lotharium I.* Imperatorem circiter Annum Chriſti DCCCXLI. ſignatum cernimus: quippe illius nomen LHOTHARIVS IMP. legitur, & in averſa parte MEDIOL. ideſt *Mediolanum*.

Quinctus Nummus argenteus, ſubtiliſſimæ laminæ, Mediolani penes præſtantiſſimum virum Theodorum Alexandrum Trivultium Marchionem adſervatus, ad *Hugonem* ſpectat Provinciæ Comitem, qui Anno Chriſti DCCCCXXVI. Regnum Italicum iniit. Ibi legitur HVGO PIVSSM REX. In medio ſiglæ iſtæ I H X I. quas ex conjectura interpretor *Ihe ſus Chriſtus*. In altera facie CHRISTIANA RELIGIO, & in area MEDIOLA*num*. Exſtat etiam penes Marchionem Jacobum Fagnanum Patrit. Mediol.

Sextum Nummum argenteum prælaudatus Marchio Trivultius ad me perhumaniter miſit, eumdem *Hugonem Regem* præſeferentem, ac *Lotharium* ejus filium Anno Chriſti DCCCCXXX. in conſortium Regni adſcitum. Viſuntur ibi eædem ſiglæ I H X I. cum epigraphe VGO LOTHARIO REGES. In poſtica CHRISTIANA RELIGIO. MEDIOLA*num*.

Digitized by Google

Ceterum privilegio Monetæ frui perrexerunt Mediolanenſes etiam ſub Germanicis Imperatoribus. Teſtem habeo Annaliſtam Saxonem ab Eccardo editum, qui de Ottone Magno ad Annum DCCCCL. agens, hæc habet: *Mediolanenſes ſubjugans, Monetam iis innovavit, qui Nummi uſque hodie Ottelini dicuntur*. Goldaſtus in Cathol. Rei Monetariæ Tit. 48. Ottonis Magni Auguſti decretum, his conceptum verbis refert: *Mediolanenſibus, qui falſificarunt noſtram Monetam auream & argenteam, mandamus & injungimus hac Imperialis noſtræ ſententiæ condemnatione, ut nullâ Monetâ, niſi de corio factâ, in poſterum utantur. Dat. Anno DCCCCLXVI.* Laudat ille Witichindum Corbejenſem in Chronico. Sed ego nihil tale reperio apud Witichindum, atque hujuſmodi decretum prorſus confictum ajo. Neque enim Goldaſtus, vir certe de re literaria bene meritus, religioni ſibi duxit, procudere interdum monumenta & edicta, prout argumentum poſcebat. Non paucos Eruditorum ratione iſta decepit. Teſtem potius adhibere is potuiſſet Gobellinum Parſonam, qui in Coſmedrom. Aet. VI. Cap. 48. hæc de Ottone ſcribit: *Deinde cepit Mediolanum. Sed Rege Ottone recedente, Mediolanenſes Monetam ejus reſpuerunt, & a fidelitate ejus receſſerunt. Quare Rex Mediolanum regreſſus, coëgit Mediolanenſes de corio antiquo incidere Nummos, & illos ab eis recipi mandavit*. Paria habet Theodoricus de Niem in Lib. de Privileg. & Jur. Imper. Sed donec afferantur tabulæ antiquiores (neque enim Gobelinus ac Niemius, ut hæc nobis perſuadere poſſint, barbam ſat canutam gerunt) liceat mihi coriaceam illam pecuniam commentum plane ridendum credere, uti & defectionem illam Mediolanenſium, quæ ab antiqua Hiſtoria diſcordat. Juvat proinde Annaliſtæ Saxoni adhærere, cujus verba nuper laudata veros Nummos ex argento aut ære, & nomen Ottonis Magni præferentes indicant Mediolani percuſſos. Si ejus Annaliſtæ ævo *Ottoleni* ii Nummi perſeverabant, ergo argentei, aut ærei fuere; tamdiu enim ignominioſam pecuniam generoſi Cives Mediolanenſes non toleraſſent. Bene autem cecidit, ut fabellam hanc tandem evertere & exſibilare poſſem. Suppeditavit enim mihi ex inſigni Muſeo ſuo Eruditiſſimus Vir Apoſtolus Zenus, Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris CAROLI VI. Hiſtoriographus, argenteum Nummum, ſub eodem Ottone, ut opinor, Primo Mediolani cuſum; ex quo intelligas, Ottonibus Auguſtis imperantibus perſeveraſſe Mediolani Monetam, ac Nummos argenteos ibi cuſos, non verò coriaceos.

Itaque Septimum Nummum conſpiciendum offero, quem non ſolùm oculis meis ſubjecit, ſed etiam liberaliſſime mihi dono dedit idem Zenus. Is nummus eſt formæ aliquantulum concavæ, laminæ verò ſubtilis. In area legitur Monogrammate expreſſum nomen OTTO, & in limbo IMPERATOR. In concava facie AVG. ✠ MEDIOLANIV. Alibi oſtendi, Sæculis barbaricis, immo & antea, *Mediolanii* nomen in uſu fuiſſe. Duos poſtea ſimiles nummulos argenteos vidi apud ſæpe laudatum P.D. Alexandrum Chiappinium Placentiæ, & unum quoque apud Johannem Franciſcum de Solis J. U. D. nepotem meum Mutinæ. Concavos dixi hoſce Nummos infimæ magnitudinis Ottolenos. Neque peregrina eorum forma: nam & Græcis fuere *Caucii* Nummi, Καυκίοι, de quibus mentio eſt in Novella CV. Juſtiniani Cap. 2. ita appellati, quod *Cauci*, ſeu *Pateræ* figuram referrent, atque adeo concavi. Ejuſdem generis doctiſſimus Du-Cangius fuiſſe opinatur *Scyphatos* aureos, quod nempe Scyphi formam imitarentur. Conſule, ſi lubet, Diſſertationem ſubſequentem.

Octavus Nummus argenteus, Mutinæ apud Matthæum Pellicciarium exſiſtens, incertum eſt, quemnam ex *Henricis* Auguſtis indicet. Sex enim ejuſdem nominis Italiæ Regnum ac Imperium tenuere. Ibi legitur HENRIC. INPERATOR. Et in averſa facie MEDIOLANVM.

Nonus in Muſeo Bertacchinio Mutinæ adſervatus, argenteus eſt. In antica præfert Crucem cum literis circumpoſitis HENRICVS REX. In poſtica MEDIOLANVM. Fortaſſe Nummus pertinet ad *Henricum* inter Reges *Quartum*, qui diu Regis titulo eſt uſus. Sed pertinere etiam poteſt ad Secundum inter Reges, Primum poſtea inter Auguſtos, in Cælitum albo ſcriptum.

Decimus apud me exſiſtens, referendus fortaſſe ad *Henricum* inter Germaniæ Reges *Septimum*, & *Sextum* inter Italiæ Reges ac Imperatores, circiter Annum Chriſti MCCCXI. hanc epigraphen gerit HENRICVS REX (is nondum Imperiali Coronâ donatus) cum Cruce in area. In altera facie effigies Sancti Ambroſii ſedentis ſuper cathedram, cum literis MEDIOLANVM.


Undecimus Mediolani apud prælaudatum Marchionem Trivultium, & Mutinæ in Muſeo Bertacchinio adſervatus, *Fridericum I.* Imperatorem circiter Annum Chriſti MCLXXXV. deſignat. Ibi hæc epigraphe FRIDERICVS, & in area I P R T. ideſt *Imperator*. In averſa

parte


Digitized by Google

MEDIOLANI.


I



II



III




IV



V



VI




VII



VIII




IX




X




XI



XII



XII



XIII



XIV.

Digitized by Google

Tab. XIV.

XIV



XV



XVI



XVII




XVIII



XIX



XX



XXI




XXII




XXIII



XXIV



XXV



XXVI



XXVII



XXVIII.

Digitized by Google

XXVIII



XXIX



XXX



XXXI



XXXII



XXXIII



XXXIV



XXXV



XXXVI



XXXVII




XXXVIII



XXXIX




XL



Digitized by Google

Tab. XVI.

XLI



XLII



XLIII



XLIV



XLV



XLVI



XLVII



XLVIII




XLIX



L



LI




LII



LIII



LIV



Digitized by Google

parte MEDIOLANVM. Norunt Eruditi, ac præcipue in Ottonis Frisingensis, Radevici, ac Ottonis Morenæ Historiâ versati, quanto odio in Mediolanensem Populum a sui assumatione Fridericus I. exarserit, & quot bellis nobilissimam deinde Urbem incesserit, quam demum subactam Anno MCLXII. lacrymabili excidio subvertit. Inter reliqua mala, quæ is Mediolanensibus inferre conatus est, Anno MCLV. eos jure *Monetæ* privavit, atque illud in Cremonenses transtulit. Campius in Histor. Cremon. ejusmodi decretum innuerat: ego verò illud ex Archivo Reipublicæ Cremonensis integrum descripsi, ubi pervetustum illius exemplum adservatur, atque in præsentia editum eo.

Fridericus I. Imperator Mediolanenses, quod Novocomum & Laudam destruxerint, Imperiali banno subjicit; Monetâ, teloneo, districtu, & omnibus Regalibus privat; & jus cudendæ Monetæ in Cremonenses transfert, Anno Christi 1155.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Fredericus *divina favente clementia* Romanorum Imperator Augustus. *Imperialis excellentia nihil magis proprium habere debet, quàm ut contumaces justa severitate puniat, humiles verò & Romano Imperio devotos consueta benignitate foveat & honoret. Hujus itaque rationis intuitu* Mediolanenses *ob immania eorum scelera, a nostrâ gratiâ penitus rejecimus. Et quia ausu temerario, & spiritu sacrilego, præclaras* Italiæ Civitates Cumas & Laudas *suâ injustâ potestate impiissime* destruxerunt, *& eas se levari violenter prohibuerunt, cum sæpius solemnibus Edictis ad nostram præsentiam citati, de justitia diffidentes, se absentare præsumerent, pro tantis excessibus dictante justitiâ ex sententiâ Principum nostrorum Imperiali banno subjecimus. Quia verò clementia nostra Mediolanenses, ut ad cor redirent, diu sustinuit, cum magis eorum in dies iniquitas & malicia cresceret, & contumaciter nostrâ abuterentur pacientiâ, in celebri Curia tam ab Italiæ, quàm a Theotonici Regni Principibus, super prædictis excessibus sententiam requisivimus. Judicatum est igitur a Principibus nostris, & totâ Curiâ,* Mediolanenses Monetâ, *theloneo, & omni districto, ac potestate seculari, &* omnibus Regalibus nostrâ auctoritate esse privandos; ita ut Moneta, *theloneum, &* omnia prædicta ad nostram potestatem redeant, *& nostro statuantur arbitrio. Et quia* Cremonensis Civitas *præ cunctis Italiæ Urbibus fide & probitate, omnique honestate semper florentissima, & in rebus militaribus expertissima, nobis & prædecessoribus nostris divis Imperatoribus ac Regibus fideli devotione & indefessâ probitate servivit, eorum merita digne remunerare volentes,* jus faciendæ Monetæ, quo Mediolanenses privavimus, Cremonensibus donavimus. *Hoc quoque nostrâ eis Imperiali auctoritate in perpetuum confirmamus. Ut igitur hæc nostra donatio omni ævo rata & inconvulsa permaneat, hanc paginam inde conscribi, & nostri imaginis charactere jussimus insigniri.*

Testes quoque subter notari fecimus, quorum nomina hæc sunt: Herimannus Constantiensis Episcopus: Ordivus Basilicnsis Episcopus: Cunradus Wormacicnsis Episcopus: Marquardus Fuldensis Abbas: Henricus Dux Saxoniæ: Bertolfus Dux Ceringiæ: Otto Palatinus Comes: Ulricus Comes de Lenzeburch: *Gozvinus de Fulfenberg*: Gozzo Comes, *& filius ejus Manfredus*: Gerardus Comes de Crema: Jacobus Comes de Favalla; *Consules Papienses & Novarienses.*

Signum (✠) *Domni Frederici Romanorum Imperatoris invictissimi.*

Ego Arnoldus Colonicnsis Archiepiscopus, Italici Regni Archicancellarius recognovi.

Actum in territorio Veronensi apud Insulam Acenensem, Anno Dominicæ Incarnationis MCLV. Indictione III. Regnante Domno Imperatore Frederico, Anno Regni sui IV. Imperii verò Primo.

Verba illa legisti: *Jus faciendæ Monetæ, quo Mediolanenses privavimus, Cremonensibus donavimus.* Hæc indicant, jam superiori Anno, quo primum bellum Populo Mediolanensi Fridericus intulit, decretum aliquod emersisse, quo Monetam cudere Mediolanensi Urbi interdictum fuerat. Verùm Anno MCLXVII. reædificato Mediolano, ac restauratâ Anno MCLXXXIII. per pacem Constantiæ inter Fridericum & Lombardicas Urbes concordiâ, idem jus Monetæ Mediolanensibus restitutum fuit. Adfert etiam Puricellius in Monument. Basilicæ Ambrosianæ num. 587. Diploma Friderici ejusdem, confirmantis Anno MCLXXXV. *Regalia* omnia Reipublicæ Mediolanensi, inter quæ

jus

jus cudendæ pecuniæ adnumerari novimus. At susceptam Rei Nummariæ seriem persequamur.

Duodecimus Nummus argenteus, parum a præcedenti dissimilis, Bononiæ adservatur ab amico viro Johanne Baptista Biancono, Priore Mascarellæ, & Literarum Græcarum in Academiâ Bononiensi Professore. In ejus antica visitur hæc Epigraphe FREDERICVS I. P. R.T. In postica AVG. MEDIOLANIV. ideſt *Fredericus Imperator Augustus Mediolanium*. Ad eumdem Augustum spectat alter Nummus in Museo Chiappinio adservatus, quem ad numerum XII. B. proferam. In antica legitur hæc Epigraphe FRɛDrICus IP. AVGVSTVS. In postica Crux cum literis MEDIOLANVM.

Decimum tertium Nummum acceptum refero sæpius mihi laudato Clariss. Viro D. Gaspari Beretto Monacho Benedictino. Ibi conspicitur Aquila Imperialis cum literis in circuitu: HENRICVS REX. In aversa parte Crux, & literæ SEMPER AVGVSTVS. Quis ex Henricis heic designetur, non liquet. Fortassis est *Henricus Septimus*, qui dejectis Anno Christi MCCCXI. Turrianis, imperium Mediolanensis Urbis plene est consequutus. Sed facile etiam pertinere potest ad *Henricum Sextum*, qui antequam Anno MCXCI. Imperialem Coronam suscepisset, Regio tantùm nomine Mediolani versatus, usus est titulo SEMPER AVGVSTVS. Falluntur enim, qui seriùs usurpatum hunc titulum tradunt. Sed cur nulla ibi mentio Civitatis, in qua Nummus percussus fuit, occurrat, assequi hactenus non potui. Licèt autem conjecturæ adsint, quibus credatur ex Monetariâ Mediolanensi officinâ cusus is Nummus prodiisse, me tamen vadem cuiquam præstare nolo, Mediolani potiùs, quàm in aliqua alia Civitate percussum eum fuisse.

Decimum quartum Nummum Patavii possidet vir nobilis Comes Johannes de Lazara, ad me missum ab humanissimo ac erudito viro Adamo Pivato Sacræ Theologiæ Doctore. Circiter Annum Christi MCCLX. vacante Imperio cusus a Mediolanensi Republica videtur. Ibi effigies Sancti Ambrosii cernitur cum literis S. ANBROSIVS. In aversa parte Crux aream implet cum epigraphe MEDIOLANVM. Post ea tempora Mediolanensi in Urbe ad primatum evecta est celeberrima *Vicecomitum* Familia. Nullos fortasse Nummos Matthæus Magnus, ejusque filius Galeatius Vicecomes percussere, sed quidem Galeatii proles *Azo* Mediolani Dominus, cui ab Azone Marchione Estensi Avo materno nomen advenit.

Decimus quinctus Nummus, circiter Annum Christi MCCCXXX. percussus, in Museo Bertacchinio Mutinæ exsistens, Crucem in area præfert cum epigraphe AZO VICECOMES. MEDIOLANVM. In altera facie effigies Sancti Ambrosii conspicitur, cum ejus nomine.

Decimus sextus visitur Mutinæ in eodem Museo Bertacchinio, ad laudatum *Azonem* Principem spectans. Ibi in antica legitur AZ. hoc est, *Azo*, quæ duæ literæ aream implent: in limbo verò VICECOMES. Postica Crucem habet in medio, & in circuitu CVMANVS. Anno Christi MCCCXXXVI. percussus fuit hic Nummus. Tunc enim Novocomensi Civitate, quam *Cumanam* barbarica Sæcula appellarunt, Azo potitus fuit.

Decimus septimus ex Veronensi Muselliano Museo depromtus exhibet effigies duorum Martyrum cum epigraphe S. PROTASI. S. GERVASI. In medio IOHannes VICECOMES, Archiepiscopus & Dominus Mediolani Anno MCCCXLIX. In altera facie Archiepiscopi Sancti effigies, cum literis S. AMBROSI. MEDIOLANVm.

Decimum octavum mihi suppeditavit idem Musellianum Veronense Museum. Is cassidem præfert cum Angue vorante puerum, Insigni videlicet gentilitio Vicecomitum; & in aversa facie effigiem Sancti Ambrosii exhibet. Utrobique impressæ leguntur hæ literæ D. B. ideſt *Dominus Bernabos*, qui Anno MCCCLIV. cum fratribus dominari cœpit Mediolani, ac aliis Civitatibus.

Decimus nonus Romæ penes raræ eruditionis virum Abbatem Franciscum Valesium adservatur. Sculptus in medio Anguis cum puero in ore, & duabus literis B. G. quæ *Bernabovem* & *Galeatium II.* Vicecomites fratres Mediolani Dominos circiter Annum Christi MCCCLX. indicant. Circumstat inscriptio BERNABOS ET GALEAZ VICECOMITES. In aversa parte imago Sancti Ambrosii cum literis S. ANBROSIVS MEDIOLANI.

Vigesimus Nummus Mutinæ in Museo Bertacchinio visitur. Ibi leguntur in area literæ D. B. & in limbo VICECOMES MEDIOL. In altera facie habes Anguem ore vorantem puerum, insignia Vicecomitum gentilitia, cum literis DOMINVS BERNABOS, ex quibus priores duas literas interpretari tutò possumus *Dominus Bernabos*. Infra spectabimus repetita Principum eorumdem nomina. Certe ego non ausim heic interpretari *Dominus Brixiæ*.

Vigesimus primus exstat quoque in eodem Mutinensi Bertacchinio Museo. In ejus area cassis est cum Dracone. Subest clypeus cum Ser-

Digitized by Google

Serpente, Insigni Vicecomitum, & literis G. Z. In limbo repetitum habes idem nomen. GALEAZ VICECOMES. In postica exhibetur truncus nodosus cum flammis suppositis. Situlæ binæ aquam continentes e trunco pendent. Epigraphe hujusmodi legitur: DNS, ideſt *Dominus* MEDIOLANI PAPIE ETC.

Vigesimum secundum adservant in Musеis suis tum Alexander Bertacchinius Mutinæ, tum Abbas Chiappinius Placentiæ, tum etiam Mutinæ Johannes Franciscus de Solis J. U. D. nepos meus. Nummus spectat ad nuper memoratum *Galeatium II.* Vicecomitem, Bernabovis fratrem. Ibi insigne Vicecomitum gentilitium cernitur cum literis GALEAZ VICECOMES MEDIOLANI PPQ. ideſt *Papiæque*, supple *Dominus*. Adduntur duo rami arborum, & e singulis pendent duæ situlæ. Similis Nummus infra occurret, pertinens ad Galeatium Mariam Sfortiam. Hinc dubitatio de Auctore istius mihi suboritur. Attamen vix falli me putem in assignando hoc Nummo Galeatio Vicecomiti. In postica visitur effigies Sancti Syri Ticinensium patroni, cum epigraphe S. SIRVS PAPIA. Scilicet Nummus percussus Ticini, postquam Anno Christi MCCCLIX. Galeatius idem nobilissimam Urbem in suam ditionem recepit. Haud multum dissimilem antea exhibui inter Nummos Papienses sub numero XXIII.

Vigesimum tertium Patavii possidet in Museo suo Comes Johannes de Lazara. Spectat ad *Galeatium III.* Galeatii II. filium, Comitem Virtutum, ob auctam mirum in modum potentiam celeberrimum Principem. Visitur ibi Crux ad morem Gallicorum Nummorum composita, cum epigraphe GALEAZ COMES VIRTVTVM. In postica Insigne Vicecomitum, ac literæ GZ. ideſt *Galeaz*, DOMINVS MEDIOLANI. Percussus hic Nummus Anno Christi MCCCLXXXV. postquam Galeatius idem patruo Bernabove in vincula conjecto, unus dominationem Mediolani, & reliquarum Urbium arripuit.

Vigesimus quartus in Mutinensi Bertacchinio Museo mihi inspectus, Crucem in area præfert. Circumstant literæ COMES. VIRTVTVM. D. MEDI. . . . . In postica effigies Episcopi cum literis S. AMBROSIVS MEDIOLAN. Liquet, Nummum hunc ad eumdem *Galeatium III.* Vicecomitem spectare.

Vigesimus quinctus in prælaudato Bertacchinio Museo adservatur. In area habet literas G. Z. ideſt *Galeaz*, & in limbo D. MEDIOLANI . . . . . Postica Crucem præfert cum epigraphe COMES VIRTVTVM.

Vigesimum sextum Mutinæ adservat Joseph Maria Cattaneus. Nummum percussit idem Princeps. Ibi literæ I. G. VICECOMITIS, ideſt *Johannis Galeatii Vicecomitis*. In altera facie MEDIOLANVM. In superioribus Nummis ille *Galeaz* appellatur; atque eo tantùm nomine revera is nuncupabatur, vivente patre Galeatio II. ac primis imperii sui annis. At progrediente tempore *Johannis* nomen alteri præposuit. Si in veterum monumentis non tam facile vitia nonnulli suspicarentur, neque pro iis cogitationes suas nobis propinarent, haberemus & hujus Principis Nomen per Annos multos fuisse tantummodo *Galeatium*, non verò *Johannem Galeatium*.

Vigesimus septimus Nummus argenteus, perquam rarus, Mutinæ apud nobilem virum Alderanum Narium exsistit. Ibi Insigne Vicecomitum cum literis HE. ad latus. Ex literis in limbo scriptis hæ tantùm leguntur HESTOR. D. . . . VICECOMES K. In postica Sancti Ambrosii effigies cum epigraphe S. AMBR . . . . . OLANI. Is fuit Hestor Bernabovis Vicecomitis Mediolanensium domini filius, e concubinâ natus, qui Anno MCCCCXII. post cædem Johannis Mariæ Vicecomitis Ducis Mediolanensis Urbis imperium arripuit, sed non diu tenuit, quippe qui in Oppido Modoëtiensi eodem Anno a Philippo Maria Duce obsessus, crure fracto ex ictu lapidis per machinam ejecti, interiit. Quum fortè Modoëtiam Anno, si bene memini, MDCXCVIII. ego divertissem, ipsius Hestoris cadaver, in vili arca ligneâ clausum, atque effossum nuper in Basilica Sancti Johannis Baptistæ, vidi. Erat corpus incorruptum, & fractura ossis in crure manifesta adhuc apparebat. Juvenis hujus, in ætate virenti violenta morte occumbentis, spiritus balsamici a membris illius corruptionem avertisse videntur. At nisi de hominis corpore fama certa habita fuisset, sanctum aliquem virum fortassis indoctum vulgus ibi somniasset. Exploratum interea habeo Nummum hunc a perditissimo viro percussum, Reliquiarum ad instar gestatum a quopiam, fuisse, uti dubitare non sinit limbus eum in finem perforatus.

Vigesimus octavus Nummus in Veronensi Muselliano Museo exsistens, pertinet ad Johannis Galeatii primi Ducis filium *Philippum Mariam Vicecomitem*. Visitur ibi illius Insigne in scuto cum duabus Aquilis, & duobus Anguibus. Circumstant literæ: FILIPPVS. MARIA. DVX. MEDIOL*ani* &c. In postica effigies Sancti Ambrosii Pastoralem baculum sinistrâ, flagellum dexterâ tenentis, cum literis: S. AM-

Digitized by Google

BROSIVS. EPiſcopus MEDIOLANI. Percuſſus Nummus circiter Annum MCCCCXX.

Vigeſimus nonus, ex eodem Muſeo depromtus, virum exhibet in equo currente ſedentem, cum lanceâ erectâ in dextera. In reliquis parum a præcedenti differt, ac ad eumdem *Philippum Mariam* ſpectat.

Trigeſimus in Muſeo Bertacchinio Mutinæ adſervatus, habet in antica Anguem, cum hac epigraphe PHILIPPVS MARIA. In averſa parte MEDIOLANI, ſupple *Dux*.

Trigeſimum primum in Muſeo Bertacchinio, & Chiappinio ſub oculis habui. Eumdem Principem oſtendit. Ibi viſitur Inſigne Vicecomitum cum literis PHILIPVS MARIA....D.M. ideſt *Vicecomes Dux Mediolani*. In poſtica effigies S. ABRO..... ideſt *Sancti Ambroſii* MEDIOLANI.

Trigeſimus ſecundus in Muſeo Bertacchinio, ac Regii apud Comitem Nicolaum Taculum conſpicitur. Ibi inſigne Vicecomitum, & epigraphe FR. SF. DVX MDLANI, hoc eſt, *Franciſcus Sfortia Dux Mediolani*, videlicet inclytus ille Princeps, qui virtutibus ſuis celeberrimos quoſque antiquitatis Duces æquavit, & ex humili origine ad ſummam potentiam pervaſit. In altera facie legitur in limbo S.AMBROSIVS MEDIOLANI. Circiter Annum Chriſti MCCCCL. percuſſus fuit.

Trigeſimus tertius majoris moduli æreus in Muſeo Bertacchinio, Numiſma eſt, ſive Italice *un Medaglione*, honoris cauſsâ percuſſum. Ibi protome *Franciſci Sfortiæ* cum literis hinc inde poſitis V. F. fortaſſe pro *Vivat Franciſcus*. In limbo hæc epigraphe: FR. SFORTIA. VICECOMES. MLI. DVX. IV. BELLI. PATER. ET. PACIS. AVTOR. MCCCCLVI. In poſtica canis innixus arbuſto, Sole emittente radios. Additur epigraphe: IO. FR. ENZOLE. PARMENSIS. OPVS.

Trigeſimus quartus in eodem Muſeo Bertacchinio, Caſſidem præfert cum Angue, gentilitio inſigni Vicecomitum. Circumſtant literæ FRanciſcus SFortia DVX. MLI. &c. In poſtica aream occupant literæ cum Corona ſuperpoſita, quæ videntur eſſe FR. S. ideſt *Franciſcus Sfortia*. In limbo PAPIE. ANGLERiæQue COmes.

Trigeſimus quinctus Veronæ in Muſeo Muſelliano viſitur. Ibi ejuſdem inclyti Ducis effigies cum literis: FRANCISCHVS SFORTIA VIC *comes*. In averſa parte homo ſuper equum currentem ſedens, lanceam dexterâ geſtans, cum literis DVX. MEDIOLANI. AC IANVE *Dominus*. Poſt Annum Chriſti MCCCCLXIV. Nummus percuſſus.

Trigeſimum ſextum Veronæ adſervat Muſeum Muſellianum. Hanc epigraphen præfert. G. S. nempe *Galeaz Sfortia* DVX. MEDIOLAni. D. PP. ideſt *Dominus Papiæ*. Crux in averſa facie cum literis CONRADus REX. ROMANOrum II. a quo Mediolanenſes Monetæ jus derivabant. Percuſſus eſt Nummus circiter Annum MCCCCLXVI. a Galeatio Franciſci Sfortiæ filio.

Trigeſimus ſeptimus ex eodem Muſeo depromtus pertinet ad eumdem Franciſci Sfortiæ filium, ac ſucceſſorem. Ibi inſignia Vicecomitum & Sfortiadum cum literis GZ. MA. SF. VICECO. DVX. MLI. V. PP. ANGLEQ. CO AC IANVE. D. ideſt *Galeaz Maria Sforzia Vicecomes Dux Mediolani Quinctus, Papiæ, Angleriæque Comes, ac Januæ Dominus*.

Trigeſimus octavus Mutinæ apud Johannem Baptiſtam Caula Juriſconſultum exſtat. Ibi tres arborum rami cum duabus ſitulis pendentibus, Emblema ſcilicet, ſive Symbolum (Italice diceres *Impreſa*) quod ſupra vidimus in Nummo Galeatii Vicecomitis. Literæ circumſtant GZ. M. SF. VVICECO. DVX. MLI. V. In averſa parte Anguis cum duabus literis in medio G. M. ideſt *Galeaz Maria*, & in circuitu PP. ANGLEQVE. CO. AC. IANVE. D. Tota inſcriptio hæc verba reddit, *Galeaz Maria Sforzia Vicecomes Dux Mediolani Quinctus, Papiæ, Angleriæque Comes, ac Januæ Dominus*, qui Franciſco patri ſucceſſit Anno Chriſti MCCCCLXVI.

Trigeſimus nonus argenteus viſitur in Muſeo N. V. Syri de Rhaude, aureum minoris moduli ſervant heredes Antonii Reynæ Mediolanenſis. Effigiem ejuſdem Galeatii Mariæ exhibet in antica. Inſigne verò Vicecomitum cum duobus ramis, e quorum ſingulis pendent duæ ſitulæ, cernitur in poſtica cum literis hinc inde GZ. M. *Galeaz Maria*. Utraque epigraphe eſt ſimillima inſcriptionibus Nummi præcedentis. Adeſt etiam aureus penes Comitem Conſtantium de Abdua Patritium Mediolanenſem.

Quadrageſimus argenteus in Muſeo Bertacchinio Mutinæ. Viſuntur in area literæ G. M. cum corona ſuperpoſita, ideſt *Galeaz Maria*. In limbo DVX. MLI. AC. IANVE. D. &c. Poſtica habet literas in area B. M. cum coronâ ſuperpoſitâ, hoc eſt *Blanca Maria*, illius mater, cujus auctoritatem in exordio imperii ſui filius eſt reveritus. Subſequuntur in limbo aliæ literæ, nempe DVCISA. MLI. AC. CR. D. &c. ideſt *Ducissa Mediolani ac Cremonæ Domina*.

Quadrageſimus primus Mutinæ in Muſeo Bertac-

Digitized by Google

tacchinio, nummulus est argenteus, ubi Cassis visitur cum Angue. Exiliteris detritis supereſt tantùm MLI. ideſt *Mediolani*. In altera parte G. M. coronâ ſuperimpoſitâ, hoc eſt *Galeas Maria*.

Quadrageſimum ſecundum, Quadrageſimum tertium, & Quadrageſimum quartum adſervat Veronenſis Archipresbyter Muſellius in ſuo Muſeo. Pertinent ad *Johannem Galeatium Sforziam*, Galeatii Mariæ Ducis filium, qui patri a conjuratis cæſo, in dominatione ſucceſſit Anno Chriſti MCCCCLXXVII. In horum primo viſitur ejus effigies cum literis IO. GZ. SF. VICECOMES DVX MLI. SX. ideſt *Johannes Galeaz Sforzia Vicecomes Dux Mediolani Sextus*. In poſtica illius inſignia, & literæ LVDOVICO PATRVO GVBerNANTE. Duo ſubſequentes Nummi eaſdem literas præferunt.

Quadrageſimus quintus apud Comitem Johannem Bellincinium Mutinenſem Patricium, & penes nobilem quoque virum Mutinenſem Camillum Valentinium, adſervatus, eamdem Caſſidem exhibet cum eâdem epigraphe IO. GZ. SF. VICECO. DVX. MLI. SX. quæ verba in præcedenti Nummo ſum interpretatus. In averſa parte conſpicitur imago Sancti Ambroſii cum literis LVDOVICO PATRVO GVBERNANTE. Is eſt Ludovicus agnomento *il Moro*: ac propterea tum is Nummus, tum tres præcedentes cuſi videntur circa Annum Chriſti MCCCCLXXX. Parum abſimilis Nummus, ſed minoris moduli, adſervatur in Muſeo Bertacchinio. Sed ibi pro Caſſide eſt Corona cum duabus faſciis pendentibus.

Quadrageſimus ſextus argenteus in Muſeo Bertacchinio, effigiem juvenilem *Johannis Galeatii Mariæ Sforziæ Ducis* oſtendit, & in poſtica virilem *Ludovici* Mauri. Epigraphe ferme eadem, ac ſuperior; adeſt etiam aureus minoris formæ in Muſeo heredum Antonii Reynæ Mediolanenſis.

Quadrageſimus ſeptimus aureus Ticini apud Syrum de Rhaude conſpicitur. Ibi effigies *Ludovici* nuper memorati, Anno Chriſti MCCCCXCIV. Ducis Mediolani jam renuntiati, cum inſcriptione LVDOVICVS M. SF. ANGLVS DVX MLI. & in altera facie PP. ANGLEQVE CO. AVIANVE D. hoc eſt: *Ludovicus Maria Sforzia Anglus Dux Mediolani, Papiæ, Angleriæque Comes, ac Januæ Dominus*.

Quadrageſimus octavus Nummus ab eodem nobili viro Syro Rhò adſervatus, explicatione non indiget: ſimilis enim eſt præcedenti illius epigraphe.

Quadrageſimus nonus ex Muſeo Veronenſi Muſelliano deſcriptus, effigiem exhibet viri cum literis: LVDOVICVS AVRELIANENSIS: In poſtica ejus Inſignia cum inſcriptione: MEDIOLANI. AC. AST*ae* DN, *Dominus*. Scilicet percuſſus fuit Nummus, antequam is Regnum Galliarum iniit, quo etiam tempore titulum arripuit *Ducis Mediolani*.

Quinquageſimus, & Quinquageſimus primus in eodem Muſeo exiſtentes, pertinent ad eumdem *Ludovicum Ducem Aurelianenſem*, poſt Caroli VIII. mortem Francorum Regno auctum. Ibi Hiſtrix coronata cum literis LVDOVICVS DEi. Gratia. FRANCOR*um* REX. In averſa facie: MedioLani. DVX. ASTENSISQVE *Urbis* DomiNuS.

Quinquageſimus ſecundus Nummus apud Comitem Andream de Sanctis Mutinenſem, exhibet *Ludovici XII.* Francorum Regis vultum. Circiter Annum Chriſti MCCCCXCIX. percuſſus fuit, ſcilicet poſt ereptum Ludovico Sforziæ Mediolanenſem Ducatum. Hæc ibi epigraphe: LVDOVICVS D. G. FRANCORVM REX. In averſa parte figura inſidens equo currenti cum inſignibus Francorum Regum, ac literis MEDIOLANI DVX.

Quinquageſimum tertium poſſidet Dominicus Vandellius in Mutinenſi Gymnaſio Mathematicarum Artium Profeſſor. Ad eumdem Regem ſpectat.

Quinquageſimum quartum adſervat in Mutinenſi ſuo Muſeo Alexander Bertacchinius. In ejus area L. coronatum viſitur, nempe monogramma Regis. In limbo LV. D. G. FRANCORVM REX. In poſtica effigies Sancti Ambroſii cum literis S. A. In limbo MEDIOLANI. DVX.

Vide Le-Blancum, qui alios refert. Reliquos Mediolanenſium Nummos prætermitto, utpote ultra inſtitutum meum procurrentes.

Digitized by Google

IN ADDITAMENTA AD NUMMOS MEDIOLANENSES MONITUM.

SAtis uberem dederam Mediolanenſium Nummorum Syllogen. Attamen, dum hæc prælo mandaretur, in mentem venit præclariſſimis Sociis Palatinis alios etiam perquirere, qui meam fortè diligentiam effugiſſent, eorum quippe eſt gloriam nobiliſſimæ Patriæ ſuæ, quantis poſſunt viribus amplificare. En ergo ad Nummos Mediolanenſes non mediocre additamentum, quod ipſis acceptum refero. Illud quia antea dare non potui, conjectum in hunc locum volui.

PRimum argenteum ſervat Marchio Abbas Aliprandus Vicecomes Patricius Mediolanenſis, ad unum ex Henricis ſpectantem. In antica S. Ambroſius ſedens, dexterâ benedicens; in poſtica S. Gervaſius, & Protaſius barbati cum intermediis litteris HENRICVS IMPERATOR.

Secundus pariter argenteus penes eumdem; ibi S. Ambroſius ſedens mitratus cum diademate, ſiniſtrâ baculum, dexterâ benedicens, bipartito ad latera ejuſdem nomine. In altera parte Crux interſecata triangulis, & in circulo MEDIOLANVM.

Tertium argenteum ſuppeditavit Comes Conſtantius de Abdua Patric. Mediol. In antica viſitur S. Ambroſius mitratus cum diademate, ferula, & baculo, circumſcriptis litteris S. AMBROSIVS MEDIOLAN. In poſtica anguis puerum vorans cum litteris ad latera G. Z. & per gyrum ✠ GALEAZ VICECOMES MEDIOLANI &c.

Quartus aureus, quem retinet nuper memoratus Comes de Abdua, habet ex una parte ſtemma Vicecomitum cum corona, ſuperimpoſito capite ſerpentis, & litteris hinc inde G. Z. In circuitu ✠ DOMINVS MEDIOLANI &c. ex altera parte figura equeſtris enſe evaginato cum litteris ✠ GALEAZ VICECOMES.

Quinctus, & Sextus nummus, ambo argentei, viſuntur in Muſeo ſupradicti March. Aliprandi Vicecomitis, habent in antica S. Ambroſium ſedentem cum ferula, & baculo; Quinctus in poſtica anguem cum puero, & litteris hinc inde D. B., circumſcriptis D. BERNABOS VICECOMES MEDIOLANI. Sextus oſtendit caſſidem cum angue vorante puerum, quem interſecant litteræ D. B., & circumſcriptis litteris D. BERNABOS VICECOMES MEDIOLANI &c.

Septimus pariter argenteus apud prælaudatum Marchionem Aliprandum, exhibet integrum anguem, puerum vorantem cum litteris MEDIOLANI DOMINVS, in altera parte caſſidem cum capite anguis, & litteris DOMINVS BERNABOS.

Octavus æneus apud eumdem Marchionem eſt ſimilis quincto, excepto quòd ſuper anguem exprimitur Aquila unius capitis; & in area B. G., ideſt *Bernabos*, & *Galeaz*. In circuitu BERNABOS ET GALEAZ VICECOMITES.


Nonus argenteus in Muſeo Aliprando oſtendit Joannis Galeatii effigiem litteris circumſcriptis IOHANNES GALEAZ COMES VIRTVTVM, in altera parte figuram equeſtrem enſe evaginato cum litteris ✠ DVX MEDIOLANI &c.

Decimus nummus aureus elegantiſſimus ſervatur apud heredes Antonii Reynæ, veterum Numiſmatum, dum viveret, ſtudioſiſſimi. Faciem exhibet Jo. Galeaz, circumſcriptis litteris: IO. GALEAZ. V. C. (nempe *Vice Comes*) DVX. MEDIOLANI. 7. cz. cum capite mi-

Digitized by Google

MEDIOLANUM.

I




II



III



IV



V



VI



VII




VIII




IX




X



XI




XII



Digitized by Google

Tab. XVIII.

XIII




XV



XIV




XVI



XVII



XVIII



XIX



X X



XXI.

Digitized by Google

mitrato S. Ambroſii in ſummitate. In altera parte aream occupat anguis coronatus puerum vorans, cum litteris: PAPIE. ANGLERIEQ3. COMES. 7. c.

Undecimus æneus, & extat in Muſeo Aliprando; ibi S. Ambroſius ſedens cum ferula, & baculo, circumſcriptis litteris S. AMBROSIVS MEDIOLANI. In poſtica integer anguis puerum vorans cum litteris I. M., & in circuitu IOHANNES. MARIA. DVX. MEDIOLANI &c.

Duodecimus aureus. In antica ſtemma Vicecomitum cum caſſide ſerpentis puerum vorantis habet, & litteras ad latus cum corona FI. MA. legitur epigraphe DVX MEDIOLANI &c. In poſtica figura equeſtris, ut in aliis ejuſdem Ducis Philippi Mariæ Vicecomitis. Illuſtriſſimus Comes Conſtantius de Abdua ſuppeditavit.

Decimumtertium pariter aureum ſervant Marchio Abbas Aliprandus, Comes de Abdua, ac Bibliotheca Ambroſiana. In antica S. Ambroſius cum mitra, & diademate, dexterâ ferulam, ſiniſtrâ baculum ferens, litteris circumſcriptis S AMBROSIVS MEDIOLANI. In poſtica M. aream occupat, ſuperimpoſito ſcuto cum Cruce, litteris in gyrum expreſſis COMVNITAS. MEDIOLANI. Poſt mortem Philippi Mariæ Vicecomitis, Mediolanenſes in libertatem ſeſe aſſeruerunt, quam per XXX. menſes obtinuere. Eo tempore cuſum fuiſſe hunc nummum, effigies S. Ambroſii cum flagro ſatis apertè oſtendit.

Decimumquartum nummum publici juris fecit Anno MDCCXVIII. Bartholomæus Curtius Phyſicus Mediolanenſis in Notit. Hiſtoricis Medicorum Mediolanenſium pag. 35. Eumdem æreum ſervant Marchio Theodorus Alexander Trivultius, & Comes Conſtantius de Abdua ante laudati. Pertinet ad Franciſcum Sfortiam, cujus effigies in antica cernitur, circumſcriptis litteris: FRANCISCVS SFORTIA VICECOMES DVX MEDIOL. IIII. Poſtica verò exhibet ejuſdem in Urbem ingreſſum ſub pallio, accurrentibus undequaque civibus, ut manum deoſcularentur, quod contigit anno MCDL. IV. Kal. Martias. In circuitu legitur epigraphe CLEMENTIA ET ARMIS PARTA.

Decimus quinctus argenteus exſtat in Muſeo Aliprando. Ibi S. Ambroſius mitratus ſedens cum ferula, & baculo, in poſtica aquilæ duæ, & duo angues cum litteris F. S. ideſt *Franciſcus Sfortia* DVX. MLI. PAPIE. ANGLERIEQVE. COMES ✠.

Decimus ſextus aureus reperitur in eodem Muſeo. Ex una parte figura equeſtris cum enſe evaginato, & litteris ✠ F. S. DVX. MLI. AC CREMONE. DNVS, in altera parte caſſis cum ſerpente, & litteris F. S., circumſcripto ✠ PAPIE. ANGLERIEQVE. COMES.

Decimus ſeptimus argenteus ex Muſeo Aliprando depromtus, exhibet in antica effigiem Franciſci cum litteris ad latera F. S., in circuitu litterarum exprimitur parvus anguis, deinde DVX MLI PAPIE ANGLERIEQVE COMES. In poſtica S. Ambroſius cum mitra, ferula, & baculo, addito in circuitu S. AMBROSIVS MEDIOLANI.

Decimum octavum argenteum nummum majoris moduli Bibliotheca Ambroſiana ſervat, in quo viſitur ex una parte effigies Galeaz M. cum inſcriptis litteris: GALEAZ. M. SF. VICECOMES. DVX. MEDIOLANI. QVIT. 1470. (Hic Annus in typo hujus nummi ab inciſore per incuriam omiſſus fuit) & caput mitratum S. Ambroſii. In poſtica leo ſedens in flammis, dexterâ tenens truncum cum ſitulis, caſſidato capite; ad latera inſculptis litteris GZ. M. cum corona ſuperpoſita. In circuitu legitur DVCALIS. MAIESTAT. ASSERTOR. HVMANI. GENERIS. DECVS. cum angue coronato.

Decimus nonus nummus argenteus ſervatur ab heredibus Antonii Reynæ, præfert iſte Bonæ effigiem capite velato cum litteris in circuitu: BONA. 7. IO. GZ. M. DVCE. MELI. VI. & capite mitrato S. Ambroſii. In poſtica Phœnix viſitur ſuper rogum cum lemmate: SOLA. FACTA. SOLVM. DEVM. SEQVOR. Poſt mortem Mariti, quæ contigit anno 1476. cuſus hic nummus.

Vigeſimus pariter argenteus penes eoſdem cum ſimili facie; ſed in poſtica effigies illius Mariti cum angue, ac litteris per gyrum GALEAZ. MARIA. SFORTIA. VICECOMES. Adeſt alter ſub eodem numero ſimilis moduli, ad Galeatium M. pertinens, in cujus poſtica ſtemma Vicecomitum cum coronâ, unde exeunt rami olivæ, & palmæ, & ad latera trunci ardentes, cum ſitulis, ac litteris: DVX MLI QVINTVS.

Vigeſimus primus argenteus ad Galeaz Mariam ſpectat, parum diſſimilis a jam deſcripto ſub numero XVIII., expreſſis in poſtica litteris: PAPIE. ANGLERIE. Q3. CO. AC. IANVE. DNS.

Vigeſimus ſecundus aureus ſervatur à Comite Conſtantio de Abdua. In antica caput Jo. Galeaz cum birreto. In circuitu caput S. Ambroſii cum inſcriptione: IO. GZ. M. SF. VICECO. DVX. MLI. SX. In poſtica ſtemma Vice-

Digitized by Google

comitum ſimile edito in præcedentibus nummis, dempto quòd loco capitis S. Ambroſii adeſt Crux.

Vigeſimum tertium argenteum ſervat Marchio Abbas Aliprandus. In antica effigies Galeaz cum litteris GZ. M. In poſtica S. Ambroſius caſulâ indutus cum mitra actu percutiendi ſcutica milites clypeatos, atque aſtatos fugientes, & S. AMBROSI*us*.

Vigeſimus quartus aureus ſimilis vigeſimo ſecundo, niſi quod moduli aliquantulum parvioris, ac diversâ in poſtica caſſidis anguiferæ delineatione. Extat apud heredes Antonii Reynæ.

Vigeſimus quinctus æneus ſervatur a Comite Conſtantio de Abdua, in cujus antica viſitur caput Ludovici Mariæ cum litteris in circuitu: LVDOVICVS. M. SF. ANGLVS. DVX MLI. & capite S. Ambroſii mitrato. In poſtica Beatricis ejus uxoris imago, cum litteris: ✠ BEATRIX SF. AN. EST*enſis* DVX. MLI., & capite S Ambroſii, uti ſupra.

Vigeſimus ſextus argenteus ex Muſeo Marchionis Abbatis Aliprandi depromtus, oſtendit in antica S. Ambroſium ſedentem cum mitra & diademate, ferula & baculo, circumſcripta epigraphe: FR. D. G. FRANCOR. R. In poſtica lilia Francorum cum duobus anguibus puerum vorantibus, litteris in gyrum ſcriptis MEDIOLANI. DVX. ET. C. ac capite mitrato S. Ambroſii.

Vigeſimus ſeptimus æneus in eodem Muſeo, ex una parte Salamandram exhibet inter flammas cum diademate ſuperimpoſito, & litteris: ✠ FRANCISC. D. G. FRANCORVM. REX. ex altera S. Ambroſium extenſo pallio ſtemma Ludovici tegentem, & lemmate MEDIOLAN. DVX. ET. C.

Vigeſimus octavus argenteus ibidem. In antica corona regalis, pendentibus hinc inde duobus palliis, & circumſcripto MEDIOLANI DVX ET CET. In poſtica ſtemma Regum Francorum cum tribus liliis; inſculptis ex utraque parte anguibus cum corona, & litteris: ✠ LVDOVICVS D. G. FRANCOR. REX.

Vigeſimum nonum argenteum ſervat Com. Conſtantius de Abdua, in cujus antica caput Ludovici cum epigraphe ✠ LVDOVICVS D. G. FRANCORVM REX. In poſtica S. Ambroſius equeſtris cum flagro, & litteris MEDIOLANI DVX, ac ſtemmate Regum Franciæ ſub equo.

Trigeſimus æneus ex Muſeo Aliprando ſuppeditatus fuit, exhibet in antica M. coronatum & ✠ MAXIMILIANVS. in gyrum. In poſtica verò Vicecomitum caſſidem cum litteris DVX MEDIOLANI.

Trigeſimum primum argenteum Maximiliani nummum habet idem Marchio Abbas Aliprandus. Ex una parte avis trunco inſidens cum alis elevatis, flammiſque in gyrum diſtributis. Ibi legitur Dux MEDIOLANI. ET. CET. In altera parte viſitur ſerpens puerum vorans cum corona, & litteræ in circuitu exprimunt: MAX. MA. SFOR. VICECO. cum capite S. Ambroſii.

Trigeſimus ſecundus apud heredes Antonii Reynæ. In una facie Caroli V. effigies cum corona laurea, & litteris in circuitu: CAROLVS. V. AVG. IMP. CAES. In alio latere duæ imagines integræ Epiſcoporum, ſupervolitante columba, ſcriptis inferiùs nominibus: S. AGV*ſtini*. S. AMB*roſii*, & per gyrum TE. DEVM. LAVDAMVS.

Trigeſimus tertius argenteus penes eoſdem. In eo caput Caroli V. coronâ laureâ cum litteris: CAROLVS. V. AVG. IMP. CAES. In alia facie mulier ſedens capite velato, cum tropheis militaribus, & infra ſcripto PIETAS. In circuitu S. P. Q. MEDIOL. OPTIMO. PRINCIPI.

Trigeſimus quartus argenteus ab iiſdem communicatus, habet in uno latere Caroli V. effigiem, litteris circumſcriptis: CAROLVS. V. IMPERATOR. In alio S. Ambroſium ſtantem cum ferula & baculo, ad pedes ſcripto MLM., nempe *Mediolanum*, & per gyrum SANCTVS. AMBROSIVS.

Trigeſimum quinctum poſſidet Marchio Jacobus Fagnanus Patritius Mediolan. Ex una parte columnæ duæ erectæ, cum vitta circumvolitante, in qua expreſſum legitur PLVS VLTRA. ac diademate imperiali in vertice, circumſcriptis litteris CAROLVS V. IMP. Stemma hoc invenit poſt detectionem Indiarum Occidentalium Aloyſius Marlianus Mediolanenſis, quemadmodum colligitur ex Paulo Jovio in libro, cui titulus: *Dialoghi delle Impreſe*. In poſtica S. Ambroſius mitratus cum caſula, ferula, & paſtorali, ſcripto per gyrum S. AMBROSIVS.

Trigeſimus ſextus argenteus deſumtus ex Muſeo prælaudati Comitis de Abdua. In antica caput Franciſci Secundi cum birreto, circumſcriptis litteris FRANCISCVS SF. VICECO. DVX MEDIOLANI II. In poſtica caput Ludovici Mariæ cum anguibus ad latera, & literis in gyrum LVDOVICVS. M. SF. DVX. MEDIOLANI. 7. c. Adeſt etiam aureus ejuſdem moduli penes eundem equitem cum poſtica exprimente ſtemma Familiæ coronatum cum ramis olivæ, & palmæ; in lateribus trunci ardentes cum ſitulis, & litteris DVX. MLI. SECONDVS. in vertice caput S. Ambroſii medium inter litteras S. A.

Tri-

Digitized by Google

XXI




XXII




XXIII



XXIV



XXV




XXVI



XXVII



XXVIII



XXIX




XXX



XXXI




XXXII



XXXIII.

Digitized by Google

Tab. XX.



Digitized by Google

Trigesimus septimus apud heredes Antonii Reynæ. Hic nummus aureus ostendit caput barbatum cum litteris in circuitu: ✠ FRANCISCI. SF. II. DVCIS. MLI. In altera parte bustum mitratum S. Ambrosii cum litteris: S. AMBROSIVS. ARCHIEP. MEDI.

Trigesimum octavum, uti & sequentem, servant iidem. Ibi figura equestris, ense evaginato, cum litteris: FRANCISCVS SFORTIA II. In aversa facie stemma Familiæ cum corona, & litteris: DVX MEDIOLANI 7. c.

Trigesimus nonus argenteus servatur in Ambrosiana Bibliotheca. Visitur in area effigies Francisci II. cum litteris in circuitu: FRANCISCVS II. DVX MEDIOLANI ETc. ✠. In postica arbor frondosa vento spirante cum lemmate: NEC SORTE NEC FATO, & in summitate caput S. Ambrosii mitratum.

Quadragesimum, ac duos posteriores humaniter ostendit Marchio Abbas Aliprandus. Exhibet hic nummus æneus in anteriori facie S. Ambrosii bustum mitratum cum flagro, & pastorali, litteris circumscriptis ✠ SANCTVS AMBROSIVS; in posteriori visitur corona cum ramis olivæ, & palmæ, ac litteris: FRANC. SECVNDVS DVX MLI.

Quadragesimus primus argenteus præfert in antica tres monticulos cum floribus insurgentibus, & lemmate: FRANCISCVS SECVNDVS; in postica stemma Familiæ cum litteris ✠ DVX MEDIOLANI &c.

Quadragesimus secundus æreus signatur ex una parte coronâ cum ramis palmæ, & olivæ, circumscripto lemmate: ✠ FRANCISCus SECVNDVS; ex altera stemmate Familiæ Sfortiæ, additis ad latera F. II. (nempe *Franciscus Secundus*) circumpositis litteris DVX MEDIOLANI &c.

LUCA.

PRogrediamur ad Lucensem Urbem, quæ olim uti caput Tusciæ Langobardicæ, prout jam Par. I. Cap. XVII. pag. 154. Antiquit. Estens. monui, sub imperio Langobardorum prærogativâ Monetæ frui cœpit, eamque sub Francis ac Germanis per subsequentia Sæcula retinuit, ita ut non celebris minus esset *Lucensis*, quàm *Papiensis* pecunia. In Charta Anni DCCXLVI. a me producenda in Dissertatione LXXIV. *de Parochiis*, memorantur *auri Solidi boni Lucani numero centum*. Item in altera exarata *Anno Primo Aistulfi viro Excellentissimo Rege Indictione III.* ideſt Anno Christi DCCL. Tanualdus Presbyter Walprando Episcopo Lucensi pollicetur, se rite famulaturum Ecclesiæ Sancti Reguli in Waldo, *sub pœna CC. Solidorum bonorum Lucensium*. In ea Civitate quum olim essem, Nummus mihi ostensus est, in cujus antica parte legebatur DN. AIST. REX, ideſt *Domnus* seu *Dominus Noster Aistulfus Rex*; circa Annum Christi DCCLI. percussus. In postica erat FLAVIA LVCA, quo titulo ornatam quoque Mediolanensem Urbem supra vidimus. Testatur etiam Le-Blancus, sibi æreum Numisma fuisse *Desiderii* Langobardorum *Regis* cum FLAVIA LVCA. Et eum quidem alteri similem puto, quem Angelus Breventanus Ticinensis in Arbor. Genealogic. Reg. Langobardor. edidit, atque ego conspiciendum omnibus infra exhibebo.

Itaque Primus Nummus argenteus ab Huberto Benvogliento Patricio Senensi olim mihi indicatus, ad quem Regum spectet, ignoro. Nam antica pars præfert Crucem, atque epigraphen nimium peregrinam, scilicet VIVIVIVIVIVIV. Vide infra similem in Nummo Pisano. Postica habet Stellam cum literis FLAVIA LVCA. Sed quum eadem Crux & Stella occurrant in subsequenti Nummo, fortassis hic referendus est ad Desiderium Regem.

Secundus Nummus a Breventano evulgatus, Crucem habet in medio cum literis DN. DESIDER. REX: scilicet *Dominus noster Desiderius Rex*. In postica FLAVIA LVCA. Percussus fuit circiter Annum Christi DCCLVII.

Tertium debemus Le-Blanco. Ibi Crux cum epigraphe CARLVS REX FR. Altera facies exhibet ejusdem Regis Monogramma, ideſt CARLVS, vel CAROLVS; circumstat LVCA. Percussus fuit circa Annum Christi DCCLXXV. postquam Carolus Langobardorum Regnum sibi subjecerat.

Quartum protulit idem Le-Blancus. Ibi legitur DN CARVLVS REX, & in altera parte FLAVIA LVCA.

Usque ad tempora Ottonis Magni Augusti nullus alius Lucensium Nummus se mihi obtulit. Ad ipsum verò Ottonem, aut ad ejus filium Ottonem II. aut ad Tertium, nepotem, pertinere videtur Nummus Quinctus Mutinæ in Museo Bertacchinio exsistens. Ibi LVCA in medio, & circum OTTO IMPERATOR. In postica effigies Sancti Petri cum literis S.PETRVS. Post Annum Christi DCCCCLXII. cusus hic Nummus.

Sextus a prælaudato olim Huberto Benvogliento ad me missus, in area exhibet Monogramma Ottonis Augusti, quo exprimuntur hæ literæ OTTO. In limbo legitur IMPERATOR.

In

In postica habetur LVCA, & in circuitu OTTO PIVS REX.

Septimus Nummus, quem ego adservo, habet in medio LVCA, in circuitu EINRICVS, & in postica IMPERATOR cum siglis in medio, de quibus infra. Ad quemnam e sex *Henricis* Augustis sit iste referendus, nemo facile decernat.

Octavus in Museo Bertacchinio, & Nonus in eodem, atque in Chiappinio Placentiæ, perquam similes quidem, sed non iidem sunt. Habes in præcedenti horum quoque explicationem. Neque in hoc loco prætermittam Ptolomei Lucensis Historici verba in Annalib. brevib. ad Annum MCLV. *Fridericus*, inquit, *Imperator concessit, sive confirmavit Lucensibus Monetam eis concessam per suos antecessores Imperatores*. Tum ad Annum MCLXXX. refert, Bononienses fidem suam obligasse *de Moneta Lucensi tenenda & expendenda per Civitatem Bononiæ & totam suam fortiam*. Sequenti autem Anno *Lucius Papa natione Lucensis* (si eidem Ptolomeo credimus) *concessit Lucensibus Monetam cudendam; quam Civitatem summe commendans, omnibus Civitatibus Tusciæ, Marchiæ, Campaniæ, & Romagnolæ, & Apuliæ in Moneta præponit. Unde dicta Moneta ab illo tempore in prædictis partibus magis fuit usualis*. Animadvertit autem idem Historicus, *duas Monetas antiquis temporibus magis cucurrisse in Italia*, nempe in Lombardia, *Papiensem*, favente Friderico I., *Lucensem* verò, *ubi Ecclesia magis dominabatur, & quod dicta Civitas Romanæ Ecclesiæ semper fuit subjecta*. Parcat Ptolomeus: fieri non potest, ut Romanus Pontifex Lucensibus *concesserit* jus Monetæ cudendæ; neque enim Pontificii umquam juris in temporalibus ea Civitas fuit. Ad Imperatores autem pertinebat ejusmodi facultatem largiri: quod & factum tamdiu antea, & modò vidimus a Friderico I. ad Annum MCLV. confirmatum. Neque scribendum erat, Lucam *Romanæ Ecclesiæ semper* fuisse *subjectam*. Fidelis & obsequens utique fuit, non autem subjecta. Ceterum non ævo tantùm Friderici, sed per antecedentia Sæcula, ut jam monuimus, Moneta Papiensis & Lucensis in usu Italiæ fuit, quippe præsertim apud eas Civitates jus viguit percutiendæ Monetæ.


Decimum Nummum debeo Dominico Vandellio Mutinensi supra mihi laudato. Ibi legitur in circuitu OTTO REX, & in medio Siglæ, ut supra. In altera Nummi facie, vultus hominis cum epigraphe S. VVLT. DE LVCA, idest *Sanctus Vultus de Luca*. Ligneam nempe figuram hominis e Cruce pendentis Lucenses in Majori Templo summa veneratione custodiunt, per quam Divini Salvatoris nostri veram effigiem referri vetus fama tradit, opus nempe, ut sibi persuadent, Sancti Nicodemi, non sine prodigio ad Lucensem Urbem delatum. Ego nihil magis, quàm Statua illa, ab imagine ac formâ Christi Redemtoris alienum vidi. Neque aliter visum Fratri Nicolao Siculo Ordinis Minorum, doctissimo Theologiæ Magistro, qui, uti narrat Francus Sacchettus Auctor Sæculi XIV. Cap. 73. Novell. in publica concione de Facie Christi Domini dicebat: *Non è fatta, come la Faccia del Volto Santo, che è colà: che ben ci vegno a crepare, se Cristo fu così fatto*. At quamquam inter fabulas numeranda sit illius fabrica atque translatio, famæ tamen antiquitas, & Imaginis illius vetustissima veneratio ac celebritas, Lucensibus non est deneganda. Nam vel Sæculo Christi Undecimo Guillelmus II. Angliæ Rex *per Sanctum Vultum de Luca* jurare consuevit, ut ex Guillelmi Malmesburiensis Historiæ Libro quarto, atque ex Eadmero Lib. primo & secundo Historiæ constat. Gallicus quidam Auctor in Libro, cui titulus *Les Amenitez de la Critique*, censet, Anglicum illum Regem juraſse *per Sanctum Vultum Christi Domini pictum a Sancto Luca*. A vero declinasse illum arbitror. Porro solemne fuit Lucensi Populo Vultum hunc sanctum in suis Nummis exprimere: quod quando primùm factum fuerit, prorsus ignoro. *Otto* heic memoratus, fortasis est *Otto III.* qui multos annos Regio dumtaxat titulo in Italia est dominatus, ac tamdem Romæ Anno Christi DCCCCXCVI. Imperator est renuntiatus. Si quis tamen malit *Ottonem IV.*, qui Lucenses multis privilegiis ornavit, non obsistam. Certe Vultus sanctus in Nummis antiquis Lucensium frequens spectatur. Vidi ejusdem Urbis Nummulos æreos (*Sesini* appellamus) postremis hisce temporibus percussos, in quibus LIBERTAS legitur, & in circuitu OTTO REX. Quæ indicant, ad unum ex Ottonibus referri a Lucensibus facultatem pecuniæ signandæ: quod Genuenses quoque per complura Sæcula fecere, ut infra monebo, *Conradum Regem* in suis Nummis signantes.

Undecimus argenteus apud Abbatem Chiappinium Placentiæ adservatus, Siglas supra visas exhibet in medio, sed ita ut videantur non duo T., sed veluti geminæ Columnæ cum transverso chlatro eas colligante. Attamen si contendas, Monogramma Ottonis ibi designari,


Digitized by Google

L U C Æ.


I




II




III




IV




V



VI




VII




VIII



IX




X



XI



XII



XIII.


Digitized by Google

Tab. XXII.

XIII



XVI




XIV



XVII




XV



XVIII



XIX



Digitized by Google

ri, non repugnabo, quamquam eadem Sigla, ut ſupra vidimus, occurrat in Nummis Henrici Auguſti. In circuitu legitur OTTO REX. In poſtica effigies Lucenſis Imaginis cum ſupra relata epigraphe *Sanctus Vultus de Luca*.

Duodecimus Nummus argenteus in Muſeo Bertacchinio Mutinæ, atque in Chiappinio Placentiæ a me viſus, *Ottonem*, non *Regem*, ſed *Imperatorem* prodit. Ibi in medio LVCA, in limbo OTTO IMPERATOR. In averſa parte Imago cum literis SANTVS VVLTVS. Incertum, indicetur-ne OTTO IV. heic, an aliquis e tribus præcedentibus Auguſtis ejuſdem nominis.

Decimus tertius argenteus apud amicum olim meum Hubertum Benvoglientum Senenſem, in area habet ſive Monogramma Ottonis, nempe duo TT. colligata, ſive columnas duas, cum palmula ſubjecta. In limbo eſt OTTO REX In poſtica Imago cum literis S. VVLT*us* De LVCA.

Decimus quartus apud eumdem Benvoglientum, præcedenti ſimilis eſt, niſi quod ſuper Monogramma viſitur Aquila.

Decimus quinctus Mutinæ in Muſeo Bertacchinio adſervatus Aquilam præfert cum epigraphe OTTO REX. In poſtica L. aream implet, & in limbo LVCA IMPERIALIS.

Decimus ſextus Mutinæ adſervatus apud olim Angelum Blancum Sacerdotem. Ibi inſignia Reipublicæ Lucenſis, nempe in Scuto coronato LIBERTAS cum literis OTTO IMPERATOR. In poſtica effigies Epiſcopi cum epigraphe SANCTVS PAVLINVS, Epiſcopus & Protector Lucenſium. Atque hactenus Nummos quoſque, mihi viſos, ad Lucam ſpectantes, congeſſi, in quibus *Ottonis Regis*, aut *Imperatoris* mentio eſt: non quod omnes percuſſi fuerint, dum Ottones imperarent, aut unus ſaltem ex iis regnaret. Sunt in his nonnulli longe ſerius ſignati: quippe repeti conſuevit in Nummis Ottonis nomen, qui privilegium Monetæ conceſſerat, aut reſtituerat.

Decimus ſeptimus, Decimus octavus, & Decimus nonus ad *Carolum IV. Imperatorem* ſunt referendi, qui Reipublicæ Lucenſi Sæculo Chriſti Decimoquarto Libertatem diu ereptam reſtituit. Mutinæ adſervantur, neque explicatione indigent. Mihi, dum Lucæ forem, ſignificavit amicus quidam meus, ſibi viſum ejuſdem Civitatis Numiſma, in circuitu hunc verſiculum habens:

„ LVCA POTENS STERNIT,
„ SIBI QVÆ CONTRARIA CERNIT.

Vereor, ne Sigillum pro Numiſmate amicus ille acceperit. Liberarum quippe Civitatum mos fuit Sæculo præſertim Tertiodecimo epigraphes loco Leoninum aliquem Verſiculum ſuis Sigillis addere, ut ex aliis exemplis liquet, quæ inferius in Diſſertatione *de Sigillis* commemorabo.

PRINCIPES BENEVENTANI ET SALERNITANI.

SEd præter haſce tres Italici Regni Urbes, *Ticinum* videlicet, *Mediolanum*, & *Lucam*, olim Duces quoque & Principes Beneventani pecuniam cudiſſe deprehenduntur. Splendida plane fuit barbaricis temporibus illius Ducatus dignitas, amplitudo atque potentia, utpote qui potiorem partem Regni nunc Neapolitani complecteretur. Attamen dum ſtetit Langobardorum Regnum ſub ſuis Regibus, numquam induxiſſem animum ad credendum, licuiſſe Ducibus illis ſignare Nummos, niſi ex iis unum nobis in Stemmate Genealogic. Reg. Langobardor. ſervaſſet Angelus Breventanus, quem heic ſiſto ſub num. I. Viſitur ibi effigies hominis cum Cruce, ac duabus Stellis, & in poſticâ altera Crux cum Monogrammate, ideſt cum literis OGRE, ſeu GREO, quæ idem Breventanus interpretatur *Gregorius*. Anno revera DCCXXXI. Beneventanæ provinciæ præfuit *Gregorius Dux* regnante tunc Liutprando Rege. Et ſane in eo Monogrammate ne ego quidem alium legere potui, niſi *Gregorius* Verùm durum adhuc mihi videtur credere, tantum auctoritatis fuiſſe Ducibus Beneventanis, ut ſub Rege Langobardo, quem uti ſupremum Dominum colebant, & a cujus imperio pendebant, pecuniam cuderent unâ ſui effigie ſignatam, nullâque Regis factâ mentione. Illud contra exploratum eſt, ex quo excidit Langobardorum Regum dominatio Anno DCCLXXIV. Regnumque Italicum Carolo Magno Francorum Regi parere didicit, Arichiſum Beneventanorum Ducem, quum ſe liberum a veteri Domino agnoſceret, ne novo ſubderetur, quantis potuit viribus fuiſſe luctatum. Quare is omnia Regis, præterquam nomen, jura ac ornamenta arripuit, atque inter illa, ut videtur, Monetam; ſeque non amplius *Ducem*, ſed *Principem*, hoc eſt ſupremum Dominum Beneventanæ ampliſſimæ Provinciæ deinceps inſcripſit. Pares animos a parente accepit Grimoaldus III. ejus filius; quamvis enim poſt mortem patris a Carolo Magno, apud quem obſes erat, dimiſſus eo pacto fuiſſet, *ut*

Digitized by Google

Chartas, Nummosque sui nominis (ideſt Caroli) *characteribus superscribi semper juberet*, uti Anonymus Salernitanus, & ex eo Camillus Peregrinius in editione Erchemperti, teſtatur : is nihilominus promiſſa brevi eſt oblitus . In *suis aureis* (ita idem Erchempertus ſcribit) *ejus nomen aliquandiu figurari placuit ; mox pacta pro nihilo duxit obſervanda* .

Ejuſdem Grimoaldi Tertium Nummum Le-Blancus produxit, quo Salernitani Scriptoris ſententia confirmatur . Eum conſpice Num. II. Ibi habes effigiem Principis Crucem ſupra caput gerentis cum literis GRIMVALD. In altera facie Stemma crucigerum more Nummorum temporibus iis Conſtantinopoli cuſorum . Hinc G. vel S. & inde V. Subtus VII. In circuitu DOMS CARLVS R. ideſt *Domnus Carlus Rex*. Liceat tamen dicere : Nummum hunc non ſatis exacte expreſſiſſe videtur Le-Blancus. Ejus ectypon accuratiùs deſcriptum antea dederat Breventanus . Illuſtriſſimus etiam Eques Pius Nicolaus Garellius Auguſtiſſimi Imperatoris Caroli VI. Bibliothecæ Præfectus , ejuſque Archiatrus, & a Conſiliis, Nummum eumdem aureum in ſuo Muſeo adſervans , ſimile alterum ejuſdem ectypon ad me miſit. Sed & eumdem accepi ex Muſeo Sabbatinio Romano . Quare Nummum ipſum percuſſum circiter Annum Chriſti DCCLXXXVII. rectiùs expreſſum Num. III. Lector accipiat . In altera facie legitur DOMS. CAR. R. ideſt *Domnus Carolus Rex* ; hinc inde S. R. quas literas , dum meliora adferant alii , interpretor *Sacra Religio* , quum in aliis *Chriſtiana Religio* occurrat ; vel ſi mavis *Salus Regni* . In imo non *VII.* ſed VIC. legitur , ideſt *Victoria*, quo nomine inſigniti ſunt & alii Nummi .

Verùm non diu Grimoaldus promiſſis ſtetit, ut dixi, immo *rebellionis jurgium initiavit*, uti Erchempertus Cap. 4. Hiſtor. teſtatur. Quamobrem viſitur alter ejus Nummus aureus ſine *Caroli* nomine . Eum produxit Breventanus , qui & *pondus ſeſqui drachmæ* ei tribuit . Idem quoque Numiſma in Muſeo Sabbatinio Romæ adſervatur. Illud vide heic infra Num. IV. Antica Principis imaginem præfert cum epigraphe GRIMVALD. In poſtica Crux, & S. R. & literæ VICTOR. PRINCIP. ideſt *Victoria Principum* : quæ epigraphe tunc familiaris in Numiſmatis ; niſi velis *Victoria Principibus*.

Quinctus Nummus aureus Romæ in prælaudato Muſeo Sabbatinio exſiſtens , ad *Sisonem Principem Beneventanum* ſpectat , qui Anno Chriſti DCCCXVII. Grimoaldo IV. ſucceſſit . In antica viſitur imago Principis , globum crucigerum ſuſtinentis , cum epigraphe SICO PRINCES . In averſa parte Sancti Michaëlis effigies , patroni videlicet , ut antea monui , Langobardicæ gentis , ſive Regni . In circuitu literæ MIHAEL ARHANGELV. ONO , fortaſſe CONOB. Parvulum etiam Monogramma Chriſti in area conſpicitur .

Sextus Nummus argenteus deauratus Mutinæ habetur in Muſeo Alexandri Bertacchinii . Ibi effigies Principis , Diadema, ſive Coronam margaritis ornatam cum Cruce ſuperpoſita geſtantis . Circumſtant literæ SICO PRINCE . In poſtica Crux cum duplici tranſtro , & hinc inde 2. C. quas interpretor *Salus Chriſtianorum* . In limbo legitur S. MICHAEL ARHANGELV .

Septimus Nummus aureus in Muſeo Sabbatinio Romæ exſiſtens, *Sicardum Principem* exhibet , qui Anno Chriſti DCCCXXXIII. Siconi patri ſucceſſit . Ejus effigies viſitur cum literis SICARDV. In altera facie Crux Græcorum nummorum ad inſtar cum literis hinc inde S.I. quæ fortaſſe ſignificant *Salus Imperii* . In circuitu VICTOR. PRINCIP. CONOB. uti in Græcis Nummis .


Scripſit ad me ex Urbe , quum in vivis eſſet, P. Eduardus de Vitry e Soc. Jeſu, vir doctiſſimus , & Nummariæ peritiſſimus , atque inſignis Muſei inſtitutor , ad ſe delatum fuiſſe Nummum ex ære inaurato , quem pro aureo incaute acceperat . Ibi effigies erat Principis , qualem in Sicardo conſpeximus , cum inſcriptione SICONOLFVS , & in averſa eadem Crux cum literis S. I. & VICTOR. PRINCIP. CONO. Is eſt *Siconolfus* Princeps primus Salerni , inter quem , & Radelchiſum Beneventi Principem Anno Chriſti DCCCXL. teterrimum bellum exarſit, in longum tempus productum, & Beneventani Ducatus diviſione tamdem compoſitum .

Octavum Nummum publici juris fecit Le-Blancus . Ibi Crux cum literis HLVDOVICVS IMPR. Is eſt *Ludovicus II.* Auguſtus Lotharii filius . In altera facie BENEVENTVM . Percuſſus Nummus circiter Annum DCCCLXXI. quo Imperator Beneventi verſabatur . Atque hinc etiam elucere poteſt , non defuiſſe Adelgiſo tunc Principi Beneventi querelarum cauſſam contra ipſum Ludovicum Auguſtum, quum iſte ita Beneventi dominatorem ageret , ut Adelgiſus contemtus , ac pæne excluſus videretur . En ab ipſo Auguſto Nummos Beneventi percuſſos , ſine ulla Adelgiſi Principis mentione . Erchempertum vide, ac Anonymum Salernitanum in Paralipomenis, Part. II. Tomi II. Rer,

Digitized by Google

PRINCIPUM BENEVENTANORUM, ET SALERNITANORUM.

I




II



III




IV



V



VI




VII



VIII



IX



Digitized by Google

Tab. XXIV.

PRINCIPUM NEAPOLITANORUM.

I




II



III



IV



V



VI



VII



VIII



Digitized by Google

Rer. Italicar. qui alia opprobria Beneventanis illata a Francis referunt ; ob quæ male accidit Auguſto ipſi Ludovico , ignominioſe capto , ac ſub multis pactis tamdem dimiſſo .

Nonus Nummus æreus , in Muſeo Chiappinio Placentiæ adſervatus , ad *Giſulfum Salerni Principem* ſpectat . Ejus effigies conſpicitur cum epigraphe GISVLF. . . . . In poſtica Urbis aſpectus ſuperpoſitis literis CIVITAS SAL. Giſulfus-ne Primus, an Secundus, heic deſignetur , ignoro . Nullum alium hactenus eorum Principum Nummum videre mihi contigit .

PRINCIPES NEAPOLITANI.

INclyta quoque Civitas *Neapolis* , ab antiquitate , amplitudine , ac venuſtate ſumme commendanda , & nunc nobiliſſimi Regni caput , quam ſibi ſubjicere nulli umquam licuit Langobardorum Regum & Principum Beneventanorum , jus Monetæ ab antiquis Sæculis ſervat , eoque uſi ſunt Duces , ſive Magiſtri Militum , ibi dominantes , de quibus actum eſt in Diſſertatione V. *de Ducibus* . Nummos nonnullos ab iis percuſſos congeſſit , & mihi ſuppeditavit N. V. Ignatius Maria Como Patricius Neapolitanus , humaniorum literarum cultor egregius , & ſingularis amicus meus .

Primus æreus incertum eſt , quo tempore fuerit cuſus . Ibi effigies viſitur *Sancti Januarii Martyris* , ac celeberrimi Neapolitanorum Patroni , cum literis SCS IAN. In poſtica Crux cum literis S. T. ideſt *Salutis Trophæum* . Mentionem hujus Nummi fecerunt Scriptores Neapolitani , Hieronymus de Sancta Anna Carmelitâ Excalceatus in Vita Sancti Januarii , Tutinus , Caracciolus , & alii .

Secundus æreus quoque , quo anno percuſſus fuerit , ignotum prorſus eſt . Ibi ejuſdem Sancti Martyris effigies conſpicitur , cum literis SC. IA. In poſtica Crux cum literis Græcis ΝΕΑΠΟΛΙC , ideſt *Neapolis* .

Tertius pariter æreus effigiem perhibet ejuſdem Sancti , cujus e collo pendet ſtola cum literis in pectore SIS, quas , donec alii propiora vero me doceant , interpretari liceat *Sanctus Januarius* . In limbo legitur Αποσ. Ιανουαριος , literis , ut nunc dicimus , curſivis , ideſt , ut conjicio , *Apoſtolus Januarius* . Sed cur Sanctum illum Martyrem titulo *Apoſtoli* donare voluerint Neapolitæ , divinare nondum potui . In poſtica epigraphe viſitur , rudibus Græcis literis efformata , hoc eſt , Λυρωσις της πολεως απο του τυρος . Communis Neapolitarum ſententia eſt , deſignari his verbis *Liberationem Urbis ab immani incendio montis Veſevi* . Videtamen quàm bene ſcripta fuerint Λυρωσις & πολεως . Quod certum mihi videtur , accentus ac ſpiritus appoſiti , ipſique errores , & forma characterum , non multam Nummi antiquitatem produnt .

Quartus aureus eumdem Sanctum Januarium exhibet ſtolatum , cum literis SIS in pectore , & in limbo SANCTVS IANVARIVS. Poſtica Crucem habet cum epigraphe Græca ΝΕΟΠΟΛΙΤΑΝ , ubi A. pro Ω. fuit impreſſum : hoc eſt , *Neapolitanorum* .

Quinctus æreus effigiem parum a præcedenti abſimilem præfert cum literis SCS IANV. In averſa facie viſitur imago *Sergii Ducis Neapolitani* , globum terraqueum , Cruce ſuperpoſitâ ornatum , ſiniſtrâ geſtantis . Additur & aſteriſcus . Ad latera diſpoſitæ ſunt literæ SERGIV DVX . Uti me monuit prælaudatus Como vir doctiſſimus , multa eſt inter Scriptores Neapolitanos concertatio , cui tribuendus ſit hic Nummus . Quinque enim ejuſdem nominis Sergii Duces Neapoli imperarunt . Franciſcus de Petris in Hiſtor. Neapolit. & nuper memoratus P. Hieronymus de Sancta Anna , cenſent Sergium eximium Principem Sancti Athanaſii Neapolitani Antiſtitis patrem heic deſignari , qui Anno DCCCXL. floruit . Verùm Cl. V. Nicolaus Carminius Falco , nunc Epiſcopus Marturanenſis , in Vitâ Sancti Januarii Italice ſcriptâ , veri putat ſimilius , referendum eſſe Nummum hunc ad *Sergium III.* Neapolis Ducem , qui *Protoſebaſti* titulum a Græcis Auguſtis ſibi comparavit .

Sextus Nummus æreus , a perquam rudi artifice cuſus , ſed perrarus , a mei amantiſſimo Abbate D. Alexandro Chiappinio Placentino ad me miſſus fuit . Perquam ſimilis præcedenti eſt , niſi quod heic *Sergius* dexterâ Crucem tenet . Eadem utrobique inſcriptio , ita ut veri ſimile videatur , ad unum eumdemque Sergium pertinere & iſtum Nummum .

Septimus æreus effigiem Sancti Januarii præcedentibus ſimilem nobis oſtendit , cum literis SCS IAN. In poſticâ ſculpta habetur imago Epiſcopi cum literis ad latera poſitis ATHA EPS, ideſt *Athanaſius Epiſcopus* . Is eſt Athanaſius junior Neapolitanorum Antiſtes ſimul & Dux , qui Anno Chriſti DCCCLXXX. propter fraudes & vitia non pauca famoſus evaſit .

Octavus Neapoli a P. Dominico Putignano Soc. Jeſu , antiquitatum ſtudioſiſſimo adſervatur . Quum fere in omnibus præcedenti ſit ſimilis , novâ explicatione non indiget .

Atque hactenus Neapolitani veteres Nummi ,

quos

Digitized by Google

quos congerere potui. Nulla mihi dubitatio est, quin eorum syllogen augere facillimum sit. Alios quoque nondum a me visos procudisse mihi creduntur *Principes Salernitani*, & *Capuani*; & aliquem ex postremis proditurum aliquando mihi spes est, ex quo Alexius Symmachus Mazochius Canonicus Capuanus V. Cl. antiquitates celebratissimæ Patriæ suæ illustrare pergit. Præterea veri simile mihi videtur, *Surrentinos*, & præsertim *Amalphitanos*, olim pecuniam signasse. Auctor est Franciscus Pansa Jurisconsultus in Histor. Amalphitan. Neapoli Anno MDCCXXIV. impressâ, Tarenos aureos ab Amalphitanis fuisse percussos, uti & majores aureos, in quorum altera facie visitur Leo cum literis GLORIA ROMANORVM; & in altera Rhinoceros cum epigraphe QVIES REIPVBLICÆ. Tradit etiam, Johannem Baptistam Mansum, Marchionem Villæ, & Patricium Amalphitanum, virum celebrem, in postremis tabulis suis reliquisse Nummum Amalphi percussum, in quo hæc inscriptio legebatur: MANSO DVX ET PATRICIVS. Hic Anno Christi DCCCXCII. Reipublicæ Amalphitanæ præfuit.

PRINCIPES, ET REGES NEAPOLIS, ATQUE SICILIÆ.

SUccessere tamdem Sæculo Christi Undecimo in Apulia, Calabria, & Sicilia, Principes Nortmanni, qui mirabili rerum successu, industriâ, ac fortitudine, tum Græcis, variisque Principibus Christianis regionem eripuere, quæ nunc sub Regni Neapolitani nomine venit, tum Saracenis integrum Siciliæ Regnum. Istorum verò Principum Nummos, aliorumque etiam Regum, qui Regnum Neapolitanum post eos tenuerunt, collegit, atque Anno MDCCXV. Romæ evulgavit Cæsar Antonius Vergara, ex cujus labore proficere in præsentia non dubitabo, additis, quæ apud illum desiderantur.

Rogerius I. Siciliæ Comes, & Rogerius II. Comes, Dux, & Rex.

ITaque primò apud eumdem Vergaram occurrit Nummus æreus, rudis plane ac informis, in cujus antica visitur Princeps equo insidens, hastam in humero gestans, e qua vexillum pendet, cum epigraphe ROGERIVS COMES. In postica imago Beatæ Virginis in cathedra sedentis, & Christum infantem tenentis in ulnis. Circumducitur inscriptio MAIRIA MATER DMI, ideſt *Domini*.

Secundum Nummum æreum ignoravit Vergara. *Illum* adservat in suo Museo Placentiæ amicissimus Abbas Chiappinius. Visitur ibi idem Princeps in equo sedens, cum his literis in circuitu ROGERI COM. In aversa facie Virgo humi, ni fallor, sedens cum infante Jesu, tam imperite efformato, ut nihil rudius excogitari possit. Ibi epigraphe eadem MARIA MATER *Domini*.

Tertium similem priori profert Vergara; qui explicatione non indiget. Tres verò hosce Nummos incertum est, quisnam percusserit, *primus*-ne *Rogerius*, hoc est frater strenuissimus Roberti Guiscardi Ducis, Anno Christi MLXXI. Panormo potitus, an ejus filius *Rogerius II.* qui primo *Comitis* titulo est usus, tum Anno Christi MCXXX. *Siciliæ ac Apuliæ Rex* fuit coronatus. Certe sequentes Nummi a præcedentibus nimirum dissimiles, designare etiam videntur diversos Principes.

Quartus, & Quinctus, ambo ærei, Crucem gemmatam præferunt cum epigraphe ROGE COME. In postica ⊥ inversum, quo fortassis indicatur *Trinacria*. Fieri potest, ut hi sint referendi ad *Rogerium II.* postquam patri successit in dominatione Siciliæ.

Sextus est Nummulus æreus, ab eodem *Rogerio II.* percussus, ex quo Regios titulos assumsit Anno MCXXX. Ibi epigraphe ROGERIVS REX. In postica inscri tio literis Arabicis concepta est; idque eâ de causâ ab eo factum videtur, quod Arabica Lingua post diuturnam Sarracenorum Arabum dominationem in Sicilia, familiaris ibi evaserit. Præterea bellum in Africam tulit, ibique Tripolim cepit. Hasce verò literas hoc est *Malech Sarir*, Latine reddas *Regis thronus*.

Septimus Nummus æneus epigraphen præfert ROGERIVS DVX, & in postica Deiparæ imaginem cum literis S. M. ideſt *Sancta Maria*. Et hunc ad eumdem *Rogerium II.* spectare censet Vergara, postquam ille Comitis titulo depositio, *Ducis* alterum suscepit. Attamen dissimilis omnino Nummi figura suspicionem justam gignere potest, percussum Nummum a *Rogerio Apuliæ & Calabriæ Duce*, filio videlicet Roberti Guiscardi Ducis, qui Anno Christi MCXI. vitâ functus fuit.

Alios etiam Nummos mihi invisos percussisse traditur idem Rogerius Rex, hoc est, Ducatum vilis metalli. De eo quippe scribit Falco Beneventanus ad Annum Christi MCXL. *Edixit, ut nemo in toto ejus Regno viventium Romesinas accipiat, vel in mercatibus distribuat.*

Et

Digitized by Google


PRINCIPUM AC REGUM NEAPOLIS, ATQUE SICILIÆ.

NUMMI ROGERII I. ET ROGERII II.

I



IV



II




V




III



VI



VII




GUIL-

Digitized by Google


Tab. XXVI.

GUILLIELMI I. GUILLIELMI II. AC TANCREDI.

I




V




II




VI




III



VII




IV



VIII



IX



HEN-

Digitized by Google

Et mortali consilio accepto Monetam suam introduxit, unam verò, cui Ducatus nomen imposuit, octo Romesinas valentem, quæ magis magisque ærea, quàm argentea probata tenebatur. Induxit etiam tres Follares (idem fortasse fuerunt ac *Folles*, de quibus in subsequenti Dissertatione agetur) *appretiatos. De quibus horribilibus Monetis totus Italicus Populus* (ideſt Apuliæ & Calabriæ) *paupertati & miseriæ positus est & oppressus.*

Guillielmus I. Guillielmus II. & Tancredus Siciliæ Reges.

PRimus Nummus argenteus in area hanc tantùm epigraphen præfert REX W. ideſt *Rex Willelmus*. Reliquæ literæ attritæ sunt. In altera facie duarum Sanctarum mulierum effigies apparet: fortassis Christi Mater Elisabetham visitans.

Secundus Nummus aureus in area habet W. ideſt *Willelmus*. Subsequuntur binæ literæ, quas Vergara opinatur esse PV. vel PR. At mihi potius videntur RX. hoc est *Rex*. Circumstant aliæ DVCAT APVL PRINCIPATVS CA. ideſt *Capuæ*. In postica supereſt tantùm APVLIE. H.....

Tertius Nummus aureus minoris moduli Crucem præfert cum Græcis literis IC XC NIKA, ideſt *Jesus Christus vicit*. In limbo literæ Arabicæ adduntur, quæ fortasse nomen Regis indicant, sed ob vetustatem exciſæ sunt. Postica & ipsa Arabicis characteribus inscripta erat, sed cunctis ferme obliteratis; ita ut dumtaxat per conjecturam tribui possit alteri ex geminis Regibus Siciliæ *Guillielmis*, quorum alter Anno Christi MCLIV. Rogerio patri in Regno succeſſit, alter verò Anno MCLXVI. Willelmo I. patri. Incertum quoque est, utri ex iis debeamus ambos præcedentes Nummos.

Quartus æneus *Willelmum II.* designare videtur, quum ibi inscriptio sit W. REX. II. Attamen ad *Willelmum I.* pertinere mihi creditur, qui se *Secundum* inter Reges appellat. *Primus* enim Rex fuit Rogerius illius pater. In postica tres Turres visuntur cum literis S A quas suspicatur Vergara designare nomen *Sancti Andronici*. Ego *Salernum* iis indicari conjicio.

Quinctus argenteus arborem præfert, quam Palmam suspicor, quippe uti ex Nummis a Paruta, & Spanhemio productis ediscimus, Palma in antiquis Panormitanorum Nummis familiaris fuit. Literæ duæ W. R. indicant *Willelmum Regem*. In postica excidit epigraphe Arabica, uti & Latina in limbo, e qua tantùm supereſt SIC. Et iſte Nummus ad utrum e Regibus referendus sit, non liquet.

Sextus æreus Crucem in area complectitur cum literis circumpositis W DEI GRA REX. In aversa facie area ædificium quadratum exhibet, figuram fortasse *Civitatis Cajetæ*, aut Castri in ea fabricati, quum apposita legatur epigraphes CIVITAS CAIETA. Et heic ignoro, primus-ne, an secundus Guillielmus Rex designetur.

Septimus Nummus æreus Crucem in area gemmis ornatam nobis ostendit, cum epigraphe TANCRE. hoc est, *Tancredus*, in Siciliæ Regem electus Anno Christi MCLXXXIX. In posticæ medio visitur T. indicans, ut arbitror, rursus *Tancredi* ipsius nomen, coronâ superimpositâ insignitum. Circumstant literæ REX SICILIE.

Octavus Nummus argenteus in area continet ejusdem Regis nomen breviatum TANCREDVS REX SICIL. In limbo lemma DEXTERA DOM*ini* EXALTAVIT ME. In postica Arabicæ literæ, quas aliis interpretandas dimitto.

Nonus item argenteus eamdem præfert epigraphen TANCREDVS REX SICIL. Arabica inscriptio posticam implet, quam quidem sicuti & præcedentem, num præ vetustate fuerint recte, & absque mendis descriptæ, præstare nolo.

Henricus V. inter Augustos. Fredericus II. Imperator. Conradus Romanorum Rex; & Manfredus Siciliæ Reges.

ANno Christi MCXCIII. & MCXCIV. *Henricus VI.* inter Germaniæ Reges, & *V.* inter Imperatores, universum Regnum Neapolitanum & Siculum sibi subjecit. juribus *Constantiæ* Siculæ uxoris suæ usus. Quare Primus æreus Nummus ipsum respicit. In antica visitur Crux & epigraphe E. INPERATOR, ideſt *Enricus*. In postica cernitur Aquilâ cum literis C. INPERATRIX, ideſt *Constantia*.

Eorum filius in Regno utroque succeſſit Anno Christi MCXCIX. *Fredericus II.* puer, postea Imperator, a *Constantia* Sicula matre educatus. Proinde ad eos spectat Secundus Nummus, in cujus alterâ facie Crux, & CONSTANCIA. R. ideſt *Regina*. In altera occurrit Aquila & FREDERICVS. R. ideſt *Rex*.

Tertius æreus, post matris mortem percussus a *Friderico II.* Crucem similiter præfert, ornatam literis F. DEI. G. REX. SICIL. In

Digitized by Google

aversa facie acervus spicarum, si conjecturam Vergaræ audimus, aut flos, cum epigraphe DVCAT. APV. PR. CAE. ideſt *Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ*. Hic Nummus ante Annum Christi MCCXX. percussus fuit.

Quartus æreus, ab eodem Frederico II. cusus post Annum MCCXX. quo Imperialem coronam Romæ susceperit, immo & post Annum MCCXXIII. quo Hierosolymitani Regni titulum est assequutus, in area habet FR. ideſt *Fredericus*, & in limbo ROM. IMPERATOR. In postica visitur Crux cum literis IESA. ET. SICIE. R. ideſt *Hierusalem & Siciliæ Rex*.

Quinctus æreus caput exhibet ipsius Frederici in area. Circumambitur literis F. ROM. IPR. SER. AVG. hoc est, *Fredericus Romanorum Imperator semper Augustus*. Pars aversa habet Aquilam in area, & literas R. IERSL. ET. SICIL. hoc est, *Rex Hierusalem & Siciliæ*.

Sextus argenteus, Vergaræ minime notus, Placentiæ adservatur in Museo Reverendiss. Abbatis Canonic. Regular. Chiappinii. Ibi caput Principis diademate redimiti, cum epigraphe FRIDERICVS II. In aversa facie Crux cum literis ROM. IMP. AVG. Quum nulla heic sit mentio Regni Hierosolymitani & Siculi, ideo Nummus videtur cusus ante Annum Christi MCCXXIII. Rara quoque est ibi *Secundi* appellatio addita nomini Frederici. Nummus fortasse percussus in Lombardia.

Septimus æreus Crucem in area exhibet cum literis F. ImPERATOR. In aversa parte visitur caput Regis coronam gestantis cum epigraphe REX. IERL. ET. SIC.

Octavus & Nonus similes, sunt *Augustales* Nummi, sive *Agostari*, de quibus agam in subsequenti Dissertatione, hoc est, aurei, affabre efformati ad imitationem veterum Romanorum Numismatum: qui quartâ parte unciæ auri constabant, ideſt eorum pondus æquabat Duplam Italicam minus 29. granis, ut nonnulli scribunt. At Johannes Villanius, cujus verba adferam in subsequenti Dissertatione, minus ponderis hisce Nummis tribuere videtur. In antica visitur effigies Cæsaris Augusti juvenis, radiatam coronam in capite deferentis. In altero Nummo eadem utique effigies conspicitur, sed capite laureâ coronâ redimito. Hæc ibi epigraphe CESAR AVG. IMP ROM. In posticâ exhibetur Aquila, & FRIDERICVS.

Quum verò Fredericus II. Anno Christi MCCL. finem vivendi feciſſet, succeſſit *Conradus* ejus filius, qui Anno MCCLII. Regnum Neapolitanum & Siculum tenuit. At brevi, hoc est Anno MCCLIV. vivere desiit. Ad eum spectat Nummus Decimus æreus, in cujus area legitur COR. ideſt *Conradus*, & in limbo IERVSALEM. In aversa parte Crux in area, & in circuitu literæ ET SICIL. REX.

Undecimus ad eumdem Conradum spectat. Crux visitur in medio, & circum CONRADVS. Altera facies hasce literas exhibet IER. ET. SICIL. in medio REX.

Sublato e vivis Conrado, etsi Conradus junior ejus filius viveret, *Manfredus*, e Frederico II. & ipse natus, sed extra nuptias, simulatâ Conradini morte, Anno Christi MCCLV. utriusque Siciliæ coronam sibi imposuit. Itaque ad eum spectat Duodecimus Nummus æreus, cujus antica hisce literis insignita est MAYNFR. REX. Crux in postica, & literæ SICILIE.

Ad eumdem *Manfredum* pertinere creditur Nummulus Tertius decimus, in quo effigies Principis cernitur, & in aversa parte duæ tantùm literæ R M. quæ per conjecturam explicatæ reddunt *Rex Manfredus*, aut *Maynfredus*.


Carolus I. Provinciæ Comes & Siciliæ Rex.

NEapolitanum deinde & Siculum Regnum sibi conquisivit *Carolus I. Provinciæ Comes*, Sancti Ludovici Francorum Regis frater, post prostratum, cæsumque in prœlio Manfredum Anno Christi MCCLXVI. Proinde is muneri Senatorio Urbis, ad quod præcedenti Anno a Romano Pontifice evectus fuerat, Regium nomen adjunxit. Plures ejus nomine percussi Nummi. Primus argenteus, uti & Secundus, figuram exhibent coronâ ornatam supra pulvinaria, aut supra sellam, aut, uti videtur, supra duos Leones sedentem, cum globo in dextera, & ramo olivæ in sinistra. Claudius Molinetus in Musei Parisiensis Sanctæ Genevisæ descriptione censet, Caroli ipsius vultum ac speciem in ea effigie exhiberi. Etsi obstare videtur Nummus alter Caroli II. ejus filii, uti & aliquot Nummi Roberti Regis infra adferendi, attamen æquius puto excogitare heic Romanæ Urbis effigiem seu typum, ac præcipue quum circumstent literæ ROMA CAP. MVNDI, cujus nempe Civitatis Senator fuit Carolus ipse Rex. In aversa parte Nummi nunc editi, Leonis imago cernitur; & supra est scutum cum Lilio insigni Regiæ Familiæ Francorum, cui superstat Rastrum ad distinguendos a primogenito filios Regum Francorum minores natu. In circuitu KAROLVS. S. P. Q. R. ita ut intelligas, ambos hoſce


Digitized by Google

HENRICI V. FRIDERICI II. CONRADI AC MANFREDI.


I




II




III




IV



V



VI




VII




VIII




IX



X




XI



XII



XIII



CA-

Digitized by Google

Tab. XXVIII.

CAROLI I.

I. II




III




IV. V




VI




VII




VIII




IX



X



XI




XII



CAROLI II.


I




II.

VIDE SUPRA NUMMUM XII. CAROLI I.

III. IV



V



RO-

Digitized by Google

ee Nummos, Anno MCCLXV. percuſſos, antequam Carolus Regio titulo auctus fuerit. Ceterum quod eſt ad mulieris figuram inter leones, ſive in ſella ſedentis, in hiſce duobus Nummis ſculptam, vide ſupra inter Senatus Romani Nummos eamdem muliebrem imaginem, certe ibi Romanæ Urbis ſymbolum. Et Romam quidem decet potiùs quàm Siciliæ Regem, deferre Globum, deſignantem tellurem Orbis. Cur verò idem Globus in Nummo Neapolitano Sergii Ducis ſupra fuerit adhibitus, aliis perquirendum relinquo.

In Tertio argenteo eadem ferme lineamenta occurrunt, at inſcriptio diverſa. In altera parte legitur KAROLVS REX SENATOR VRBIS. In altera ROMA CAPVD MVNDI. S. P. Q. R.

Quartus & Quinctus Nummus argentei, parum ab antecedenti diſſimiles ſunt. In Quarto nedum apud Vergaram, ſed & penes Molineum Roma ſedens conſpicitur, & in poſtica ſub Leone impreſſum viſitur F. Hi tres Nummi percuſſi videntur ante Annum MCCLXXVIII. quo Senatorium munus a Nicolao III. Papa ei ademtum fuit.

Sextus argenteus (uti & ſequentes) percuſſus poſt Annum Chriſti MCCLXXVIII. aream præfert Liliis ornatam cum epigraphe KAROL DEI GRATIA. In poſtica Crux, & in limbo hæ literæ IERVSAL ET SICILIE REX.

Septimus argenteus ita inſcriptus eſt: KAR. DEI GRACIA. Et in averſa parte REX SICILIE cum Cruce in medio.

Octavus argenteus has literas exhibet KA DEI GRA REX SICIE. In poſtica DVCAT APVL. PRIN CA. ideſt *Ducatus Apuliæ*, *Principatus Capuæ*, ut in aliis præcedentium Regum Nummis. In medio RA, quæ duæ literæ fortaſſe non ſatis accurate deſcriptæ.

Nonus æreus in area habet K. ſubſequuntur in limbo AROLV. DEI GRACI. In poſtica REX SICILI.

Decimus argenteus Lilia præfert in area. Circum KAROL DEI GRA. In averſa facie REX SICILIE.

Undecimus argenteus in medio habet K. hoc eſt *Karolus*, & in circuitu DEI GRA REX SICILIE. In poſtica DVCATVS APVLIE.

Duodecimus argenteus, Mutinæ quoque mihi viſus in Muſeo Bertacchinio, Scutum præfert, ubi Lilia inſigne Regum Francorum, & Crux teſſera Regni Hieroſolymitani. Circumſtat epigraphe KAROL IERL ET SICIL REX. In poſtica Annuntiatio Virginis cernitur, & in circuitu legitur AVE GRA PLENA DNS TECVM. Carolo I. Regi Vergara tribuit hunc Nummum. Mihi potius Carolo II. tribuendus creditur. Alterum ſimilem argenteum vidi Placentiæ apud Reverendiſs. Chiappinium, ubi legitur KAROL. COM. (ideſt *Comes Provinciæ*) IERL. &c. Nummi quoque Caroli II. Regis eamdem exhibent Virginis & Angeli effigiem. Ex iſto Carolo, aut ex ejus filio Carolo ſucceſſore deſcendiſſe videtur mos appellandi, ut adhuc fit, in Regno Neapolitano *Carlini* ejuſdem ponderis argenteos. Auctor eſt ſupra laudatus Vergara, legi in Bulla Benedicti XI. (ſcribe XII.) Anno Chriſti MCCCXLII. *Una Uncia auri ad pondus Regni valet ultra Ducatos quatuor de Carlenis*. Et in Inſcriptione Neapolitana Anno MCCCLXX. hæc itidem habentur: *A quo recepit Sancta Reſtituta Carolenos ducentos octuaginta quatuor.*

Carolus II. Apuliæ Rex.

Vitâ functo Carolo I. Rege Anno Chriſti MCCLXXXV. ſucceſſit in Regno Neapolitano *Carolus II.* ejus filius, tunc tamen captivus, qui Anno MCCLXXXIX. Romæ a Martino IV. coronâ Regiâ redimitus fuit, & uſque ad Annum MCCCIX. regnavit. Primus ad eum ſpectans Nummus eumdem ferme typum refert, ac percuſſi a Carolo I. ejus patre, dum Senatorium Urbis munus gereret. In cujus antica mulieris formam cerno ſedentis in ſella, ſive ſupra leones, ac geſtantis ſceptrum liliatum dexterâ, ſiniſtrâ verò globum telluris cum Cruce. Epigraphe iſta circumſtat: CAROL. SED, ideſt *Secundus*, DEI. GRA. IERL. ET. SICIL. REX. In poſtica Crux liliata, qualis in Regum Francorum nummis ejus Sæculi occurrit. Lemma additur: HONOR REGIS IVDICIVM DILIGIT. Cur verò Carolus II. figuram adhibuerit, quæ, ut prædixi, Romanam Urbem referre videtur potius, quàm Regem ipſum, uti Vergara opinatur, divinare neſcio. Fortaſſis id factum eâ tantùm de cauſsâ, quod patris Nummi eam prætulere figuram, percuſſi nempe ab illo, quo tempore Senator Urbis erat. Similis Nummus a V. Cl. P. Dominico Viva Soc. Jeſu, traditur repertus fuiſſe Beneventi in arca, ubi conditum eſt Corpus Sancti Bartholomæi Apoſtoli, dum hæc Anno Chriſti MDCXCVIII. referata fuit ab Eminentiſſimo Vincentio Urſino, poſtea ſub nomine Benedicti XIII. Romano Pontifice. Verùm literas SED, ideſt *Secundus* non legit Viva, ita ut ad Carolum I. pertinuiſſe Nummus ille videatur.

Se-

Digitized by Google

Secundus Nummus argenteus ſimilis eſt Nummo Caroli I. quem poſtremo loco attuli. Scilicet Scutum habet, in quo exhibetur inſigne Regni Hieroſolymitani, & Regalis Francicæ Familiæ, cum literis KAROL. SED. IERL ET SICIL REX. In poſtica Gabriel Archangelus nuntius ad Virginem ſanctiſſimam cum epigraphe AVE GRACIA PLENA DNS TECVM. Scilicet hic Princeps ſingulari devotione animi Annuntiationem Virginis coluit, ac ſub ejus nomine novam Neapoli Cathedralem Eccleſiam condidit.

Tertius Nummus ex ære & argento conflatus, caput ipſius Caroli II. Regis præfert, coronâ radiatâ inſignitum cum literis KAROL. SED. REX. In poſtica Crux, & inſcriptionis continuatio IERL ET SICIL.

Quartus tertio ſimilis eſt, ſed formæ minoris.

Quinctus ex ære & argento Nummus effigiem exhibet ipſius Regis, pallium geſtantis, in quo tria Lilia cum Raſtro, & literis K. S. ideſt *Karolus Secundus* IER. SICIL. REX. Averſa pars Crucem in area habet & epigraphen COME (ideſt *Comes*) PROVINCIE.

Robertus, & Johanna I. Apuliæ Reges.

ANno Chriſti MCCCIX. Robertus Carolo II. parenti in Regno Neapolitano ſucceſſit. Primus, & Tertius Nummus ambo argentei, & parum diſſimiles, in antica præferunt effigiem, ut Vergara cenſet, Regis in ſella, aut ſupra geminos Leones ſedentis, ac dexterâ ſceptrum liliatum, ſiniſtrâ globum cum Cruce tenentis. Ibi ego opinor, typum Romanæ Urbis potius repræſentari, quem in ſuis Nummis, ut ſupra innui, expreſſerat Carolus I. Rex, & Senator Romæ, Roberti Avus. Additur in eadem area glans, uti videtur. Ibi iſta inſcriptio ROBERT. DEI. GRA. IERL. ET. SICIL. R. In averſa idem lemma, quod nuper vidimus a Carolo II. ejus patre adhibitum, ſcilicet HONOR REGIS IVDICIVM DILIGIT.

Secundus argenteus apud Vergaram, & in Muſeo Chiappinio Placentiæ, anticam perhibet ſimilem præcedenti. Poſtica dumtaxat diſſimilis. Hæc enim ibi epigraphe: COMES. PROVINCIE ET. FORCALQERII.

Tertius ſimilis Primo, ut nuper dixi, diſſimilis eſt tantùm modulo.

Quartus argenteus ſpectat ad *Johannam I.* quæ Roberto Avo paterno vitâ functo Anno Chriſti MCCCXLIII. ſucceſſit. Primus ab ea percuſſus Nummus argenteus Coronam Regalem præfert, ſub qua Raſtrum & Lilia. In circuitu epigraphe IOHAN. HIER. ET. SICL. REG. Poſtica habet Crucem, Hieroſolymitani Regni ſignum, & Lilia cum Raſtro, inſigne Francorum Regum, cum literis COMITSA PVICE. E. FORCAL. hoc eſt, *Comitiſſa Provinciæ, & Forcalquerii.*

Quinctus æreus eamdem Coronam præfert ſine Liliis, & cum lemmate AVE. MRIA. GRACIA. PL. In poſticâ Crux liliata cum literis AVE M.

Sextus argenteus eidem *Johannæ I.* tribuitur a Vergara. Mihi creditur adſcribendus *Johannæ II.* de qua infra erit ſermo. Aquila viſitur in area cum epigraphe IVHANNA REGINA. In poſtica effigies Romani Pontificis cum literis S. PETRVS PP. ideſt *Papa*. Confer Nummum iſtum cum Nummis ejuſdem Johannæ II. Eadem ſigna, eamdemque inſcriptionem utrobique animadvertes. Neque id infra negat Vergara ipſe.

Septimus argenteus ad *Johannam I.* ſpectat. Ibi Corona, ut in præcedentibus, & epigraphe IOVA. D. G. SICIL. ideſt *Jovanna Dei gratiâ Siciliæ*, Regina. Averſa facies Crucem cum Liliis in angulis habet ac literas in limbo COMISA PRO.....

Octavus argenteus in area quatuor literas complectitur G. V. A. R. & in circuitu IVHANNA REGINA. In altera facie Romani Pontificis effigies cernitur cum literis S LEO PAPA. Et hunc Vergara *Johannæ I.* tribuit. Rectius fortaſſe illum adſignes *Johannæ II.* quæ *Juhanna* appellatur in ejus Nummis, ac Romani Pontificis imaginem iis adjungit. Quid ſignificent literæ illæ G. V. A. R. Lector a me edoceri minime exſpectet.

Nonus Reginæ, coronam in capite gerentis, effigiem exhibet. Hæc ibi inſcriptio: IVH. REGINA. Crux in averſa parte viſitur cum literis IER. SICIL. Si Vergaram auſcultamus, & hic Nummus referendus eſt ad *Johannam I.* Mihi potius videtur ad *Secundam* pertinere.


Carolus III. Ludovicus Andegavenſis, & Ladislaus, Reges Neapolis.

CArolus III. Ducis Dyrrachii nepos, appellatus *de la Pace*, Anno Chriſti MCCCLXXXI. Regno Neapolitano potitus, ſubſequenti Anno Johannam I. Reginam de medio ſuſtulit. Ad eum pertinet Primus Nummus argenteus, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio adſervatus. Ibi in area Siglæ iſtæ S. T. P. E. Pro T. Vergara legit M. Has verò alii interpretentur:

Digitized by Google

ROBERTI, ET JOHANNÆ I.

I




II




III

NVMMVS SIMILIS EST PRIMO


IV



V




VI




VII



VIII



IX




CA:

Digitized by Google


Tab. XXX.

CAROLI III. ANDEGAVENSIS, ET LADISLAI.

I




II




III




IV




V




VI



VII



VIII




JO-


Digitized by Google

JOHANNÆ II. ET RENATI.


I



II




III




IV



V



VI



VII



VIII

NVMMVS SIMILIS EST PRAECEDE NTI

IX



AL-

Digitized by Google

Tab. XXXII.

ALPHONSI I. ET FERDINANDI I.

I



II




III



IV



V



VI



VII



VIII




IX




X



XI



XII



XIII.

Digitized by Google

tur : neque enim ſuccurrunt niſi divinationes, quas facile utique proponerem, ſed facilius alii poſſent rejicere. In circuitu Siglarum legitur hæc epigraphe R. KROLVS. T. ideſt *Rex Carolus Tertius*. In averſa facie imago Romani Pontificis cum literis S. PETRVS. P. de quo infra ad Quartum Nummum aliquid dicam.

Secundus Nummus æreus eſt. Ibi Crux, teſſera Regni Hieroſolymitani, ac tria Lilia. In poſticâ Crux altera : & quum ibi quatuor Faſciæ appareant, quæ Hungarici Regni teſſeram referunt, dicendus ſpectare Nummus vel ad Ludovicum Hungariæ Regem celeberrimum, vel ad *Carolum Tertium*, heredem Regni illius.

Tertius argenteus apud Vergaram, & Regii a Comite Nicolao Tacolo adſervatus, pertinet ad *Ludovicum Comitem*, ſeu *Ducem Andegavenſem*, qui a Johanna I. Regina adoptatus, auditâ ejus morte, Anno Chriſti MCCCLXXXII. Rex Neapolis a Clemente VII. Antipapa renuntiatus, bello infeliciter cum Carolo III. ac miſerrime geſto, diem clauſit extremum Anno MCCCLXXXIV. Nummi hujus aream implet Corona cum Liliis infra poſitis, & Raſtro. In limbo legitur LVDOV. HIER. ET. SICIL. REX. In averſa parte inſignia Regum Francorum cum Raſtro, quod *Lumbel* Galli appellant, & Cruce teſſerâ Regni Hieroſolymitani, additis in limbo literis COMES. PROVICE. ET. FORCAL*querii*.

Quartus Nummus argenteus in area præfert quatuor Siglas I. I. Q. L. quas aliis explicandas relinquo. Circumſtat hæc epigraphe LVDOVICVS REX. In poſtica Romani Pontificis effigies cum literis S. PETRVS CONFES. ideſt *Confeſſor*: quod mirum videatur, niſi heic indicetur *Sanctus Petrus Cæleſtinus Papa*, ut in Primo Caroli III. Regis Nummo, ſupra deſcripto.

Ad *Ladislaum* Neapolis Regem, quem *Winceslaum* & *Lancislaum* vidi appellatum a nonnullis Hiſtoricis, Caroli III. filium, qui Anno Chriſti MCCCXC. Apuliæ Regno præeſſe cœpit, pertinet Nummus Quinctus argenteus ; in cujus area viſuntur literæ quatuor, quas Vergara putat AQLA, deſignantes, ut veri videtur ſimile, Civitatem *Aquilam*, cui conceſſum fertur jus cudendæ Monetæ. In limbo legitur LADISLAVS REX. In altera facie imago Romani Pontificis cum epigraphe S. PETRVS PP. CONFES. Hunc Sanctum Petrum Apoſtolorum Principem Vergara cenſuit. Mihi creditur Sanctus Petrus Cæleſtinus, ut nuper ſignificavi.

Sextus argenteus quatuor Siglas in area ſpectandas offert, nempe S. M. (ut Vergara opinatur) P. E. Circumducitur epigraphe LADISLAVS R. ideſt *Rex*. In poſtica eadem effigies Papæ cum literis S. PETRVS P*apa*.

In Septimo argenteo eædem literæ, quas ſupra in Octavo Nummo Johannæ I. vidimus, hoc eſt GVAR, & circum LADISLAVS R. In averſa facie Pontificis Romani imago & literæ S LEO PP. ideſt *Papa*.

In Octavo argenteo teſſera Familiæ Regiæ Francicæ, hoc eſt, Lilia ; Crux, ſymbolum Regni Hieroſolymitani, & quatuor Faſciæ, inſigne Regni Hungarici, in quod Ladislaus jus ſibi tribuebat. Circumſtat epigraphe LADISLAVS REX ET DV In poſtica binæ Claves cum literis SANCTVS PETRVS. Nummus fortaſſe cuſus Romæ : eidem quippe Urbi dominatus eſt Ladislaus.

Johanna II. & Renatus Reges Neapolis.

JOhanna II. Ladislao Regi fratri ſuo, ſine liberis vitâ functo, ſucceſſit in Regno Anno Chriſti MCCCCXIV. Primus Nummus ad eam referendus Aquilam expanſis alis in area præfert, additâ in limbo epigraphe REGINA IOV. In poſtica effigies Romani Pontificis, & S. PETRVS P.

Secundus argenteus Mutinæ in Muſeo Bertacchinio adſervatus eamdem Aquilam exhibet. Circumſtat inſcriptio REGINA IVHANNA. Similis antecedenti Nummo poſtica.

Tertius argenteus tres Siglas in area oſtendit, hoc eſt, ut Vergara cenſet, A. Q. L. A. quæ Civitatem *Aquilam* referre videntur. In limbo IVHANNA REGINA. In averſa facie imago Pontificis Maximi, & S. PETRVS PP. ideſt *Papa*.

Quartus argenteus pertinet ad *Renatum Ducem Andegavenſem*, qui Anno MCCCCXXXVIII. Neapoli Rex ſalutatus & exceptus fuit, heres nempe inſtitutus a Johanna II. quæ Anno Chriſti MCCCCXXXV. e vita exceſſerat. In Primo ejus Nummo argenteo viſitur figura, ut puto, mulieris Sceptrum & Globum cum Cruce tenentis ac inſidentis in ſella, ſive ſupra geminos Leones, qualis in Nummis Caroli I. & II. ac Roberti expreſſa cernitur. Ipſius Renati Regis figuram Vergara putat. Quæ ſupra ſum ego opinatus, nihil refert heic repetere. Additur in latere areæ parva Aquila. Hæc ibi epigraphe RENATVS. DEI. GRE. IRVLE. SIC. R. In poſtica Crux cum lemmate HONOR. REGIS. IVDICIV. DILIGIT.

Digitized by Google

Quinctus argenteus Coronam in area exhibet cum epigraphe circumpoſita: R. ideſt *Renatus*, IER. ET. SICIL. REX. Averſa facies oſtendit Crucem cum Liliis in angulis & literis : COMES PVINCIE.

Sextus argenteus Aquilam Coronâ ſuperpoſitâ ornatam in area habet & literas REX RENATVS. In averſa facie imago Romani Pontificis ſedentis cum literis S. PETRVS E. Quam poſtremam literam interpretor *Eremita*. Si hoc verum, jam tenes, non alium in hiſce Nummis deſignari, quàm Sanctum Petrum Cæleſtinum.

Septimus argenteus Aquilâ inſignitus eſt, & inſcriptione RENATVS. REX. DEI. G. Similis præcedenti poſtica cum literis S. PETRVS. PP. *Papa*.

Octavus argenteus a præcedenti minoris formæ, differt magnitudine tantùm.

Nonus argenteus aliquid peregrini præfert. Aream occupat Scutum præferens inſignia Francica, Regni Hieruſalem, & Ducatus Lotharingiæ, quem poſtremum jure uxoris repoſcebat. Ita concepta eſt ibi epigraphe RENATVS D. G. REX SIC. IER. ARLIOTI D. Quid ſignificet poſtremum hoc *Arliotid*, ſi bene deſcriptæ ſunt literæ, acutioribus ingeniis decernendum relinquo. Quid verò ſi legendum potius ibi cenſeas AC LOTH D, ideſt *Ac Lotharingiæ Dux*? Attamen nihil ſtatuo. In poſtica pro ſymbolo brachium armatum, nudum enſem atque erectum tenens. Accedit lemma : FECIT POTENCIAM IN BRACHIO SVO.

Alphonſus I. Aragonenſis, & Ferdinandus I. Neapolis Reges.

ALphonſus I. inclytus Aragonum & Siciliæ Rex, Anno Chriſti MCCCCXLII. Neapoli, atque adeo univerſo Regno potitus eſt, quo illum tamdem mors Anno Chriſti MCCCCLVIII. exuit. Primus ad eum ſpectans Nummus argenteus, ejuſdem Regis coronati caput exhibet cum inſcriptione ALFONSVS. DEI. GRACIA. REX. Averſa pars Faſcias habet pendentes, inſigne Aragonum : orizontales, inſigne Regni Hungarici : Lilia & Crucem, inſigne Regni Neapolitani & Hieroſolymitani, additis literis in limbo CICILIE. CITRA. ET. VLTRA.

Secundus argenteus a Vergara productus habet inſignia in præcedenti memorata cum epigraphe ALFONSVS (ſeu ALHONSVS) D. G. R. ARAG. S. C. V. H. ideſt *Dei gratiâ Rex Aragonum, Siciliæ Citra, Ultra, Hieruſalem*; aut *Hungariæ*, in quam ex adoptione Johannæ II. jura ſibi Alphonſus tribuebat; aut pro H. legendum F. ideſt *Citra, Ultra Farum*. In averſa facie imago ſive Regis ipſius, ſive Romæ ſub forma mulieris ſedentis, & Globulum ac Sceptrum tenentis, cum lemmate DNS M. ALFO. AIVT. E. D. I. M. hoc eſt: *Dominus mihi Alfonſo adjutor. Ego deſpiciam inimicos meos*. Si Vergaræ fides, hæc ibi inſcriptio exſiſtit ALFONSVS. D. G. R. AR. S. E. VN. At videndum, an præferenda ſit lectio mea, nempe D. G. R. ARAG. S. C. V. H. vel F. *Dei gratiâ Rex Aragonum, Siciliæ Citra Ultra, Hieruſalem*, vel *Farum*.

Tertius argenteus, quem Vergara exhibet, adſervatur quoque Bononiæ penes amicum virum Johannem Baptiſtam Bianconum Priorem Eccleſiæ Parochialis de la Maſcarella, & Græcæ Linguæ in Lycæo Bononienſi Profeſſorem. A præcedenti parum diſſimilis eſt. In antica legitur ALFONSVS D. G. R. ARAG. S. C. V. F. Vides heic confirmari conjecturam meam ſuperioris lectionis, ſcilicet *Siciliæ Citra Ultra Farum*. In poſtica S. additum figuræ muliebri, quaſi per eam *Sicilia* indicetur. Ibi lemma nuper explicatum in Secundo Nummo, DNS M. ADIVT. ET. EGO DES. I. M.

In Quarto Nummo par eſt inſcriptio.

Quinctus æreus parvi moduli caput Regis oſtendit cum literis ALFONSVS D. G. Viſuntur inſignia Regalia in poſtica, cum epigraphe R. AR. S. C. V. F. cujus explicationem heic repetere non vacat.

Sextus æreus, neſcio ab ipſo-ne, an ab alio quoquam in ejus Regis honorem cuſus fuerit. Ibi Alphonſi imago, & in circuitu literæ ALFONSVS REX ARAGONVM. In averſa parte Victoria, a currentibus equis vecta, & in limbo VICTOR SICILIE PRECI.


Septimus argenteus ad *Ferdinandum*, ſive *Fernandum I.* pertinet, qui Alphonſo patri in Regno Neapolitano ſucceſſit Anno Chriſti MCCCCLVIII. Ibi viſitur imago Regis ipſius coronati, cum parva Aquila, & epigraphe : CORONATVS QA. ideſt *Quia*, LEGITIME. CERTAVI. In averſa Crux, & literæ FERDINANDVS. D. G. R. SICIE. IER. V. ideſt *Dei gratiâ Rex Siciliæ, Jeruſalem, Ungariæ*. Vide infra. Interim noveris, eos Nummos appellatos fuiſſe *Coronatos*.

Octavus argenteus inſignia ſupra memorata exhibet cum literis FERDNANDVS D. G. R. SI. I. V. In poſtica imago Regis, ſeu Romæ, ut in Nummis Regum Caroli I. & II. lemmate

hoc

Digitized by Google


XIII.XIV.XV.XVI



XIX



XVII




XX



XVIII

NVMMVS SIMILIS EST PRAECEDENTI

XXI



ALPHONSI II.

I



II



III




Digitized by Google

Tab. XXXV.

FERDINANDI, seu FERRANDI II. ET CAROLI VIII.

I



II




III




IV



V




VI



VII




VIII




IX



X



XI



FRE-

Digitized by Google

hoc circumdata : DNS. M. AIVT. ET. EGO. D. I. M. *Dominus mihi adjutor ; & ego despiciam inimicos meos.*

Nonus Crucem eamdem præfert cum literis FERDINANDVS D. G. R. SIC. IER. VNG. In postica Regis ipsius sedentis effigies, cui hinc Cardinalis Coronam imponit, & inde stat Episcopus cum Libro Rituali. Epigraphe ut supra : CORONATVS. Q. LEGITIME CERTAV.

Decimus argenteus imaginem ipsius Regis ostendit cum inscriptione FERRANDVS. D. G. R. SICILIE. IE. In postica imago Sancti Michaëlis armati cum vexillo & clypeo, Draconem pedibus conculcantis, & literæ IVSTA TVENDA.

Undecimus argenteus, insignia Aragonum, Siciliæ, Hierusalem, & Hungariæ continens, ita inscribitur in antica : FERDINANDVS D. G. R. S. I. V. In postica Regis coronati effigies & M. in area ; in limbo autem hæc epigraphe RECORDATVS MISERICORDIE SVE.

Duodecimus æreus, a Vergara productus, & Mutinæ adservatus in Museo Bertacchinio, caput Regis coronati exhibet, & literas FERRANDVS. REX. In postica equus visitur sine freno ambulans, symbolum Neapolitanæ Urbis. Aquila etiam parva in areâ conspicitur, & in imo T. cum Rosis hinc inde. Circumstat lemma EQVITAS REGNI.

Nummi ærei Decimus tertius, Decimus quartus, Decimus quinctus, & Decimus sextus, parum dissimiles, ejusdem Regis effigiem præferunt ; cum literis FERRANDVS, aut FERDINANDVS REX ; & in aversa facie Equum & Siglam L. aut A. aut BR. Hi Nummi ærei, quorum adhuc usus, propterea appellati *Cavalli*.

Decimus septimus æreus figuram Regis, seu Romæ sedentis, & Globum ac Sceptrum tenentis, exhibet cum epigraphe FERDINANDVS D G. In postica Crux, & epigraphe SICILIE. IERVS. VN.

Decimus octavus æreus, similis septimo supra relato, sed modulo minor, caput Regis coronati ostendens, inscriptus est CORONATVS QA LEGITIME CERTAVI. Crux aream posticæ implet, & in limbo legitur FERDINANDVS D. G. R. SICIL. IER.

Decimus nonus æreus cum effigie Regis & epigraphe FERDINANDVS. D. G. REX. præfert in aversa parte Victoriam ab equis vectam, cum literis in circuitu SICILIE VICTOR.

Vigesimus æreus, quem ego possideo, possidet etiam Reverendiss. Abbas Chiappinius Placentiæ, ab Aquilanis cusus est, qui deficientes a Ferdinando I. Rege Anno Christi MCCCCLXXXVI. sese Innocentio VIII. Pontifici Maximo commendarunt. Cernuntur ibi Claves cum tiara Pontificia, & epigraphe INNOCENTIVS PP. VIII. In postica Aquila, symbolum Civitatis Aquilæ, & lemma AQVILANA LIBERTAS.

Vigesimus primus æreus percussus fuit a *Nicolao Comite Campibassi*, qui cum aliis Regni Magnatibus a Ferdinando I. Rege defecerat, & Johanni Andegavensi Renati Regis filio adhæserat circiter Annum Christi MCCCCLIX. Antica præfert compedes, qui in Nummis Sancti Ludovici, aliorumque Galliæ Regum visuntur cum epigraphe NICOLA COMes. Crux in postica, & literæ CAMPIBASSI.

Alfonsus II. Rex Neapolis.

ANno MCCCCXCIV. diem clausit extremum Ferdinandus I. Aragonensis, Rex Neapolis, eique successit *Alfonsus II.* filius, gravibus & ipse procellis agitatus ; quippe Anno eodem a Carolo VIII. Gallorum Rege spoliatus Regno, vitæ terminum insequenti Anno MCCCCXCV. complevit. Primus Nummus argenteus ab eo cusus imaginem Sancti Michaëlis Draconem ferientis præfert cum inscriptione ALFONSVS D. G. R. SIC. IE. V. In postica ipse Rex sedens, cui Cardinalis Regiam Coronam imponit, stante Episcopo ab altero latere. Hæc epigraphe CORONAVIT E VNXIT. ME. MANVS. T. D. ideſt, *tua*, *Domine*.

Secundus argenteus insignia Aragonensia & Neapolitana exhibet cum literis ALFONSVS II. D. G. R. S. *Dei gratiâ Rex Siciliæ*. In postica imago sedens, dextrâ sceptrum, sinistrâ globum tenens, quæ Vergaræ creditur, ipsum Alfonsum designare. Circumstant literæ SVB DEXTERA TVA SALVS. M. D. ideſt, *mea*, *Domine*.

Tertius argenteus in area Hermellinum, sive Mustelam albam præfert ; supra pendet fascia, in qua literæ DECORVM. Circum descriptæ literæ ALFONSVS II D. G. R. SICILIE. IER. V. In postica visitur ara, super quam flamma ardet ; & additur lemma : IN DEXTERA TVA SALVS MEA.

Ferdinandus, seu *Ferrandus II.* & *Carolus VIII. Reges Neapolis.*

PRimus apud Vergaram exhibet Hermellinum, sive Mustelam cum literis in fascia su-

Digitized by Google

ſuperpoſita inſcriptis DECORVM. In limbo FERRANDVS. II. D. G. R. SIC. Poſtica ſimilis præcedenti Nummo. Hic Alfonſi II. filius Regnum Anno Chriſti MCCCCXCV. recepit.

Secundus in area habet inſignia Aragonenſium ac Neapolitanorum Regum cum epigraphe FERDINANDVS II. D. G. R. SI. In poſtica viſitur Hermellinus cum E. ſuperinſcripto, & lemmate DECORVM. In limbo OMNIA SERENA. In imo legitur LICI.

Tertius ſimilis fere præcedenti.

Quartus æreus apud Le-Blancum ad *Carolum VIII.* Regem Franciæ pertinet, qui Anno MCCCCXCIV. Regnum ſibi ſubjecit. Percuſſus eſt Nummus a Civitate Aquilana, quæ ei inter primas adhæſit, ac Monetæ jus ſibi confirmandum curavit. In antica Scutum cum Liliis, Coronâ ſuperimpoſitâ. Epigraphe Gallicis verbis CHARLES K. inverſum, ROI. D. FRE. ideſt *De France*. In poſticâ Aquila inſigne illius Urbis, atque in limbo CITE DE LEIGLE, ideſt *Civitas Aquilæ*.

Quinctus Nummus æreus apud eumdem Le-Blancum, ab iiſdem Aquilanis cuſus. In antica idem ſcutum cum literis CAROLVS REX FRR. Crux in averſa parte, & Aquila parva cum epigraghe AQVILANA CIVITAS.

Sextus æreus, a Le-Blanco productus, adſervatus in Muſeo olim Angeli Mariæ Blanci Mutinenſis, atque eodem ſcuto inſignitus, hanc inſcriptionem gerit KROLVS D. I. G. REX FRA. In poſtica Crux, cui ſubeſt Aquila parva, & circum legitur AQVILANA CIVITAS.

Septimus argenteus apud Vergaram, Gallici inſignis Scutum præfert cum literis KROLVS. D. G. R. FR. SI. In poſtica Crux cum epigraphe TEATINA CIVITAS. Ergo percuſſus Nummus in Teatina Urbe Regni Neapolitani.

Octavus Nummus aureus apud Le-Blancum & Vergaram, Scutum prædictum habet in area, & hinc inde K. L. Circumſtant literæ KAROLVS D G.R. FRANCORV. SIC. IER. In poſtica Crux, & lemma XPS. VINCIT. XPS. REGNAT. XPS. IMPerAT. Hæc epigraphe a tempore Sancti Ludovici in Regum Francorum aureis & argenteis Nummis uſitata fuit.

Nonus aureus penes eoſdem Le-Blancum & Vergaram, parùm ab antecedenti differt.

Decimus aureus, a Le-Blanco & Vergara editus, Scuto eodem inſignitus, hanc epigraphen exhibet CAROLVS D.G. FRACCORV. IHEM. ET. S. R. Crux Hieroſolymitana in poſtica cum literis PER LIGNV. S. CRVCIS LIBERET N. D. N. ideſt *nos Deus noſter*.

Undecimus aureus, a Le-Blanco & Vergara evulgatus, tria exhibet Lilia, quibus Corona ſuperſtat. In imo, Siglæ S. M. P. E. Circum KROLVS D. G. R. FR. SI. I. In poſtica Crux cum quatuor Cruciculis, & epigraphe XPS. VINC. XPS. &c. ut ſupra in Octavo Nummo.

Fredericus II. Rex Neapolis.

FInem vivendi fecit Ferdinandus II. Rex Neapolitanus Anno Chriſti MCCCCXCVI. eique ſucceſſit *Fredericus* patruus, *Secundus* appellatus inter Neapolitanos Reges. Primus ab eo percuſſus argenteus caput coronatum præfert cum T. in area, & epigraphe FEDERICVS DEI GR. SI. HI. In poſtica Liber, quem flammæ vorant, cum hac inſcriptione RECEDANT VETERA, ut indicaret, ſe oblitum injurias ſibi ſuiſque a Populo inlatas.

Secundus argenteus a Vergara productus, atque æreus mihi Mutinæ viſus apud amicum virum ſæpe laudatum Dominicum Vandellium, ac in Muſeo Chiappinio Placentiæ exſiſtens, Scutum cum Aragonenſium & Siculorum Regum inſigni complectitur, & in limbo habet hanc inſcriptionem FEDERICVS DEI GRA REX SI. I. V. ideſt *Siciliæ*, *Hieruſalem*, & *Hungariæ*. Sed in æreo legitur REX SI. HIER. Poſticæ aream implent duo Cornua copiæ cum literis VICTORIE FRVCTVS.

Tertius argenteus Aquilam in area oſtendit, & epigraphen FRIDERIC. T. DI. GRA. REX. SICIL. *Tertius* dicitur, quod poſt Fridericum II. Imperatorem Neapoli regnarit, quum tamen ille tantùm *Secundus* inter Auguſtos diceretur, & *Primus* Siciliæ fuerit dominatus. In poſtica viſitur teſſera Aragonenſium Regum, & inſcriptio DVC. APVL. PRINCIPAT. CAPVE.

Quartus æreus effigiem Regis ipſius coronati exhibet cum literis in limbo FEDERICVS. D. G. R. SI. In averſa parte Crux & lemma SIT. NOMEN. DNI. BENEDICtum.

Quinctum æreum adſervat Mutinæ Bartholomæus Solianus egregius Typographus. Viſitur ibi caput Regis coronam deferentis cum epigraphe FEDERICVS. REX. In averſa parte Equus ſine freno cum literis EQVITAS REGNI.

Anno Chriſti MDI. Federicus II. a Ludovico XII. Francorum Rege, atque a Ferdinando Aragonum & Siciliæ Rege Regno exutus, ad plures deinde abiit in Gallia Anno MDIII. Quum ultra Annum Milleſimum Quingenteſimum minime procedere ſtatuerim in referendis Italiæ Nummis, heic finis eſto Neapolitanis.

VE-

Digitized by Google


FREDERICI III.











Digitized by Google

Digitized by Google

VENETIARUM DUCES.

SI non ejusdem antiquitatis, atque hactenus memoratæ officinæ Monetariæ, vetustissima tamen esse non definit *Veneta*. Quo tempore cudi illic pecunia cœperit a Venetis Ducibus, nondum fortasse constat. Andreas Dandulus inter Venetos Scriptores & doctrinâ & vetustate omnium spectatissimus, ab antiquis Sæculis ejusmodi jus conlatum Veneti Populi Moderatoribus scribit. Nam de Rodulpho Italiæ Rege circiter Annum Christi DCCCCXXVI. agens, hæc habet: *Hic Rodulfus Regni sui Anno Quarto, Papiæ solium tenens, immunitates Venetorum in Regno Italico ab antiquis Imperatoribus & Regibus concessas per Privilegium renovavit; & in eodem declaravit, Ducem Venetiarum potestatem habere fabricandi Monetam, quia ei constitit, antiquos Duces hoc continuatis temporibus perfeciſſe*. Contra Marinus Sanutus in Annalib. Venetis, Franciscus Sansovinus in Venetiar. Descriptione, & alii sub Petro Candiano Tertio circiter Annum Christi DCCCCL. id factum tradunt, duos hosce versus ejusdem Petri Ducis imagini subjicientes:

„ *Multa Berengarius mihi Privilegia fecit:*
„ *Is quoque Monetam cudere posse dedit.*

Hoc autem ab iis tribui Berengario II. Italiæ Regi liquet, non solùm inspecta ætate ejusdem Petri Ducis, sed etiam innuente Anonymo Scriptore, qui Vitas adhuc MStas Venetorum Ducum memoriæ tradidit usque ad Bartholomæum Gradonicum electum Anno Christi MCCCXXXIX. in Estensi Bibliotheca adservatas. Verùm non tunc primo jus istud Venetis Ducibus concessum, sed tantùm confirmatum reor. Quippe idem Anonymus de Petro Candiano hujus nominis Tertio, qui electus dicitur circiter Annum DCCCCXLII. hæc scribit: *Iste Dux fuit filius suprascripti Petri Candiano Ducis. Cujus tempore Berengarius Rex, Venetorum antiqua jura confirmavit, & denuo concessit, non permittere quemquam per terras Imperii ad damna Venetorum accedere; & quod Veneti per fluvios & loca sua, solvendo quadragesimum, libere pertransirent. Et cudendi Monetam auri & argenti, ut sub Imperio Græcorum habuerant, potestatem dedit*. Animadverte verba illa; *ut sub Imperio Græcorum habuerant*: quæ satis indicant, vel ante Berengarium Ducibus Venetis jus cudendæ Monetæ a Græcis Imperatoribus fuisse concessum. Alii ad *Petrum Participatium*, & Berengarium I. Augustum hoc referunt, quorum tamen tempora non concurrunt. Utcumque sit, antiquitatem multam tribuere necesse est Venetæ pecuniæ; nam supra laudatus Dandulus ad Annum Christi MXXXI. de Urso Ursеolo Patriarcha Venetiarum agens, ait: *Hic Monetam parvam sub ejus nomine, ut vidimus, excudi fecit*. Tum circiter Annum MCXCIV. de Henrico Dandulo Duce scribit: *Hic argenteam Monetam, vulgariter dictam* Grossi Veneziani, *vel* Matapani, *cum imagine Jesu Christi in throno ab uno latere, & ab alio cum figura Sancti Marci, & Ducis, valoris viginti sex Parvulorum, primo fieri decrevit. Denariorum* quoque *Veneticorum* mentio est Anno Christi MLIV. in Charta, quæ authentica exstitit in Tabulario Capituli Canonicorum Mutinensium, cui heic locum factum volo.

Riculfus Abbas Sancti Vitalis Ravennatis, locum quemdam infra Civitatem Ravennæ in emphyteusim concedit Guiberto Episcopo Mutinensi, Anno 1054.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, & Salvatoris nostri, Anno ab Incarnatione ejus MLIIII. Leone Papa *defuncto, sicque Imperante* Domno Henricus *invictissimo* Imperatore *in Italia Anno Octavo, die II. Mensis Madii, Indictione VII. Ravenne. Omnibus manifestum est, atque congrua ratione dispositum, libenter debere eorum desideriis annuere, pro quibus venerabilioribus locis utilitatibus meliorandique causa proficiunt. Et ideo ego, qui in Dei nomine* Domno Riculfus *per Domini misericordiam Presbyter & Monachus atque* Abbas *Regule* Monasterii Sancti Vitalis *Christi Martiris, una cum consensu servorum Dei deservientium eidem Monasterii: Vobis presentibus in Christi nomine* Wibertus *almificus* Episcopus *sancte* Mutinensis Ecclesie *petitoris, vestrisque Successoribus in perpetuum, per enfiteoticarium*

Digitized by Google

jus a presenti die concedo & largior seu confirmo vobis res juris predicti Monasterii nostri: idest Vacuamentum integrum extendentem in longitudinem suam pedes plus minus supra platea sexsaginta & quattuor, & in lato ab uno capite pedes quadraginta & quattuor, & ab alio capite similiter pedes plus minus similiter triginta & quattuor, cum egresso & regresso suo, & cum omnibus ad predictas res integraliter pertinentibus; que est posita in hac Civitate Ravenna in regione Sancti Vitalis Christi Martiris prope Basilica Sancti Laurencii, que vocatur in Panonia, intra fines ejus, hoc est a duobus lateribus platea publica percurrens, a tercio latere Curticella predicta Ecclesia Sancti Laurencii, a quarto latere orto domncatum predicti Monasterii nostri, vel in omnibus, ut superius legitur, dum vos super in nominatum petitorem, atque Successoribus vestris divina gracia in hac luce jusserit permanere vitam, concedo & largior seu confirmo vobis eas res abendas, tenendas, defensandas, & in omnibus meliorandas; & ego suprascriptus gracia Dei Abbas una cum meis Successoribus vobis supra scripto almificus Episcopus, vestrisque Successoribus stare & auctoriare seu defensare promitto & ex vestris propriis expensis seu laboribus nihil aliquod inferius, nisi pro vigesima pensione refutari debeatis. Prestantibus quoque vos suprascripti nominati petitoris, atque Successoribus tuis indesinenter secundùm paginam peticionis vestre pensionis nomine singulis quibuslibet annis omnibus annualiter infra indicendis pro is rebus, que superius legitur, oc est in festivitate Sancti Vitalis Christi Martyris Denariorum Veneticorum duos *tantùm pensio, ut dictum est, persolvatur; pro eo quia exinde accepi de manibus tuis suprascripto* Wibertus *Episcopus Sancte Mutinensis Ecclesie alia cartula henfiteosin in perpetuum de uno spacium terre in integrum infra Corte nostram Sancti Vitalis extendentem se in longo pedes plus minus justa Curte nostra sexaginta & quattuor, & in lato ab uno capite pedes quadraginta & quatuor da muro nostro, & ab alio capite pedes triginta & quattuor. Promittentes preterea nunc nullis diebus, nullisque temporibus vite nostre ego suprascripto gracia Dei Abbas una cum meis Successoribus vobis supra scripto almificus Episcopus, vestrisque Successoribus testimonium hujus paginam henfiteosim inviolabiliter & inviolabiliter modis omnibus conservare & custodire promitto, & ec henfiteosim paginam si minime valere nequiverit, tunc daturo & composituro me esse promitto vobis, vestrisque Successoribus ante omnis litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri Libram unam; & post pene solucionis maneat ec henfiteosim in sua firmitate. Quam verò paginam enfiteosim Aldo in Dei nomine Ravennas tabellio scribendum rogavi, & subter manus mea propria firmavi, testibusque ad me rogatis obtulit roborandam, eorumque presenciam eam vobis quorum contraditum, sub die, & Mense, Indictione suprascripta VII. Ravenne.*

☧ *Ego Riculfus Christi misericordia Presbiter & Monachus atque Abbas Monasterii Sancti Vitalis in hac pagina infiteosim a me facta subscripsi, & testibus a me rogatis obtuli subscribendum.*

Ego Andreas Monachus in hac pagina henfiteosim cc. & ss.

Ego Johannes Monachus in hac pagina henfiteosim cc. & ss.

Ego Andrea Presbiter & Monachus in hac pagina henfiteosim cc. & ss.

Ego Ugo, qui vocor Deymiza huic pagina infiteosim rogatus testis ss.

Ego Geremias huic pagine infiteosim rogatus testis ss.

Johannes Notarius, qui nominatur Mareschallo ad aec omnia, fuit abitator in Civitate Bononia, & manu propria firmavi.

✠ *Signum manus mea Rodulfo, filius quondam Fredulfi huic paginæ henfiteosim, ut superius legitur, rogatus testis cc. & ss.*


☧ *Ego Aldo in Dei nomine Ravennas Tabellio, scriptor huic pagina enfiteosin, ut superius legitur, post roboracionem testium atque traditam complevi & absolvi.*

Quod tamen longe majorem Venetæ pecuniæ vetustatem prodit, locus est Ratherii Veronensis Episcopi, qui iisdem temporibus floruit, quibus Berengarius II. Rex nuper memoratus. In Opusculo, cui titulus *Qualitatis conjectura* apud Dacherium in Spicileg. commemorat ille *sex Libras Denariorum Veneticorum*; ita ut conjicere recte possimus, non exspectasse Venetos Duces tempora Berengarii II. ad cudendam Monetam. Quæ sane prærogativa prodit, quanta jam tum foret eorum Ducum dignitas atque præstantia. Si enim Beneventanos excipias, qui ut supremi Domini agebant, & *Principes* appellari maluerunt; si Neapolitanos quoque excipias, quibus id juris concessere

Digitized by Google

DUCUM VENETORUM.


I




II



III



IV



V



VI




VII




VIII



IX




X




XI



XII



XIII



XIV




XV.

Digitized by Google

Tab. XXXVIII.

XV



XVI



XVII




XVIII



XIX



XX



XXI



XXII



XXIII



Digitized by Google

fere Græci Imperatores : nulli alii in Italia Duci antiquis temporibus licuisse puto signare suo nomine Nummos . Porcacchius in Histor. Familiæ Malaspinæ Lib. 4. scribit , se vidisse Nummum cum capite virili & literis ADALBERTVS THVSCIÆ MARCHIO, qui circiter Annum Christi DCCCCV. floruit. Nequaquam fallemur, rotundo ore pronuntiantes, & hoc unum esse e multis commentis , quæ Porcacchius in illum , atque in alios suos libros intulit . Ita falli arbitror , qui Bonifacio Marchioni Tusciæ Nummos tribuunt . Eorum sententiam ne Florentinius quidem probavit Lib. 3. pag. 100. Memor. Matild. Immo vel ipsis Gothorum Regibus in Italia imperantibus, pecuniam signasse Veneti creduntur , vilis tamen metalli ; quippe de eorum Insulis Cassiodorius Lib. 12. Epistol. 24. ait : *Moneta illic quodammodo percutitur victualis*. Verùm alia mihi videtur Cassiodorii mens . Florente suo stilo is laudat Venetorum Salinas ; *inde* , ait , *vobis fructus omnis enascitur , quando in ipsis , & quæ non facitis , possidetis . Moneta illic quodammodo percutitur victualis* ; idest , ut ita dicam , Salinæ sunt vobis officina Monetaria , quum Sal ibi enatum omnia vobis ad victum ministret . Sal pecuniæ loco vobis est . Utinam verò , quod summopere cupiebam , obtigisset mihi , vel unum posse prodere ex vetustissimis iis *Denariis Veneticis* , quos nuper commemoratos ipso Sæculo Christi Decimo vidimus . Amicis ejusmodi de caussa importunus fui . Museum non unum excussi . Verum postquam hæc scripseram , bene cessit quod desideriis meis opem tulit Nobilis & præstantissimus vir Dominicus Pasqualigo quondam Vincentii filius Senator Venetus . Is enim tres Nummos argenteos eamdem præferentes faciem , atque inscriptionem , reperit , Dissertatione quoque typis edita illustrandos curavit . Unum tantummodo proferam , Primum nempe in serie ista . Ibi in area Crux visitur , & in limbo literæ CHRISTVS IMPERAT . Altera pars exhibet speciem Templi cum literis suppositis VENECI , & A in inferiori linea . Nulla mihi dubitatio est , ad *Venetias* præclarissimam Italicam urbem , non verò ad Gallicam pertinere hunc Nummum . Ibi , ut jam animadverti , vel ipso currente Sæculo X. Nummi ab iis Ducibus cudebantur : quod etiam confirmavit Cl. V. P. Bernardus de Rubeis Ord. Prædicat. pergamenam commemorans Anno Christi CMLXXII. scriptam ex Forojulienfis Ecclesiæ Archivo depromtam , in qua ista leguntur : *Et persolvere exinde debeant singulis annis per omnem Missam Sancti Martini , Argenteos denarios bonos Mediolanenses solum quinque , aut de Venecia solum decem* . Itaque ad illud idem Sæculum X. aut XI. referendus mihi creditur Nummus iste, in quo quum nullum nomen Imperatoris , sive Græci , sive Latini , occurrat , propterea jure opinari licet, ex hisce Nummis deduci Autocratiam tunc , sive supremam Venetæ Reipublicæ dominationem , nulli alii Principi obnoxiam . Anno autem MCXCII. tum solum *Henricus Dandulus Dux* nomen suum in Venetis Nummis exprimere cœpit .

Itaque Nummus secundus argenteus ad eumdem Dandulum Venetiarum Ducem spectat , qui Anno Christi MCXCII. electus, Venetorum postea nomen & gloriam suis gestis mirificè amplificavit . In antica parte Nummi imago Christi cernitur cum literis Græcis IC. XC. ideſt *Jesus Christus*. In postica S. Marcus Vexillum tradit Duci cum literis H. DANDOLVS , ideſt *Henricus* , & S. M. VENETI. , ideſt *Sanctus Marcus Veneticorum* , aut *Veneticus* . Hujusmodi Nummorum mentionem fecit Andreas Dandulus in Chronico, ut supra indicavi col. 646. B. quibus vulgus nomen dederat *di Grossi Veneziani*, vel *Natapani*.

Tertius argenteus , ab olim doctissimo P. D. Catherino Zeno, Apostoli Zeni V. Cl. fratre , ad me missus , *Petrum Ziani* nobis exhibet , qui Anno Christi MCCV. Venetorum Dux electus fuit . Visitur ibi Christi sedentis super cathedram imago cum Evangelio , & literis $\overline{IC}$ $\overline{XC}$. ideſt Ιησους Χριστος , *Jesus Christus* . In aversa parte Sancti Marci stantis effigies , dexterâ manu Vexillum tenentis, ac illud porrigentis Duci stanti , cum epigraphe: P. ZIANI, ideſt *Petrus Ziani* ; & S. M. VENETI. scilicet *Sancti Marci* , vel *Sanctus Marcus Venetiarum* .

Quartus argenteus in Museo Bertacchinio Mutinæ , spectat ad Ziani Successorem *Jacobum Teupulum*, qui Anno Christi MCCXXIX. Dux renuntiatus fuit . Ibi Salvator in cathedrâ sedens cum literis $\overline{IC}$. $\overline{XC}$. In altera facie Dux ipse cum vexillo stat cum epigraphe IA. TEVPL. DVX , hoc est , *Jacobus Teupulus Dux* . Adest & imago Sancti Marci cum literis S. M. VENET. quæ explicatione non indigent .

Quinctus Nummus apud alibi a me laudatum Dominicum Vandellium Mutinensem, easdem imagines præfert cum epigraphe RA. CENO. DVX. nempe *Raynerius Zeno Dux* , Anno Christi MCCLII. ad Ducale solium evectus .

Sextum argenteum Mutinæ Joseph Maria Cat-

Digitized by Google

Cattaneus possidet. Simile præcedentibus ectypon cum epigraphe in antica parte LA. TEVPL. DVX, ideſt *Laurentius Teupulus Dux*, qui Anno Chriſti MCCLXVIII. Ducali dignitate eſt auctus.

Septimum argenteum mihi viſendum obtulit Adamus Pivatus Parochus & Doctor Patavinus, ſingularis amicus meus. Ectypon idem cum literis IO. DANDVL. DVX, ſcilicet *Johannes Dandulus Dux* creatus Anno Chriſti MCCLXXX.

Octavus argenteus, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio, & apud Comitem Johannem Baptiſtam Scalabrinium Mutinenſem, & penes Comitem Nicolaum Taculum Regienſem, mihi inſpectus, ſimile ectypon exhibet cum literis PE. GRADONICO DVX, hoc eſt *Petrus Gradonico*, electus Dux Anno Chriſti MCCLXXXVIII. In poſtica viſitur ſedens Salvator cum Libro Evangeliorum in gremio, ac Græcis literis IC. XC. *Jeſus Chriſtus*. In altero ex his legitur tantùm XPVS, *Chriſtus*.

Nonus, Venetiis extiſtens apud nobilem virum Petrum Gradenigo Jacobi filium, Venetum Patricium, a prælaudato P. D. Catherino Zeno ad me quondam miſſus, aureus eſt, in quo immutatum videas Venetæ pecuniæ typum hactenus obſervatum. Ibi Sanctus Marcus ſtans, Duci in genua provoluto Vexillum porrigit cum epigraphe PET. GRADO. DVX, ideſt *Petrus Gradonico Dux*, nuper commemoratus; & S. M. VENET. nempe *Sanctus Marcus Venetiarum*. In poſtica Salvatoris noſtri ſtantis effigies, hinc inde ſtellulis ornati viſitur, cum literis in circuitu SIT. T. XPE. DAT. Q. TV. REGIS ISTE DVCA. quas ſic interpretor:

Sit tibi, Chriſte, datũ, quia tu regis iſte Ducatũ.

Sed illud ISTE, ubi ad Gradonicum ſit referendum, ſententiam obſcuriorem efficit, ac ſenſum turbat; ubi verò ISTE pro *Ipſe* accipiatur, & ad Chriſtum referatur, ita ut ſenſus ſit *quia tu ipſe regis Ducatum*, ſenſus eorumdem verborum recte ſe habet; niſi mavis, ita explicandam eſſe hanc epigraphen, videlicet: *Sit tibi Chriſte datum, quia tu regis*, puta ſubintelligendo *omnia*, univerſum orbem: *Iſte* verò nempe Dux, *Ducatum* regit. Utcumque ſit, animadvertendum eſt, primum e Venetis Ducibus, qui Nummos aureos ſignare cœperunt fuiſſe *Johannem Dandulum*, qui Anno Chriſti MCCLXXX. ante *Petrum Gradonicum* Ducis munere perfunctus eſt. Raphainus Careſinus Continuator Chronici Andreæ Danduli, Tom. XII. pag. 400. Rer. Italic. hæc de Johanne Dandulo ſcribit: *Qui etiam Ducatos aureos primitus fieri juſſit*. Is Nummus nunc appellatur *Zecchino* ab officina Monetaria, quam *Zecca* Italice dicimus.

Decimus Nummus, Mutinæ exſiſtens penes Joſephum Mariam Cattaneum, percuſſus fuit ſub celeberrimo Duce *Andrea Dandulo*, cujus Chronicon dedi Tomo XII. Rer. Italicarum. Ibi Sancti Marci ſtantis effigies cum literis S. M. VENETI. vexillum porrigentis Duci genibus flexis accipienti cum literis AN DADVL. DVX. *Andreas Dandulus Dux* electus Anno Chriſti MCCCXLII. In poſtica Chriſti effigies e ſepulcro ſurgentis cum epigraphe XPS RESVRESIT, pro *Chriſtus reſurrexit*.

Undecimus Nummus, ad eumdem Dandulum ſpectans, aureus eſt, ac Mutinæ adſervatur in Muſeo Bertacchinio. Ibi ſimilis effigies, ſed non eadem inſcriptio. Scilicet S. M. VENETI. ANDR. DANDVLO DVX. Altera facies Chriſtum præfert ſtantem ac benedicentem, cum Libro Evangeliorum in ſiniſtra, & verſiculo in circuitu SIT T. XPE DAT. Q. TV REGIS ISTE DVCAT. ideſt, *Sit tibi, Chriſte, datum, quod tu regis iſte Ducatum*.

Duodecimus argenteus jam a me editus in Præfatione ad Chronicon ipſius Danduli, heic rurſus ſpectandum ſe præbet. In antica eſt illius effigies cum literis ANDR. DANDVLO D. In poſtica Leo, vexillum tenens, inſigne Reipublicæ Venetæ, & epigraphe S. MARCVS VENETI.

Decimus tertius, Mutinæ a prælaudatis Vandellio, & Johanne Franciſco de Solis adſervatus, par ectypon gerit. Circumſtant hæ literæ: IOH. DELPHINO DVX, *Johannes Delphino*, qui Anno Chriſti MCCCLVI. Ducalem dignitatem iniit.

Decimus quartus eſt aureus Ducatus, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio mihi inſpectus, in antica Sanctum Marcum pro more exhibet, porrigentem Duci Vexillum, cum epigraphe S. M. VENETV, & in altera parte limbi IO. DELPHYNO DVX. Poſtica pars habet Salvatorem, cum verſiculo, quem integrum appono.

SIT TIBI CHRISTE DATVM, QVIA (ſeu QVOD) TV REGIS ISTE DVCATVM.

Decimus quinctus, Mutinæ in eodem Muſeo, hac epigraphe ſignatus eſt ANDR. CTAR. DVX, nempe *Andreas Contareno*, qui Anno Chriſti MCCCLXVII. inclytæ Venetorum Reipublicæ præeſſe cœpit.


Decimum ſextum adſervat in ſuo Muſeo idem

Digitized by Google

Tab. XXXIX.

ANCONÆ.


I



II




III



IV



V




AQUILÆ.



AQUILEJÆ, ET PATRIARCHARUM AQUILEJENSIUM.

I



II




III



IV



V




VI



Digitized by Google

Tab. XL.

VII




VIII



IX



X



XI



XII



XIII



XIV



XV



XVI



XVII




XVIII



XIX



XX



XXI.

Digitized by Google

idem Bertacchinius. Hac inſcriptione ornatum vidi FR. FOSCARI DVX. S. M. VENET. *Franciſcus Foſcari* Ducale ſolium obtinuit Anno Chriſti MCCCCXXIII. In poſtica viſitur imago Salvatoris, & epigraphe GLORIA TIBI XPE, ideſt *Chriſte*.

Decimus ſeptimus Nummus æreus in Muſeo Bertacchinio Mutinæ, & penes aliàs laudatum Alderanum Narium, mihi viſus, caput Ducis in antica exhibet cum inſcriptione NICOLAVS TRONVS DVx, electus Anno Chriſti MCCCCLXXI. In altera parte Leo, Sancti Marci Vexillum tenens, cum epigraphe SANCTVS MARCVS. Franciſcus Sanſovinus in Vitis Ducum Venetorum, hæc de illo ſcribit: *Provedendo alla Moneta grandemente adulterata e corrotta, fece fare una nuova forma con la ſua effigie, ritratta al naturale, la quale ſi chiamò Trono dal nome ſuo, di valuta allora di venti Soldi*.

Decimus octavus argenteus in prælaudato Muſeo, hac inſcriptione ſignatus eſt: AND. VENDRAMIN. DVX. Hinc inde M. P. *Andreas Vendraminus* ad Ducalem dignitatem evectus eſt Anno Chriſti MCCCCLXXVI. Neſcio an is Nummus ex iis Numiſmatis ſit, quæ Venetiis *Oſelle* nuncupantur, percuſſis, ut dono dentur. In averſa facie Chriſti ſedentis imago cum epigraphe IESVS CHRISTVS. GLORIA TIBI SOLI.

Decimus nonus, Mutinæ apud Nobilem virum Johannem Comitem Bellincinium adſervatus, parem typum gerit, cum literis IO. MOCENICO DVX., & in area A. M. *Johannes Mocenico* Dux renuntiatus eſt Anno Chriſti MCCCCLXXVIII.

Vigeſimus, æreus minoris moduli in Muſeo Bertacchinio, ad eumdem Principem ſpectat. Viſitur ibi effigies Ducis, manibus Vexillum tenentis, cum literis hinc inde F. F. & in limbo IOANES MICENIGO (*ſeu* MOCENIGO) DVX. In poſtica Leo Venetus alatus cum Libro Evangeliorum.

Vigeſimus primus argenteus apud eumdem Bertacchinium, in area habet Chriſtum ſedentem & benedicentem, cum epigraphe GLORIA TIBI SOLI $\overline{IC}$. $\overline{XC}$. hoc eſt, *Jeſus Chriſtus*, vel *Jeſu Chriſte*. Averſa pars exhibet Ducem, & Sanctum Marcum, cum literis S. M. VENETI. MARC. BARBADICO DVX. Z. M. *Marcus Barbadico* Dux electus eſt Anno Chriſti MCCCCLXXXV.

Vigeſimum ſecundum adſervat prælaudatus Bertacchinius in ſuo Muſeo. Crux in area anticæ viſitur, Circumſtat inſcriptio AVG. BARBADICO DVX, *Auguſtinus Barbadico* Ducali dignitate inſignitus Anno Chriſti MCCCCLXXXV. præmortuo Marco fratre. In averſa parte Leo Venetus, Vexillum anterioribus pedibus tenens, ſub quo duæ literæ M. B. In limbo SANCTVS MARCVS VENETI.

Vigeſimus tertius ante mihi erat recenſendus. Sed quia Nummus nequaquam eſt, illum idcirco in hunc locum reſervavi. E genere Numiſmatum majoris moduli eſt, quæ *Medaglioni* Italice nuncupantur, Venetiis autem a multis Sæculis *Oſelle* appellantur, cauſsâ videlicet honoris ac liberalitatis a novis Ducibus cuſa. Ibi conſpicitur effigies Ducis; Ducale Cornu in capite gerentis cum circumpoſitis literis CRISTOFORVS. MAVRO. DVX. In poſtica Corona, in ſuo ſinu hanc epigraphen continens: RELIGIONIS. ET. IVSTICIÆ. CVLTOR. Is Anno Chriſti MCCCCLXII. Dux fuit electus.

ATque hactenus de antiquioribus officinis Monetariis Italiæ. Succeſſere deinde tempora, quibus Italicum præcipue Regnum novam rerum faciem ſumſit, grandemque regiminis mutationem in ſe conſpexit. Quippe Epiſcopis aut Civitatibus bene multis, decus ſuum augere cupientibus, aut libertatem ſibi ſenſim vendicantibus, Regalia conceſſa ab Auguſtis fuere, inter quæ jus cudendæ pecuniæ. Id præſertim invaleſcere cœpit Sæculo Vulgaris Æræ XI. quamquam, quod eſt ad Epiſcopos, non deſunt exempla temporalis dominationis longe antea arreptæ, Nummorumque ab ipſis percuſſorum. Thomaſinus & LeBlancus hac de re conſulendi. Certe Galliarum Epiſcopis nonnullis, immo & Abbatibus, longe antea quàm Italicis, Monetæ jus conceſſum fuit. Liceat tamen dicere, non omnia, quæ traduntur de conceſsâ eiſdem Epiſcopis aut Abbatibus Monetâ ante Annum Chriſti Milleſimum, ſine ullo examine tamquam certa eſſe continuo accipienda. Si Browero fides Lib 9. Annal. Trevir Ludovicus Germaniæ Rex Anno Chriſti DCCCCII. Ratbodo Treverenſi Archiepiſcopo, *Trevericæ Civitatis Monetam*, *Telonium* &c. contulit. Sed ne quid diſſimulem, erunt quibus Diploma illud, a Rege undecim tantùm annos nato emiſſum, ſuſpicionem ingerat eâ potiſſimum de cauſsâ, quod ibi non datum, ſed reſtitutum Ratbodo jus Monetæ dicatur. *Quæ quondam* (ita pergit dicere Diploma) *tempore Weomodi ejuſdem Urbis Archiepiſcopi de Epiſcopatu obſtricta, & in Comitatum converſa noſcuntur*. Anno Chriſti DCCLXXII.

Digitized by Google

LXXII. Cathedram Trevirensem ascendit Weomodus. Credat qui velit, eo tempore, immo & longe antea (uti suadere illud ipsum Privilegium videtur) ad Archiepiscopos spectasse jus Trevirensis Monetæ. Sed nunquam desiderati sunt, qui præsentem nobilitatis aut potentiæ suæ statum ad antiquitatem etiam referre voluerunt; & quod veteres ignorarunt, ipsi aut impavide commenti sunt, aut tabulis jamdiu confictis fidem adhibuerunt. Browerus ipse ad eum Annum DCCCCII. quum mentionem *Comitis* in Trevirensi Urbe deprehenderet, scripsit, *Comites pro Archiepiscopo in Urbe jus dixisse; & jus Urbis Trevirensi Archiepiscopo* per Diploma illud restitutum fuisse: quod nemo alius, nisi certiora monumenta adferantur, affirmare, aut credere audebit. Non Episcoporum, neque Archiepiscoporum, sed Imperatorum & Regum Ministri olim fuere *Comites*. Itaque Sæculo Christi Undecimo præter hactenus commemoratas Civitates, cœperunt aliæ officinam Monetariam ex Imperiali concessione habere, conditione appositâ, ut ibi nomen quoque Imperatoris aut Regis signaretur, in supremæ dominationis indicium. Quiritus ac privilegium paullatim adeo crevit, ut nulla demum e Civitatibus liberis, nullus e Principibus superfuerit, cui non licuerit deinceps signare argentum, ipsumque denique aurum. Ego secundùm ordinem Alphabeti quotquot Nummos Principum ac Urbium congerere hactenus potui, omnium oculis exponam.

ANCONA.

A *Nconitanæ Urbis* Nummos complures vidi Mutinæ. Quum enim peregrini pietatis caussâ Assisium, aut sacrum Lauretanum Templum peterent, domum sæpe referebant Anconitana Numismata, quod Sanctum Cyriacum, seu Quiriacum arbitrarentur peculiari virtute præditum ad certum aliquid a Deo impetrandum.

Primus Nummus in Museo Chiappinio Placentiæ, & Romæ apud doctissimum Equitem Franciscum Victorium adservatur. Hanc epigraphen in antica præfert ✠. PP. S. QVIRIACVS, tribus postremis literis ex area collectis. In postica Crux, cum literis circumductis DE ANCONA. Ughellius quoque similem protulit Tom. I. Ital. Sacræ.

Secundus Nummus Mutinæ apud Comitem Johannem Baptistam Scalabrinium, Dominicum Vandellium, Johannem Franciscum de Solis, atque penes alios exsistens (variæ tamen formæ) imaginem exhibet Episcopi cum epigraphe P. P. S. QVIRIACVS, & in aliis PP. S. CIRIACVS. Altera facies in area Crucem habet, & hasce literas DE ANCONA.

Tertium adservat Mutinæ Bertacchinius in suo Museo, præcedentibus similem, nisi quod Claves decussatæ adjectæ fuerunt, ad indicium tunc dominantis ibi Ecclesiæ Romanæ. Anconitanæ verò Civitatis a tempore antiquissimo patronus est Sanctus Cyriacus. At quis ille fuerit, diu inter Eruditos disceptatum est, nihilque hactenus certi emersit. Sunt qui Episcopum Hierosolymitanum & Martyrem; sunt & qui Anconitanum Antistitem volunt. Ughellium præsertim vide in Episcopis Anconitanis, & Clariss. Papebrochium in Præfatione ad ejus Acta die IV. Maji in Actis Sanctorum. Innumeræ profectò heic fabulæ locum invenere, neque Acta apocrypha desunt. Atque ut verum fatear, nisi me cohibuisset Nummus Ariminensis infra edendus, suspicio mihi suborta fuisset, Anconitanos olim neque Episcopum suum, neque Hierosolymitanum Patriarcham arbitratos fuisse Sanctum Quiriacum, sed Romanum Pontificem. Nam quum Sanctis adjungitur duplex PP. nihil aliud significari consuevit nisi PAPA. At in fabulosa & antiqua *Legenda Sanctæ Ursulæ*, & si Superis placet, XI. millium Virginum & Martyrum, *Cyriacus Papa* occurrit, alioqui fabulosus, nisi sub *Cyriaci* nomine *Siricium Papam* designatum velis: quod opinantur, qui immanem illam fabularum struem sustinere pergunt. Sed huic suspicioni locum non relinquit Nummus Ariminensis, & situs etiam duorum PP. quæ non subsequuntur, sed præcedunt nomen Episcopi. Fieri potuit, ut moniti Anconitani, ægre sustineri posse Quiriacum illum Patriarcham Hierosolymitanum, sese receperint ad asserendum Sanctum Quiriacum tantummodo Anconæ Episcopum. Et reapse apud Alexandrum Bertacchinium, toties mihi laudatum, Nummus conspicitur cum effigie Episcopi, neque ibi occurrunt duo PP. sed tantummodo S. QVIRIACVS EPS. ideſt *Sanctus Quiriacus Episcopus*.

Quartus Nummus Veronæ in Muselliano Museo adservatus, virum ostendit in equo currente sedentem, cum epigraphe DE ANCONA. In posticæ area visitur A, & circum S. QVIRIACVS PP.

Quinctus denique Nummus in Bertacchinio Mutinensi Museo, præfert insignia gentilitia Paulli II. Papæ, cum Clavibus ac Triregno superpositis, additâ in limbo epigraphe PAVLVS.

Digitized by Google

LVS. PAPA. II. In postica effigies Sancti cujusdam, fortasse Cyriaci, cum literis in circuitu MARCHIA ANCONE. Inter Paulli II. Nummos a Clariss. P. Bonnannio editos hunc non invenio.

AQUILA CIVITAS.

AQuilanæ *Civitatis* Nummos habes supra, a me evulgatos inter Nummos Ladislai, Ferdinandi I. & Caroli VIII. Regum Neapolis. Unum quoque infra proferam, in cujus antica visuntur Pontificiæ Claves decussatæ, cum Tiara Papali, in epigraphe verò legitur INNOCENTIVS. P. P. VIII. In aversa parte Aquila aream occupat, & circumstant literæ AQVILANA CIVITAS . . . Spectat hic Nummus ad Sæculum Christi XV.

AQUILEJA, ET PATRIARCHÆ AQUILEJENSES.

DUm stetit nobilissima *Civitas*, *Aquileja*, videlicet, usque ad tempora Attilæ Hunnorum Regis, Nummos ibi percussos vidimus a Romanorum Imperatoribus Christianis. At post ejus miserabile excidium, nullum ibi per multa Sæcula vestigium officinæ Monetariæ fuit. Patriarchis demum Aquilejensibus, utpote qui amplissimæ regioni dominabantur, collata est eadem prærogativa a Friderico II. Augusto. An antea argentum Patriarchæ signarint, ignotum mihi est. Saltem ab eo tempore argentei Nummi visuntur ad eorum nutum cusi, quorum iconem ex Museo Comitis Johannis de Lazara Patricii Patavini expressam ad me misit amantissimus mei Adamus Pivatus Sacræ Theologiæ Doctor, ac inter Patavinos Parochos spectatissimus. Longe verò uberiorem copiam suppeditavit mihi humanissimus atque hujusmodi monumentorum studiosus venator, Johannes Franciscus Musellius, Archipresbyter Cathedralis Veronensis, qui quæcumque antea collegerat Cl. V. Franciscus Blanchinius, in suum Museum intulit.

Primus ergo e Musselliano Museo depromtus Nummus effigiem Patriarchæ præfert, Pallium Archiepiscopale gerentis, & Crucem dexterâ, Librum sinistrâ tenentis, cum epigraphe VOLFKER. EP. ideſt *Volfkerius Episcopus*. In postica Aquila coronata cum literis in circuitu CIVITAS. AQVILEGIA. Percussus fuit hic Nummus circiter Annum Christi MCCXX.

Secundus ex eodem Museo descriptus, parem in antica effigiem exhibet cum literis BERTOLDVS P. hoc est, *Patriarcha*. In aversâ facie figura hominis, sublatas manus habentis, cum inscriptione CIVITAS AQVILEGIA. Ad Annum Christi circiter MCCXXXIV. referendus videtur Nummus.

Tertius in Museo Lazara exsistens ad eumdem *Bertholdum* Patriarcham pertinet. Similis est præcedenti, nisi quod Aquila aream posticæ occupat.

Quartus Nummus in Musselliano Museo adservatus, effigiem Patriarchæ habet cum literis BERTOLDVS P. In postica visitur porta cum tribus turribus, & epigraphe CIVITAS. AQVILEGIA.

Quinctum Nummum adservat prælaudatus Musellius. Hanc inscriptionem exhibet: GREGORI*us* ELECTVS. In postica Archiepiscopus, Crucem accipiens a quodam Sancto (Hermagoram opinor) cum literis CIVITAS. AQVILEGIA. Is est *Gregorius de Montelongo*, Anno Christi MCCLII. Patriarcha renuntiatus.

Sextus Nummus, in Museo Lazara exsistens, ad eumdem *Gregorium* jam consecratum spectat, cum epigraphe in antica GREGO*rius* PATRI*archa*. Posticæ aream Aquila implet, cum literis in limbo AQVILEGIA.

Septimus, Octavus, & Nonus Nummi, e Blanchinianis schedis descripti, ad ipsum Gregorium pertinent. Lilium in primis duobus; Crux in tertio visitur.

Decimus, Undecimus, ac Duodecimus, ex iisdem schedis depromti, hac epigraphe insigniti sunt: RAIMVMDVS. PA*triarcha*. In postica AQVILEGENSIS. Is est *Raymundus de la Turre*, cujus insignia, nempe Turris, in Decimo Nummo spectantur; Aquila verò, aut Lilia, cum Deiparæ imagine, in ceteris conspiciuntur. Is electus fuit Anno Christi MCCLXXII.

Decimus tertius, ad eumdem Patriarcham pertinens, & in Museo Lazara adservatus, duas Claves, spiritalem nempe ac temporalem potestatem indicantes, simulque Turres duas, celeberrimæ gentis Turrianæ insignia, præfert, cum inscriptionibus, ut in præcedentibus Nummis.

Decimus quartus, ibidem exsistens, hac epigraphe signatus est: PETRVS PATRIARKA, electus circiter Annum Christi MCCXCIX. In aversa parte Aquila cum Patriarchæ avitis insignibus visitur, & literis AQVILEGENSIS.

Decimum quinctum adservat in suo Museo Veronensi Musellius. Ibi similes figuræ & insignia conspiciuntur, & inscriptiones PETRVS PATR*iarch*A AQVILEGENSIS.

De-

Digitized by Google

Decimus ſextus in Muſeo Lazara exſtat. Ibi Patriarchæ imago cum epigraphe OTOBONVS PA*triarcha*. In poſtica illius inſignia & literæ AQVILEGENSIS. Electus is fuit Anno Chriſti MCCCI.

Decimus ſeptimus, ibi quoque adſervatus, haſce literas continet: PAGA*nus* PATR*iarch*A, electus circiter Annum Chriſti MCCCXIX. In averſa parte Turris, ejus inſigne, & AQVILEGIA.

Decimus octavus ibidem viſitur. Præfert verò Deiparæ imaginem, puerum Jeſum in ulnis geſtantis, hac epigraphe BERTRANDVS P*atriarcha*, Anno Chriſti MCCCXXXV. electus. A tergo Aquila cum literis AQVILEGENSIS.

Decimus nonus Nummus, e Muſeo Muſelliano deſcriptus, ad eumdem Bertrandum ſpectat. In antica Crux & DEVS. Circumſtant literæ BERTRANDVS PAT*riarc*HA. In poſticâ effigies Sancti, cum epigraphe: S. HERMACHOR*as* AQVILEGIENSIS.

Vigeſimus, ibidem adſervatus, ad eumdem Bertrandum pertinet, & a præcedenti parum differt.

Vigeſimum primum poſſidet Comes Lazara in ſuo Muſeo. In area Leonem habet coronatum erectis pedibus, quem nos appellamus *Rampante*, cum literis: MONETA NICOLAI. In altera parte Crux & literæ: PATR*iarch*AE AQVILEG*enſis*. Iſte Anno Chriſti MCCCL. electus fuit.

Vigeſimus ſecundus ibidem. In area exhibet duo Sceptra liliata cum epigraphe MONETA LVDOVICI. Hinc inde duo ſceptra viſuntur literæ L V. nempe *Ludovicus*. In poſticâ Aquila cum literis PATRIARCHA AQVILEGENSIS, electus Anno Chriſti MCCCLVIII.

Vigeſimus tertius in Muſeo Muſelliano, Ludovico eidem eſt adſcribendus. Sedet is in cathedra, ſive faldiſtorio. Circumſtant literæ LVDOVICVS PA*triarcha*. In altera facie ejus inſignia, hoc eſt Turris, unde prodeunt duo ſceptra liliata, & hinc inde L V. Circumſtant literæ AQVILEGIA.

Vigeſimus quartus in Muſeo Lazara, Aquilam oſtendit, & literas in limbo MONETA MARQVARDI PAT*riarch*aE Aquilejenſis electi Anno Chriſti MCCCLXIV. In poſtica imago Sancti Epiſcopi cum epigraphe S. HERMACORA, qui primus Aquilejenſium Antiſtes fuit.

Vigeſimus quinctus in Muſeo Muſelliano. Area habet globum ſupra pulvinar, ſub quo litera M. Circumſtant literæ MARQVARDVS PATR*iarch*A. In averſa parte Crux cum epigraphe AQVILEGENSIS.

Vigeſimus ſextus in Muſeo Lazara. Area exhibet inſignia Regiæ Francicæ Familiæ, nempe tria Lilia cum literis FILIPVS COMINARIS. In altera parte Aquila cum literis PATRIARCHA AQVILEGENSIS. Hic e ſanguine Regum Francorum, & e Comitibus de Alenconio natus, & purpurâ Cardinalitiâ illuſtris, circiter Annum Chriſti MCCCLXXXII. ad regendam Aquilejenſem Eccleſiam deſtinatus fuit. Quid ſit illud *Cominaris*, petis. Reſpondeo, attritas fortaſſe literas verum ſenſum non reddidiſſe. Suſpicor autem, ſignificatum per eas fuiſſe COM*m*EN*d*A*ta*RI*uS*: nam ob hunc ipſum titulum Populos reluctantes Philippus invenit, ac univerſa Patria Fori Julii bellorum turbinibus diu afflicta fuit.

Vigeſimus ſeptimus in Muſeo Veronenſi Muſelliano. Antica præfert Aquilam ſcacchatam cum literis IOANES PATRIARCA AQVI*lejenſis*. In poſtica Epiſcopus ſedens in faldiſtorio leonum cum epigraphe S. HERMACHORAS. Johannes electus fuit in ſchiſmate circiter Annum MCCCLXXXIX.

Vigeſimus octavus ibidem viſitur. In area caſſis pennigera ſupra ejuſdem Patriarchæ inſignia, cum literis IOANES PATRI*arc*HA. In poſtica effigies mitrata Sancti Epiſcopi cum literis SANCTVS HERMACHORAS.

Vigeſimus nonus in eodem Muſeo Muſelliano. In area Scutum gentilitium Cajetanæ gentis cum duabus faſciis, ſive viperis veru transfixis. Circumſtant literæ ANTONIVS PATRIARCHA, electus Anno MCCCXCV. Crux in poſtica cum literis AQVILEGENSIS.

Trigeſimus in eodem Muſeo, ad prælaudatum *Antonium* Cajetanum ſpectat. Parum a præcedenti differt. In poſtica viſitur Aquila.

Trigeſimus primus Nummus e Muſeo Veronenſi Muſelliano depromtus, ſcutum gentilitium præfert cum literis ANTONIVS PATRIARCHA. In poſtica Aquila, & AQVILEGENSIS. Inſignia diverſa a præcedenti nos monent, ſpectare hunc Nummum ad *Antonium de Portu Gruario*, Anno Chriſti MCCCCII. electum Patriarcham.

Trigeſimus ſecundus ibidem adſervatur. In area viſitur Scutum gentilitium ſcacchatum cum epigraphe LVDOVICVS. DVX. DE. TECH. In poſtica imago Deiparæ, & PATR*iarch*A AQVILE*ienſis*. Electus ille fuit Anno Chriſti MCCCCXVIII.

Trigeſimus tertius in eodem Muſelliano Muſeo, eſt majoris moduli Nummus, *Medaglione*

Ita-

XXI



XXII



XXIII



XXIV



XXV



XXVI



XXVII



XXVIII



XXIX



XXX



XXXI



XXXII



XXXIII



ARI-

Digitized by Google

Tab. XLII.

ARIMINI.

I



II




III



ARRETII.


I




III



II



IV



ASCULI.

I




III




II



IV



AST Æ.



Digitized by Google

Italicæ appellatus. Ibi effigies viri Eccleſiaſtici, coronam Clericalem gerentis, cum literis in limbo LVDO . . . . . AQVILEGIENSIVM PATRIARCHA ECCLESIAM RESTITVIT. In poſtica milites procedentes, cum epigraphe ECCLESIAM RESTITuit EX ALTO. Spectat Numiſma ad *Ludovicum Scarampum Cardinalem* Anno Chriſti MCCCCXL. Patriarcham electum, qui concordiam cum Venetis Foro-Julii dominantibus iniit.

ARIMINUM.

NOn unum *Ariminenſis Urbis* Nummum vidi, diverſi quidem moduli; ſed in ſingulis eadem ferme facies erat. Romæ unum poſſidet egregius inter Eruditos vir Abbas Franciſcus Valeſius, & Mutinæ alios ſimiles argenteos adſervat Bertacchinius in ſuo Muſeo, Dominicus Vandellius, & Bartholomeus Solianus, nuper laudati. Ibi effigies Epiſcopi Sancti, cum literis PP. S. GAVDECIVS. Is eſt *Sanctus Gaudentius Epiſcopus*, & patronus Ariminenſium. In altera facie Crux cum epigraphe DE ARIMINO. Uti in Nummis Anconitanis, ita & heic habes duas literas PP. præpoſitas nomini Sancti Gaudentii: quæ quamvis *Papa* alibi ſignificent, heic alium in finem adhibitæ videntur, quaſi ſonent *Perpetuus Patronus*, ſeu *Patriæ Protector*, aut aliud ſimile.

Alterum Ariminenſem Nummum argenteum, eumque vetuſtum, Romæ poſſidet Benedictus Floravantes Abbas, qui de Nummis antiquorum Pontificum optime meritus eſt. Ibi in circuitu atque in area legitur SANT. IVLIANVS. In poſtica Crux, & literæ in limbo: DE. ARIMINO.

Adjungere etiam placet æreum Nummum, ſeu potius Numiſma, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio adſervatum. Ibi effigies Principis laureati cum inſcriptione SIGISMVNDVS. PANDVLFVS. MALATESTA. PANdulfi *Filius*. In averſa proſpectus Templi Ariminenſis Sancti Franciſci, ab ipſo ædificati, cum epigraphe PRAECLarum. ARIMINI TEMPLVM. ANno GRATIAE *Vivens Fecit* MCCCCL. Vide infra ad vocem *Malateſtæ* alia Numiſmata ad eum ſpectantia.

ARRETIUM.

URbis *Arretinæ* vetuſtum æreum Nummum oſtendit mihi nobilis vir & Eques Gregorius Redius, celeberrimi viri Franciſci filius, ac Patricius Arretinus. Similem quoque adſervat Placentiæ ſæpe mihi memoratus Abbas Chiappinius, & Mutinæ Bartholomæus Solianus. In una parte effigies Sancti Epiſcopi cum epigraphe S. DONATVS, ſcilicet Civitatis Patronus. In altera Crux cum literis circum exaratis DE ARITIO.

Secundus parum abſimilis, ab olim Cl. V. Huberto Benvogliento ad me miſſus, hanc inſcriptionem præfert PP. S. DONATVS. Nuper vidimus in Anconitanis, & Ariminenſibus Nummis occurrere duo PP. præfixa nominibus Sanctorum Epiſcoporum, earumdem Civitatum Protectorum. Poſtica habet DE ARITIO.

Tertius argenteus penes eruditum Juriſconſultum Franciſcum Mariam Joachinum, Auditorem Rotæ Bononienſis, poſticam tantummodo a primo diverſam habet.

Quartus Nummus e ſchedis Blanchinianis, Veronæ in Muſeo Muſelliano adſervatus, præcedenti fere ſimilis eſt. Legitur & ibi DE ARITIO. Ita quippe tunc temporis *Arretini* ſcribebant. Gorellus in Chronico a me edito Tom. XV. Rer. Italicar. idem teſtatur inquiens:

E' vero nome mio fu ſempre Arizio
Per le molt'are, ch'eran nel mio centro,
Dove agli Dei ſi facea ſacrifizio.

Sed in nummulis æreis minus antiquis, ut mihi idem Redius oſtendit, elegantius, & ad fidem antiquarum Inſcriptionum ſcriptum eſt DE ARRETIO.

ASCULUM.

A*Sculum* quoque Piceni, ſive Marchiæ Anconitanæ Civitas, olim jure Monetæ fruebatur, uti fidem faciet Nummus æreus, quem ad me miſit Philippus Camerinius Oratorii Camerinenſis Presbyter, vir doctus, & antiquitatum amantiſſimus. Viſitur ibi in area proſpectus Portæ, ſive Pontis, aut alicujus turriti ædificii. Circum ducuntur hæ literæ DE ASCHOLO. Altera facies Crucem exhibet, in cujus angulis Lilia. Epigraphen ærugo abſumſit.

Secundum addo, in Muſeo Bertacchinio Mutinæ adſervatum. Inſignia gentilitia Pontificis cum Clavibus & Triregno ſuperpoſitis ibi viſuntur. In limbo ALE . . . . P. M. Fortaſſis percuſſus eſt Nummus ab *Alexandro VI.* Papa ſub finem Seculi a Chriſto nato Decimi quinti. In poſtica viſitur Porta, cum duobus Aſteriſcis, & literis DE ASCVLO.

Tertius argenteus, præcedenti antiquior, pe-

nes laudatum Juris Conſultum Joachinium Foroſempronienſem, in antica exhibet literas MARTINus PAPA. Pontificiæ claves ſupra viſuntur. In poſtica: S. EMIgDius, Epiſcopus nempe Sanctus, & patronus Civitatis DE ESCVLO. Veri videtur ſimile, percuſſum fuiſſe Nummum, ſedente *Martino V.* Pontifice Maximo.

Quartus argenteus Romæ adſervatur apud Clariſs. Abbatem Benedictum Floravantem. In antica legitur R. SFORTIA, ideſt *Robertus Sforția* Aſculi Dominus. In poſtica S. EMIDIVS DE ESCVLO. Alterum ſimilem poſſidet Romæ nobilis Eques Franciſcus Victorius. Apud quem etiam exſiſtunt duo alii Nummi Aſculani, in quorum primo legitur PP. S. EMIDIVS. DE ESCVLO. In altero EVGENIV. PAPA. S. EMMID. D. ESCVLO.

A S T A.

PRimum *Civitatis Aſtenſis* Nummum ex argento & ære conflatum, mihi ſuppeditavit Muſeum Chiappinium Placentinum. Antica in limbo has literas habet: CVNRADVS II. & in area REX. In poſtica Crux cum literis ASTENSIS.

Secundus prorſus ſimilis præcedenti, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio adſervatur. Eadem & ibi utrobique Inſcriptio. A *Conrado II.* Germaniæ ac Italiæ Rege, Anno Chriſti MCXL. Aſtenſes *jus faciendi Monetam* accepere, uti fidem facit ejuſdem Diploma ab Ughellio editum Tom. 4. Italiæ Sacræ.

B E R G O M U M.

TRiplex Nummus *Bergomatis Urbis* mihi præſto fuit. Alterum poſſideo ego argenteum, qui & in Muſeo Chiappinio, & Bertacchinio viſitur. Alter moduli minoris, ſed ejuſdem ferme ectypi in iiſdem Muſeis adſervatur. Ibi viſitur effigies Imperatoris laureati cum epigraphe IMPRT. ideſt *Imperator* FREDERICVS, ut arbitror, Primus. In poſtica Civitatis turritæ ſupra montem ſitæ imago, cum literis PERGAMVM: ita enim temporibus iis Bergomates nuncupare ſuam Urbem conſueverunt. Percuſſus Nummus circa Annum Chriſti MCLXII. Refert Ughellius in Ital. Sacr. Tom. 4. Diploma Friderici I. nuper memorati, datum Anno MCLVI. in quo concedit Gerardo Bergomati Epiſcopo, *ut liceat ei in Civitate ſua Monetam publicam cudere, quam per omnem Comitatum & Epiſcopatum ejus dativam & acceptam eſſe* præcipit. Nummi, quos vidi, percuſſi non ab Epiſcopo, ſed a Republica Bergomate mihi creduntur.

Tertius Nummus ex argento & ære in Muſeo Bertacchinio, aliquantulum a præcedentibus formâ diverſus, in reliquis tamen eſt ſimilis. Opinor ego, etiam poſt Frederici I. Auguſti mortem continuaſſe Bergomates in ſuos Nummos inferre nomen Frederici, qui primus privilegium cudendæ Monetæ conceſſit. Hoc & ab aliis Civitatibus factum jam animadvertimus.

B O N O N I A.

AUctor eſt celeberrimus vir Carolus Sigonius Lib. 4. Hiſtor. Bononienſ. (quem poſtea ſequutus eſt Ghirardaccius) ab Henrico inter Auguſtos V. & Rege VI. privilegium ſignandi argenti & æris Bononienſibus Anno Chriſti MCXCI. conceſſum fuiſſe. Quam in rem is laudat acta vetera Bononienſis Archivi, ejuſque ſententiam confirmabunt Nummi infra evulgandi. Sed quando licuit mihi Diploma ipſum ex eodem Tabulario deſcriptum accipere, nunc in omnium commodum proferam.

Henrici VI. Germaniæ ac Italiæ Regis Diploma, per quod Bononienſi Populo jus Monetæ largitur, Anno 1191.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus Sextus, *divina favente clementia* Romanorum Rex, & ſemper Auguſtus. *Regalis noſtra conſuevit benignitas ſuorum devotionem fidelium benigno ſerenitatis noſtræ favore reſpicere, & eis munificentiæ noſtræ manum liberaliter extendere. Noverit itaque omnium Imperii fidelium tam præſens ætas, quàm ſucceſſura poſteritas, quod nos noſtrorum fidelium* Communis Bononienſis *amore inducti*, eis conceſſimus licentiam in Civitate Bononiæ cudendi Monetam, *& loco Communis ipſius Civitatis Poteſtatem Agnellum hujus conceſſionis dono inveſtimus hoc tenore, ut ſecundùm quod eis viſum fuerit expediens, faciant Monetam. Hoc excepto, quod Moneta ipſorum noſtris Imperialibus nec quantitate, nec formâ, nec valentiâ debet adæquari. Quæ noſtræ liberalitatis conceſſio*

Digitized by Google

teſſio ut firma permaneat, præſentem ſuper hoc paginam fecimus conſcribi, & majeſtatis noſtræ ſigillo juſſimus communiri; Regali ſancientes edicto, ut huic noſtræ munificentiæ nulla perſona humilis vel alta præſumat obviare, vel eam auſu temerario infringere. Hujus rei teſtes ſunt Godefridus Aquilejenſis Patriarcha, Guillielmus Aſtenſis Epiſcopus, *&* Ravennas electus Archiepiſcopus, Otto Friſingenſis Epiſcopus, Bonifacius Novarienſis Epiſcopus, Gerardus Parmenſis Epiſcopus, Sigifredus Mantuanus Epiſcopus, Arditio Mutinenſis Epiſcopus, Petrus Reginus Epiſcopus, Conradus Dux de Rotamberg, Opizo Marchio de Eſte, Bonifacius Marchio Montisferrati, Petrus Præfectus Urbis, Rainerius Comes de Blandrato, *Henricus Teſta Mareſcalcus, Henricus Camerarius de Lut; & alii quamplures.*

Signum Domini Henrici  *Sexti Romanorum Regis invictiſſimi.*

Ego Ditherius Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Philippi Colonienſis Archiepiſcopus & Italiæ Archicancellarii recognovi.

Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Primo, regnante Domino Henrico VI. Romanorum Rege glorioſiſſimo, Anno Regni ejus XXII.

Data Bononiæ Idibus Februarii per manum Henrici Protonotarii, feliciter. Amen.

Heic autem rurſus audiendus Sigonius, qui ſubdit, neque *Langobardorum temporibus* Bononienſi Populo jus cudendæ pecuniæ defuiſſe, *quemadmodum ex privilegio Deſiderii Regis Viterbienſibus dato cognoſcitur*. Privilegium a Sigonio, ſive ab ejus Operis poſtumi editore indicatum, nihil aliud eſt, niſi famoſum Deſiderii Edictum, Viterbii adhuc in marmorea tabula inſcriptum, & ab aliquo Impoſtore confictum, quod Sigonius ipſe Lib. 3. de Regn. Ital. commemoravit, tum Gruterus veluti gemmam inter antiquas Inſcriptiones retulit, ut alios laudatores omittam. Antiquos non miror, qui a commenticio ejuſmodi Edicto non ſatis ſibi caverunt. Miror magis, quod Holſtenius vir ſane doctiſſimus, & inter Criticos adeo celebris, poſtremis hiſce temporibus, & poſt tantam lucem eruditioni Eccleſiaſticæ atque profanæ partam, probare ac tueri perrexerit monumentum, jam communi doctorum hominum ſuffragio ad fabulas amandatum: quod & nuper tentavit Viterbienſis Civis, Romæ degens, qui illius patrocinium ſuſcipere non dubitavit, ſubridente, ut puto, Eruditorum Romanorum integro cœtu. Videat Lector, quid nupero Scriptori huic regeſſerit Cl. V. D. Gaſpar Berettus Monachus Benedictinus, & ſæpius tum in hoc Opere, tum in Collectione Rer. Italicarum mihi laudatus. Addam ego, omnium loco ſufficere ad prodendam illius Edicti impoſturam, quæ de re Monetaria ibi leguntur. Nempe ait confictus ille Deſiderius Rex: PERMITTIMVS (ſcilicet Viterbienſi Populo) PECVNIIS IMPRIMI F. A. V. L. SED AMOVERI HERCVLEM ET PONI SANCTVM LAVRENTIVM EORVM PATRONVM, VT FACIT ROMA ET BONONIA. Mitto phraſim illam *pecuniis imprimere*, & ajo, in paucis hiſce verbis plures fabulas comprehendi. Tam falſum eſt, quam quod falſiſſimum, temporibus iis, Monetæ jus datum fuiſſe *Viterbienſi Caſtro*, uti illud appellat Anaſtaſius Bibliothecarius, quum eo carerent, ut vidimus, fere omnes Italiæ præclariores Urbes. Falſum itidem, tunc Bononiæ percuſſos fuiſſe Nummos. Præterea univerſam antiquitatem reclamantem noris, ubi verba iſta ſignificare credantur, tunc Romæ & Bononiæ obſignatam fuiſſe pecuniam cum effigie *Sancti Laurentii*. Nugæ ac lyræ ſunt iſta, uti & reliqua ſuppoſiticii illius fœtus inventa, e quibus unum præterire nolo. Laudatus eſt a Beretto

Vo-

Digitized by Google

Volaterranus ſcribens, *Petram Sanctam Lucenſium ædificium, quo tempore de finibus illi cum Genuenſibus litigabant: appellaruntque ex cognomine Viri Mediolanenſis, qui ab Imperatore arbiter eo miſſus, locum illum Lucenſibus adjudicavit*. In ſpurio illo Edicto ait Deſiderius, ſe ædificaſſe PETRAM SANCTAM, OLIM FANVM FERONIÆ. At nil pecuniæ impendit Rex ille in condendo Oppido, poſt aliquot tantùm Sæcula nato. Et Volaterranus quidem rem ſenſit, quamquam non ſatis per omnia novit. Germanam Petræ Sanctæ originem nobis ſervavit Ptolomeus Lucenſis Hiſtoricus, qui Annales breves Anno Chriſti MCCCIII. ſcripſit, a me inlatos in Tomum XI. Rer. Italicarum. Sunt ejus verba ad Annum MCCLV. *Dominus Gaiſcardus de Petra Sancta* (Mediolanenſis) *fuit hic Poteſtas* (Lucenſis). *Qui de Verſilia duos Burgos, unum ex* SUO NOMINE *nominavit; alterum verò Campum Majorem. Hunc ruſticis, ſeu hominibus Cattaneorum, alium verò de Petra Sancta replevit hominibus de Corvaria, & de Vallecchia* &c. Itaque unâ liturâ dele impudentiſſime confictum totum illud Edictum. Hoc ſibi habeant, qui fabulis delectantur. Sed jam repeto Bononienſium Nummos.

Primus tum apud me, tum apud nepotem meum Johannem Franciſcum de Solis, & penes alios Mutinenſes, atque in Muſeo Eſtenſi, Bertacchinio, & Chiappinio, adſervatus, in antica præfert has literas ENRICVS, & in poſtica IPRT, quæ initiales literæ ſunt quatuor ſyllabarum conſtituentium hanc vocem ImPeRaTor. Is eſt Henricus V. Auguſtus, qui Anno Chriſti MCXCI. Privilegium ejuſmodi, ut vidimus, Bononienſi Populo contulit. In poſticæ limbo legitur BONONI, & in medio A, quod conjunctum literis iiſdem dat *Bononia*. Similem Nummum, ſed minoris moduli, conſpexi in prælaudato Muſeo Bertacchinio.

Secundus in eodem Muſeo, apud Joſeph Mariam Cattaneum, & Dominicum Vandellium, Mutinæ exſiſtens, in altera facie habet BONONIA, in altera MATER STVDIORVM, quem titulum laudis non immeritò eximia illa Civitas ſibi tribuit, & diu in Nummis a ſe percuſſis uſurpavit.

Tertium argenteum ad me miſit ſpectatiſſimus inter Proceres Bononienſes Johannes Paulus Marchio de Pepulis. Ibi in antica Crux cum literis viſitur TADEVS DE PEPOLIS. is nempe, qui Anno Chriſti MCCCXXXVII. Bononiæ Dominus electus fuit, illudque imperium magnifice geſtum ad filios quoque tranſmiſit. In poſtica eſt effigies Sancti Petri ſtantis cum Libro in ſiniſtra & Clavibus in dextera. Circumſtant literæ: S. P. (ideſt *Sanctus Petronius*) DE BONONIA. Ejuſmodi Nummos ab eodem Thaddæo percuſſos fuiſſe Anno MCCCXXXVII. auctor eſt Ghirardaccius in Hiſtor. Bononienſi. Idemque confirmatur ab Auctore Miſcellæ Bononienſis Tom. XVIII. Rer. Italicar. qui etiam animadvertit, unum ex hiſce Nummis æquaſſe pretium duorum Solidorum.

Quartus argenteus Mutinæ viſitur in Muſeo Bertacchinio. Altera facies exhibet has literas IA. ET. IO. DE. PPLIS. & in area FRES, ideſt *Jacobus & Johannes de Pepolis fratres*, qui poſt Thaddæi patris ſui obitum dominari Bononiæ cœperunt Anno Chriſti MCCCXLVII. In altera facie legitur in circuitu BO NO NI A.

Quinctus Nummus, Mutinæ apud Johannem Baptiſtam de Caula J. U. D. a me viſus, in antica præfert IOHES, ideſt *Johannes*, VICECOMES, Archiepiſcopus nempe ac Dominus Mediolani, cujus ditioni Anno Chriſti MCCCL. addita eſt a Pepulis dominatio Bononiæ. In poſtica legitur BONONIA.

Sextus argenteus adſervatus a ſupra memorato Abbate Joachino, exhibet effigiem Romani Pontificis cum literis VRBAN V P P. V. In averſa facie BONONIA cum inſignibus aut Legati Pontificii, aut Confanonerii. Nummus cuſus Anno Chriſti MCCCLXVIII.

Septimus Nummus, in prælaudato Muſeo Bertacchinio exſiſtens, recentior eſt, atque a Bononia libera percuſſus. Ibi effigies Sancti Petronii Epiſcopi, quem Bononienſes Patronum ſibi ab antiquis Sæculis habent, cum epigraphe S. PETRONIVS. In averſa parte Leo ſtans in poſterioribus pedibus, & vexillum pedibus primoribus tenens, cum literis BONONIA DOCET: quo elogio prærogativam antiquæ Academiæ ſuæ Bononienſis Populus adhuc in ſuis Nummis prodit.

Octavus in eodem Muſeo Crucem in area præfert cum tribus Stellis ſuperpoſitis. Ad quem ſpectet iſtud Inſigne, inquirendum relinquo iis, qui otio abundant. Circumſtant literæ BO.NO.NI.A. In poſtica Leo nuper memoratus cum literis circum: DO.CET.

Nonus argenteus e ſchedis Blanchinianis, Veronæ in Muſeo Muſelliano adſervatis, depromtus, perquam ſimilis eſt præcedenti Septimo. Ibi effigies Sancti patroni cum literis S. PETRONIVS DE BONONIA. Aureum conſimilem Nummum poſſidet Johannes Dominicus Baciallius Bononienſis.

De-


Digitized by Google

BERGOMI.


I



II




III




BONONIÆ.


1




II




III



IV



V



VI



VII




VIII



IX



X



Digitized by Google

Tab. XLIV.








BRIXIÆ.







Digitized by Google

Decimus, apud prælaudatum Caulam Jurisconsultum, & Placentiæ in Musæo Chiappinio, Claves habet, insigne Romanæ Ecclesiæ, quæ Anno Christi MCCCLX. & pluries postea, Bononiam recepit. In limbo legitur: DE BONONIA. Altera facies imaginem Sancti Petronii ostendit, manu gestantis Urbem, cum literis in circuitu: S. PETRONIVS.

Undecimus aureus visitur penes prælaudatum Johannem Dominicum Baciallium, a Secretis Senatus Bononiensis. In ejus antica habetur imago Sancti Petri Apostoli cum epigraphe S. PETRVS APOSTOLVS. Postica præfert in area Leonem gradientem cum Vexillo, in cujus extremitate inferiori est quoddam parvulum stemma gentilitium. Leguntur verò in limbo hæ literæ BONONIA DOCET. Sigonius Libro 3. de Episcopis Bononiensibus, ubi agit de Philippo Caraffa Neapolitano, hæc habet: *Itaque sequenti* (Anno Christi MCCCLXXX.) *Nummum aureum percusserunt* (Bononienses) *in quo ab uno latere Leonem Vexillum libertatis tenentem cum literis* BONONIA DOCET; *ab altero imaginem cum nomine Sancti Petri finxeruut*.

Hisce addere juvat duodecimo loco Numisma *Johannis II. Bentivoli*, Mutinæ exsistens in Musæo Bertacchinio. Diu enim Johannes ipse primas ibi tenuit, tum Bononiæ dominata est nobilis Bentivolorum Familia, quæ nuper etiam insignem tum ingenio tum purpurâ Cardinalitiâ virum dedit Cornelium Bentivolum, potentissimi Hispaniarum Regis Philippi V. Legatum ad Romanum Pontificem. Numisma nullâ explicatione indiget.

Alterum Numisma potius quàm Nummum, argenteum minoris moduli, suppeditavit mihi peramicus vir mihi supra memoratus Johannes Baptista Bianconus Bononiensis. In ejus antica visitur Bentivolæ gentis insigne, & epigraphe IOANNI II. BENTIVOLO. In postica cernitur Aquila Imperialis, cum literis CONCESSIO MAXIMILIANI, ideſt Imperatoris.

BRIXIA.

SI Capriolo fides Lib. V. Historiæ Brixianæ, Anno Christi MCLXII. *Brixianis a Federico* (scilicet Primo) *Imperatore, Brixiæ diebus octo manente, eonceſſum eſt eorum ſignis Monetam cudere*. Cl. V. Paulus Galeardus Canonicus Brixianus, ut mihi suæ patriæ Nummos conferret, a me rogatus, unum tantummodo misit, a se visum penes nobilem virum Comitem Johannem de Martinengo. Eumdem quoque Patavii adservat Comes Johannes de Lazara, uti ab amico Pivato intellexi. Ibi Crux visitur cum epigraphe BRISIA. & in aversa parte imagines Sanctorum Urbis Protectorum, cum literis S. FAVSTINV. S. IOVITA.

Alterum Nummum argenteum Mutinæ possidet Bertacchinius in suo Musæo. Ibi Crux conspicitur. Circumstant literæ BRISIA. In altera facie e literis corrosis quatuor tantùm supersunt, videlicet ATOR. Veri simile videtur ibi scriptum fuisse FEDERIC. IMPERATOR.

Tertii Nummi ectypon ad me misit prælaudatus Canonicus Galeardus. Ibi Crux eadem visitur cum literis per angulos dispertitis I. II. P. P. In limbo BRISIA. Eadem Sanctorum patronorum effigies in altera parte. Opinatur vir ille doctissimus, cusum fuisse hunc Nummum a Brixiano Populo in honorem *Innocentii II. Papæ*, cujus nomen literis iis indicetur, quum Anno Christi MCXXXII. Malvecio teste in Chronic. Brix. a me edito Tom. XIV. Rer. Italicar. (sive, ut rectius idem Galeardus contendit in postrema edition. Ital. Sacr. Anno MCXXXIII.) idem Innocentius Pontifex Brixiæ fuerit. Perturbata profecto & manca est Historia in rebus gestis & Chronologia Innocentii II. & nullus ex synchronis Scriptoribus innuit, Innocentium Anno MCXXXIII. Brixiam profectum; at fieri potuit, ut dum Placentiæ adventum Lotharii Germaniæ ac Italiæ Regis opperiretur, excurrerit usque Brixiam. Sed postquam hoc statueris, quærendum superest, qua facultate Brixiani Nummum percusserint eo Anno, quum Anno tantùm MCLXII. ejusmodi jure donati fuerint, si vera est Capreoli sententia. Sed supra laudatus Galeardus vel ab Anno Christi MXLII. Brixianos obsignasse pecuniam tradit, quam in rem quæ certa documenta is adferat, nondum rescivi. Utcumque sit, insuetum plane videatur, neque par exemplum succurrat, Civitatem Lombardicam liberam nomen Papæ in suis Nummis exarasse, quum hoc dominationis temporalis signum sit; neque certe Innocentio II. fuerit Brixiæ ulla temporalis ditio. Suspicabar ego, an e literis, diligentius inspectis, exsurgere posset INPERATOR, ut est in Nummo Ticinensi Decimosexto. Sed præstat relinquere Civibus Brixianis tenebrosæ hujus epigraphes explicationem.

Digitized by Google

CAMERINUM.

ANtiquum est decus *Urbis Camertis*, sive *Camerini*, quum Sæculis barbaricis Marchiæ suæ nomen dederit, a Spoletino videlicet Ducatu distincta, quamquam plerumque Provinciæ utrique unus Princeps præesset. In libertatem denique & ipsa assurrexit, eoque tempore Nummos percussit. Ex iis nonnullos egomet Mutinæ reperi, alios mihi procuravit a Philippo Camerinio Presbytero doctissimo Oratorii Dionysius Sancassanius, noster Scandianensis, Spoletinæ tunc Civitatis nunc Comaclensis Medicus, vir ex editis Libris clarissimus.

Primus Nummus æreus in Museo Alexandri Bertacchinii Mutinensis exsistens, has literas præfert in limbo: VRBS CAME, & in area RINA. In aversa parte imago Episcopi patroni Urbis cum epigraphe S. ANSOVINVS.

Secundum argenteum adservo ego. Ibi Crux in area, & in circuitu hæc inscriptio: DE CAMMERENO. In posticâ eadem *Sancti Ansovini* effigies, & epigraphe ut in præcedenti.

Tertius argenteus a prælaudato P. Camerinio adservatus, differt tum formâ a Secundo Nummo, tum etiam quod præfert Insigne Urbis in summitate, nempe tres Turres, sive Domus.

Quartum item argenteum possidet idem Camerinius. Ibi epigraphe VR. CAMERIN, in medio A, ideſt *Urbs Camerina*. Postica habet SANTVS VENA, & in area TIVS, hoc est *Sanctus Venantius*, alter Camerini Sanctus tutelaris. Tempus, quo Nummi isti fuere percussi, ignoro.

Quinctus Camerini quoque exsistens, & a Sancassanio missus, insigne Urbis in area exhibet, scilicet tres Ædes, sive Turres cum literis D. CAMER. nempe *De Camerino*, nisi interpretari malis *Dominus Camerini*. In aversa parte Crux cum epigraphe S. VENANTIVS.

Sextus, Septimus, & Octavus depromti fuere e schedis Blanchinianis, Veronæ in Museo Muselliano adservatis. Parum absimiles a Quarto Nummo sunt, inter se tamen diversi.

Nonus æreus apud me, ac etiam Camerini adservatus, effigiem ostendit Principis cum epigraphe IO. MARIA VARANVS CAMERINI D. ideſt *Johannes Maria Varanus Camerini Dux*, sive *Dominus*. Diu in Urbe illa dominata est præclarissima gens Varana. Johannes autem Maria cadente Sæculo Christi Decimosexto *Ducis* titulum arripuit. In altera parte insigne ejusdem Familiæ, cum epigraphe DISTINGVE ET CONCORDABIS. Alios ejusdem Principis, ac Juliæ illius filiæ Nummos misit Sancassanius, quos brevitatis amore prætermitto.

Decimum Nummum ad me misit olim Hubertus Benvoglientus V. Cl. Ibi visitur effigies Sancti Venantii, dexterâ Vexillum tenentis cum literis VENAN. In postica cernuntur insignia Familiæ Varanæ dominantis, & in limbo CAMERINEN. VR. ideſt *Camerinensis Urbs*.

Undecimus Nummus e Museo Muselliano descriptus, hanc epigraphen exhibet: IOANNA. M. ET. IO. MARIA. VAR. CAM. videlicet *Johanna* de Malatestis mater, *& Johannes Maria Varanus*, Domini *Camerini*. In postica S. VENAnTIVS. DE. CAMERIno.

COMUM.

COmensis *Urbis* Nummus in Museo Bertacchinio visitur. Argenteus est. In antica effigiem Imperatoris exhibet, dextrâ sceptrum liliatum tenentis, & sinistrâ rosam naso admoventis, cum epigraphe FREDERICVS IMPERT. ideſt *Fridericus Imperator*. Primus-ne, an Secundus, Novocomenses edicant. Ego in Secundum opinione inclino. Postica habet Aquilam (si tamen Aquila dicenda est) margaritis aut gemmis ornatam, cum literis in circuitu CIVITAS CVMANA: ita enim temporibus iis Comenses suum cum Urbe Cumana nomen confundebant. Quod quum minime animadvertisset Clariss. Pagius, immeritò Sigonium meum arguit, uti ostendi Par. I. Cap. XV. Antiquitat. Estensium.

Alterum argenteum Nummum, Mutinæ vidi apud Johannem Zannonium. Ibi eadem antica. At in postica differt Aquilæ forma, ibique dumtaxat legitur CVMANVS, ideſt Populus. Vide in Tom. V. Rer. Italicar. Poëma de excidio Comensis Civitatis, cui titulus *Cumanus*.


Tertius argenteus adservatus apud sæpe laudatum Abbatem Franciscum Mariam Joachini Forosempronienſem, nescio an referendus sit ad Novocomum. Sunt enim ibi omnia mihi obscura. Visuntur literæ CO. R. (sive B. fortassis indicantes Bernabovem Mediolani, Comi, aliarumque Civitatum Dominum) VICECOMES. In altera facie VB. . . . . MANA. Non satis apparent literæ, ita ut incertum sit, num forte VRBS CVMANA ibi fuerit expressa.

COR-


Digitized by Google

CAMERINI.

I



II




III




IV




V



VI



VII




VIII




IX



X



XI




CO-

Digitized by Google


Tab. XLVI.

C O M I.


I



II



III



C O R T O N Æ.




CRE-


Digitized by Google

CREMONÆ.

I




IV




II




V



III



VI



VII



DE-

Digitized by Google

Tab. XLVIII.

DECIANÆ COMITIS.




DERTONÆ.




EUGUBII.

I



II



Digitized by Google

CORTONA.

IN hoc Nummo, cujus ectypon debeo Clariſs. Abbati Rodulphino Venuti, Patritio Cortonenſi, e Muſeo Patriæ Academiæ eductum CORTONA., in poſtica verò S. VINCENTIVS. Vetuſta namque Etruriæ Civitas *Cortona*, antequam nobilis Caſaliæ gentis imperio pareret, Libertate, non ſecus ac reliquæ Etruriæ Urbes, fruebatur.

CREMONA.

SUpra vidimus, Fridericum I. Auguſtum Anno MCLV. tranſtuliſſe in Cremonenſes jus cudendæ pecuniæ, quo Mediolanenſes privaverat. Veritatem rei confirmabit Nummus æreus in Muſeo Bertacchinio Mutinæ adſervatus. In antica legitur FREDERICVS, in area IMPERATOR, tribus tantùm literis expreſſus. Altera facies Crucem exhibet cum epigraphe DE CREMONA.

Secundus Nummus argenteus, Mutinæ apud Camillum Pancerium, in area F. dumtaxat habet, ideſt *Fredericus*; in limbo IMPERATOR. In averſa parte Crux & epigraphe CREMONA. Rurſus heic memineris, Civitates complures liberas perrexiſſe ſignare pecuniam ſuam uno ſemper nomine Imperatoris aut Regis ibi exarato, a quo jus Monetæ diu antea acceperant.

Tertius, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio viſitur. In area legitur F. nempe *Fredericus*: in circuitu verò IMpeRATOR. Poſtica Crucem præfert cum literis CREMONA.

Quartum Nummum poſſidet Placentiæ Reverendiſs. Chiappinius. Ibi in limbo legitur FEDERICVS, & in area IPR. ideſt *Imperator*. In averſa facie Crux conſpicitur cum epigraphe Cremona.

Quinctum Nummum adſervat quoque in Placentino ſuo Muſeo idem Abbas Chiappinius. Crux ibi viſitur in medio cum inſcriptione AZO VICECOMES. In altera parte legitur CREMONA. Ergo cuſus hic Nummus Anno Chriſti MCCCXXXV. quo Cremonenſi Civitate potitus eſt Azo Vicecomes Dominus Mediolani.

Sexti ectypon ad me miſit Cl. V. Franciſcus Ariſius, Conſervator Ordinum Cremonæ. Ibi cernitur in area Symbolum, nempe brachium armatum cum literis FORTITVDO MEA IN BRACHIO. In altera parte Epiſcopi Sancti effigies cum epigraphe S. HIMERIVS EPISCOPVS, patronus videlicet Cremonenſium.

Septimus Franciſci II. Sfortiæ Vicecomitis mihi ſuppeditatus à Marchionibus Fratribus de Vicecomitibus Mediolanenſibus; ex una parte exhibet S. Homobonum porrigentem eleemoſynam puero cum literis circumſcriptis S. HOMOBO. PAVPERTAT. . . . . CREMONEN. ex alio latere Anguem Puerum vorantem cum corona & literis in gyrum ✠ FR. II. SF. MED. . . . . DVCE 1527.

DECIANÆ COMES.

NObilis *Ticionum*, ſive *Tizzonum* gens, in Hiſtoria Vercellenſi celebris eſt, utpote quæ ibi primas aliquando tenuit, immo & dominata eſt. *Deciana* verò, nunc *Deſana*, Caſtellum eſt Vercellenſis agri, quod *Comitis* titulo poſſidere cœpit Anno Chriſti MCCCCXI. & ſubſequentibus, *Ludovicus Ticio*, qui ſe *Vicarium Imperialem* inſcribit. Vide Benevenutum de Sancto Georgio, qui in Hiſtoria Montisferrati refert Vercellenſium Acta, quo tempore Decianam eidem Ludovico conceſſerunt. Argenteus hic Nummus, Placentiæ adſervatur a Reverendiſs. P. Abbate Chiappinio.

DERTONA.

DErtonenſi quoque *Civitati*, quæ nunc *Tortona* appellatur, conceſſum fuit jus Monetæ a Friderico I. Auguſto, cujus Privilegium memini me adferre in hoc ipſo Opere. Nummum argenteum adſervat Alexander Bertacchinius Mutinenſis in ſuo Muſeo, ad ipſam Urbem ſpectantem. In area proſtant literæ FR. in limbo IMPERATOR. ideſt *Fridericus Imperator*. In averſa facie Crux cum literis TERDONA.

EUGUBIUM.

EUgubium, Urbinatis Ducatus *Civitas*, in theatro Nummario ſuum & ipſa locum poſcit. Ibi percuſſus videtur Nummus, quem ad me perhumaniter miſit prælaudatus Johannes Baptiſta Bianconus Bononienſis. Ibi legitur in antica hæc epigraphe COMES FEDERICVS. Superſtat Aquila parva. In poſtica occurrunt hæ literæ in limbo: DE. EV. GV. BIA. Spectare poteſt Nummus ad *Fridericum III.* de Monte Feretro, qui Anno Chriſti MCCCCXLIV. Urbinum recepit, atque Anno MCCCCLXXI. ejuſdem, ac aliarum Civitatum Dux fuit renuntiatus a Sixto IV. Summo

Pon-

Digitized by Google

Pontifice. Nummi tamen forma antiqua dubitationem aliquam ingerit, an potius sit referendus ad *Fridericum I.* Comitem Montisferetri, qui Anno MCCCXXII. ab Urbinatibus trucidatus fuit.

Alterum Nummum Placentiæ adservat P. Chiappinius. Ibi legitur ✠ FEDERICVS &c. Ejus insignia spectantur in area. Altera facies habet ✠ EV. GV. BI. VM. & insignia, ut opinor, Urbis.

FERRARIA, ET MARCHIONES AC DUCES ESTENSES.

NUlla mihi dubitatio est, quin a Friderico I. Augusto *Ferrarienſis* Respublica jus obsignandæ pecuniæ acceperit. Ut enim constat ex ejus Diplomate, quod in Dissertatione XLVIII. *de Societate Lombardorum* proferam, Imperator ille Anno Christi MCLXIV. Ferrarienſi Populo complura Privilegia contulit, aliaque subinde concessisse videtur, inter quæ jus Monetæ. Et profectò id Nummi illic percussi confirmant.

Primus inter eos argenteus, Mutinæ in Museo Bertacchinio adservatus, exaratas in area has literas habet: F. D. R. C. quæ *Fredericus* sonant, & in limbo IMPERATOR. In postica est Crux cum literis in circuitu FERARIA. Neque heic designari Fridericum Secundum, sed Primum, veteres Chartæ persuadent. Quippe nondum electo altero ex Fridericis, in usu erat *Ferrarienſis Moneta*, æque ac Bononienſis, uti constabit ex utriusque Populi Pactis Anno Christi MCCV. Ferrariæ initis, dum Ferrariæ Prætoris titulo præesset Azo VI. celebris Marchio Estensis: quæ tum ex Regesto MSto Reipublicæ Bononienſis, tum ex altero Ferrarienſi adservato in Archivo Estensi descripta exhibeo.

Concordia inter Bononienſes & Ferrarienſes in controversia de Moneta, Anno 1205.

De sacramento Ferrariæ super facto Monetæ.

ANno Domini Milleſimo Ducenteſimo Quinto, Kalendis Februarii, Indictione VIII. Quum ſuper facto Monetæ Bononienſis & Ferrarienſis *concordia facta eſſet, cujus tenor eſt infraſcriptus; fecerunt Homines infraſcripti de Civitate Ferrariæ in generali Conſilio, per campanam coadunato, jurare unum Nuntium Communis ejuſdem Civitatis ſuper eorum animas, unoquoque ore ad os hodie ad hoc interrogato & mandato, ſi, ut juraret, taliter obſervaret, ut in Brevi infra poſito continetur. Qui ſiquidem Nuntius & Præco Petrus Rodulphi nomine, eis mandantibus, & præcepto Domini Rogati Judicis* Domini Marchionis, qui est ejusdem Civitatis Ferrariæ Potestas, *cujus vice dictus Dominus Rogatus Judex, quia dictus Dominus Marchio, itemque Poteſtas aberat, fungebatur, necnon nobis præſentibus, ſcilicet Domino Guidone Oderici, & me Principino Notario, qui a Domino Uberto Vicario Poteſtatis Bononiæ ad hæc ſacramenta recipienda Ferrariæ fuimus delegati, prædictis inquam hominibus mandantibus, necnon & præfato Judice, ſuáque Curiâ præcipientibus, nobiſque præſentibus juravit dictus Nuntius in Palatio Ferrariæ in Conſilio generali, dictos Homines taliter ut perlegitur obſervaturos. Quorum ſiquidem nomina hæc ſunt. Amator Judex; Rolandus da Bologna; Jacopinus* Vicecomes Domini Marchionis; *Guido Turcli; Jacobus de Pagano; Niger Tabellio; Blaſius Gerardi Judicis; Vivianus de Pocaterra; Johannes de Roletta; Gerardus de Rivarola; Dominus Luizius Judex; Petrus Johannis de Paſquale; Gilius de Ferraria; Guillielminus de Mainardis; Donusdeus Judex; Rodulfinus Johannis de Periculo; Petrusbonus Aldebrandini Judicis; Alexius Judex; Guido Judex de Sabluncello; Daniel Jacobi de Ruibola; Gavinellus Judex; Jacobinus de Lavecla Judex; Gibertus de Sozzo; Zanibonus Ægidii de Foro; Vivianus de Mazzo; Advocatus Judex; Gerardus Riticherii; Petrus Alberti Aldegerii; Jacobus de la Fontana; Ubertinus Guidonis Uberti; Albertinus de Odaridolo; Saraſinus Pagani Conſtabli; Auliverius de Caſtello; Buccalada de Girardo Permartino; Bonaventura de Ghiname; Guido de Bonandis; Janne de Mora; Pegolottus de Bonfado; Ferrareſe de Gazolo; Benevenutus de la Guaſca; Bonmercato de Zuttolo; Andreas de Spetia; Ugo de Pelizone; Rabolinus de Mitalino Medego; Gerardus de la Sala; Dominicus de la Foſſa; Manfredo Remoraro; Henrigettus Pizegolo; Rainerius de Salito; Martinus Adri; Guido Guidonis Sclembi. Iſtorum quidem nomina & parabolam, quam dederunt Nuntio, ut juraret ſuper eorum animas, ego ſcripſi. Nomina*

Digitized by Google

mina verò eorum, qui in eodem Consilio dederunt mandatum Nuntio jurandi super eorum animas scripsit Laurentius Notarius, & suâ manu scripta ibidem in Consilio mihi dedit sunt hæc, ut in ejus scriptura perlegi; scilicet Petrus de Quarto; Guillielmus Uberti Grassi; Matto-Savio; Albarinus de Johanne de Albaro; Ubertinus Gerardi Contrarii; Albertinus Petri de Cassano; Jordanese Gilii de Zordane; Johannes de Albaro; Gondoaldus; Philippus de Paganis; Albertinus Alberti de Zorzo; Giliolus de Beis; Johannes Albarinæ de Contrariis; Menabos; Guido Rebose; Rambertinus Donesmani; Paganus de Paganis; Bonusvicinus de Melito; Guido Ildebrandi; Ægidius Furni; Pepus Asdradi; Thomasinus Domini Guicli; Gerardus Contrarius; Ugolinus de Rogateno; Nicolaus de Boniolo; Magister Jambellus; Rouba; Gerardus Præmartini; Gerardus Amorosus; Mainardus de Paganino; Nigerbonus de Capello; Stenanus de Rigale; Ugo Notarius; Villanus Allene; Gerardinus Longus; Ursolinus de Guidone Tasca; Martinellus Leonis Carosi; Albertinus Giselberti; Bonmercato Ottobone; Engelerius.

Nomina verò eorum, qui interrogati sunt in Consilio, sicut superiores, & suâ manu scripta dedit mihi Magister Petrus Notarius, sunt hæc, scilicet Gerardus Presbyteri Martini; Guido Pizamiglo; Rubeus Notarius; Oddolinus de Casula; Marchisinus de Biaqua; Jacobus de Bartolotto; Magnorsus Notarius; Zambonettus Judex; Cyparanus Massarius Communis; Aliottus Notarius; Simeon; Guido de Aiguma Pertexella; Jacobinus de Orlando Campsore; Artinixius; Manfredinus Lavezarius; Roba; Albertus Pelliparius; Ottolinus Lavezarius; Johannes de Folle; Orlandinus Guidonis Ardonii; Bonaventura de Zambonis de Urrello; Guizardus de Figarolo; Manzolius; Henricus de Bonvicino; Guizardinus de Aimerico; Bertraminus; Ursolinus; Scorticaribaldus; Gilius de Abbate; Gilius de Pelato, & filius ejus Giliolus; Romanellus de Folbertino; Petrocinus de Goffredino; Ferrarinus de Scripasella; Bonmartinus de Albizo. Nomina verò eorum, quos scriptos suâ manu in dicto Consilio, sicut alii prædicti, dedit mihi Nicolaus Notarius, sunt hæc: Guido Pelliparius; Gratiadeus Guidonis; Aurefilius Homoboni; Guido Salicis; Rambertinus Guidonis Longi; Ubertinus Domusdei de Villanova; Peregrinus Domnerinæ; Aimolinus Petri Cirioli; Guido Vicedomini; Adigerius Petri Aldigerii; Guillielminus Contrarius; Gerardus Pagani; Petrus de Ansaldo; Guidobonus Pagani; Petrus de Albara; Mainardus Judex; Petrus Rasoreus; Leonardinus de Paganis; Giliolus de Labora; Leonardus Saracini; Bonjohannes Arguzii; Ugo de Argenta; Gonterius; Marcottus; Zaffonus de Manzis; Rubeus de Mantua; Bonjohannes Ugonis; Rubeus Oddonis; Rainerius Nonantulæ; Martinus Thedaldi; Anselmus Gerardi Gunzi; Griffus Jurator Justitiæ; Ubertinus Henrici Bonvicini; Anselmus de Benni; Bonmercatus Spinabelli; Angelerius Sancti Persedonii; Anselmus de Stalla; Benedictus Anselmus de Grasso; Guidobonus; Petrus Lavezolus; Albertus Jorzi; Johannes Vacca; Saletanus Guidonis Cavalli; Gazofolerius Tribimellus; Onnebonum; Girardus de Guandalino; Jacobus Alberti Villani; Albertus de Trotta; Banzolinus; Uguicio Gerardi Gonzi; Bonaventura de Nigrobono; Orsellus; Uguicio; Ottolinus Martini Tebaldi; Albertinus Bonileonis; Gerardellus; Orlandinus de Capite-fossati; Benencasa; Ferrarisius Gardelli; Bartolottus Ubaldi Roncheſani; Girardinus Presbyterini Marzalli; Ugolinus Caballerii; Dominicellus Trungli; Omnebene de Donozio. Isti autem infrascripti mandaverunt extra Consilium, antequam fieret dictum Consilium, præfato Petro Nuntio Communis, ut etiam super animas eorum juraret tale sacramentum pro eis, quale pro ceteris juratus erat, qui forent in Consilio: scilicet Lengueto de Joculo; Ansedeus de Beis; Sclavolinus de Furno; Cornaclinus; Martinus de Ricardo; Marchesinus Pizolus de Mainardo; Ottolinus de Mainardo; Polezolo de Bonnado; Jacopinus Jacopi de Trotta. Forma quidem & tenor sacramenti, talis est, videlicet.

Juro ego, quod numquam ero in consilio vel facto, ut Moneta ista Ferrariensis debeat minui de tribus unciis minùs quartâ, ad unciam Bononiensium, & de quadraginta-sex Solidis & dimidio Ferrariæ per Libram, ad Libram Bononiæ, blanchis & furnitis; nisi diminueretur voluntate Rectoris vel Rectorum utriusque Civitatis, scilicet Ferrariæ & Bononiæ. *Et opem & consilium dabo, quod non debeat diminui, nec ipsam diminuam, nec permittam diminui, nisi prout dictum est supra. Et hæc omnia suprascripta observabo perpetuò, nec contraveniam, nisi secundùm quod supra legitur. Et in Brevi cujuslibet Rectoris Ferrariæ, qui pro tempore fuerit, usque ad decem annos apponi faciam; quod ipse observabit secundùm quod supra legitur in facto Monetæ.*

Ego Principinus sacri Palatii Notarius his interfui, & prout supra legitur, scripsi & subscripsi.

Digitized by Google

Subinde liberum fecere Ferrarienſes Populo Bononienſi, ut pecuniam ſuam ſignaret ad formam pecuniæ Parmenſis, uti palam fiet ex altera Charta, quam mihi ſuppeditavit prælaudatum antiquiſſimum Regeſtum Reipublicæ Bononienſis.

Facultas Bononienſibus data a Ferrarienſibus ſignandi Nummos ad inſtar Parmenſis pecuniæ, Anno 1209.

ANno Domini MCCIX. die Dominico XI. exeunte Septembri, Indictione XII. in Conſilio Ferrariæ, facto ad ſonum campanæ, venerunt Dominus Rampertus Bualelli Miles Juſtitiæ, & Dominus Jacobus Petri Paulani, & Dominus Figlocarus, Conſules Mercatorum Bononiæ, Ambaxatores Communis Bononienſium, *Ferrariæ, & in pleno Conſilio, & generali, pulſato ad campanam, dixerunt ex parte ſui Communis Bononiæ* Domino Hugoni de Gramaxe Poteſtati Ferrariæ, & Conſulibus *ejuſdem Terræ, & Conſilio Ferrariæ*; quod cum teneantur Ferrarienſes & Bononienſes ſuper facto Monetæ in uno & eodem ſtatu & modo tenere & facere & fabricare, & nulla illarum Civitatum ſine licentia & parabola data in Conſilio generali a Rectore vel Rectoribus alterius Civitatis, Monetas illas poſſe facere diminuere: *petebant parabolam dicto Domino Hugoni Poteſtati Ferrariæ & Conſulibus & Conſilio prædicto pro Communi Bononiæ*, quia volebant ſuam Monetam & Monetam Ferrarienſem facere inſimul, & facere ad modum & quantitatem Monetæ Parmæ, pro commodo & utilitate utriuſque Civitatis. *Habito ſiquidem pleno Conſilio, & generali intereſſe, prædictus Dominus Hugo Poteſtas Ferrariæ, & Conſules Communis, & Mercatorum, & Cambiatorum, & Maſſariorum de Contratis, taliter reſponderunt, quod pro Communi Bononiæ recipientibus darent parabolam & licentiam prædictis Ambaxatoribus*, ut faciant Monetam Bononienſem ad modum & quantitatem Monetæ Parmæ; & volunt ſimiliter ſuam Monetam ad eumdem modum facere. *Et in hoc capitulo taliter eos abſolvunt, eo ſalvo toto, & ſingulis aliis capitulis, quæ continentur in Charta concordiæ factæ inter Bononienſes & Ferrarienſes ſuper facto Monetæ. Ad quam reſponſionem & parabolam & licentiam, dationem & abſolutionem fuerunt præſentes prædictus Dominus Hugo Poteſtas Ferrariæ, & Dominus Cazzanimicus ejus Judex, & Dominus Salinguerra, & Suxinellus, Giliolus Guizzardi, Guezzus de Anſedeo, Zacharias Raynaldi Guatarellæ, Petrus de Cupario, Cornaclinus, & Lidoinus, Conſules Ferrariæ; & Albertinus de Vigarano, Zanibonus, Guido de Bonandis, Barile Laurentius, Manfredinus Lavezarius, Uguitio filius Pedebovis, Jacobinus de Gulferanenſe, Ferrareſe de Calcagno, Mantoaninus Dudoxettus, Ingilerius Preite, & Paſchale Maſſarius, de Contratis Ferrariæ & Ordinibus Condoaldus Albertinus nepos Domini Salinguerræ, Guido de Ferrareſe Vindemiatore, Ugolinus de Friduccio, Ubertinus de Domina Tina, Chriſtianus, & Albertinus, & Zappulinus Notarius, & multi alii.*

Ego Petrus ſacri Palatii Notarius, ut ſupra legitur, interfui, & rogatus ſcribere ſcripſi.

Ad me verò miſit Joſeph Antenor Scalabrinius, ſacrarum Literarum in Ferrarienſi Academia Profeſſor, rerumque Ferrarienſium peritiſſimus, quos potuit, ſuæ Urbis Nummos, præſertim e Muſeo Cl V. Hieronymi Baruffaldi Archipresbyteri Centenſis deſcriptos. Eorum ſeriem nunc ſubjiciam.

Secundus Nummus æreus, percuſſus, ut creditur, circiter Annum Chriſti MCCCXL. ſub Obizzone Marchione Eſtenſi domino Ferrariæ, in altera facie imaginem Epiſcopi præfert cum epigraphe S. MAVRELIVS P. ideſt Ferrariæ *Protector*. In altera inſigne Civitatis Ferrarienſis cum literis DE FERARIA.

Tertius æreus, Ferrariæ apud Baruffaldum, & Mutinæ in Muſeo Bertacchinio, ac penes Comitem Johannem Baptiſtam Scalabrinium adſervatus, parùm a præcedenti diſſimilis eſt, neque explicatione indiget.


Quartus argenteus, Mutinæ apud Johannem Baptiſtam Caulam Juriſperitum, & apud Dominicum Vandellium, alioſque exſiſtens, Aquilam inſigne Eſtenſium in ſummitate præfert cum literis NICHOLaus MARCHIO, videlicet Eſtenſis. In poſtica Scutum cum inſignibus Civitatis, & epigraphe DE FERARIA. Deſignetur-ne heic Nicolaus II. Marchio Eſtenſis, qui Anno Chriſti MCCCLXII. Ferrariæ dominabatur, an Nicolaus III. qui Anno MCCCXCIII. dominari cœpit, aliis decernendum relinquo.

Quinctus argenteus, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio a me viſus, caſſidem, cui ſuperpoſitum


Digitized by Google

FERRARIÆ.


I




II




III




IV




V



VI




VII




VIII




IX



X



XI




XII




Digitized by Google

Tab. L.

XIII



XVI.




XIV



XVII



XV




XVIII



TOREUMATA ESTENSIUM.

I



II.

Digitized by Google

tum est Aquilæ coronatæ caput, exhibet, cum literis hinc & inde N I. fortasse significantibus *Nicolaus*. Circumstat epigraphe: NICHOL*aus* MARCHIO. In aversa parte *Monoceros* pedibus erectis, & in circuitu Crucicula cum literis DE FERARIA. Ante Annos ducentos quinquaginta Peregrinus Priscianus in Annalib. MStis Civitatis Ferrariæ, inquirebat, unde originem traxerint Insignia *Monocerotis*, quæ a nonnullis ex Principibus Atestinis usurpata fuere, suoque tempore familiaria erant. Is a Sæculo Christi usque XI. eorum primordia deducit. Hoc nullo fundamento niti mihi creditur. Quod si ille tamdiu ante ignoravit Insignium ejusmodi originem, excusandus ego certe, quod tanto tempore post invenire non potuerim. Spectat, ut opinor, hic Nummus ad *Nicolaum III. Marchionem Estensem*, Ferrariæ, Mutinæ &c. Dominum, qui Anno Christi MCCCXCIII. uti nuper diximus, Alberto Marchioni patri suo in dominatione successit.

Sextus argenteus, in Museo Baruffaldio adservatus, in altera facie offert insigne Ferrariensis Urbis additis in circuitu literis: LEONELVS MARCHIO. In altera effigies Episcopi visitur cum inscriptione S. MAVRELIVS EPI*Scopus*. Leonellus Marchio Estensis dominari Ferrariæ cœpit Anno Christi MCCCCXLI.

Septimus, Mutinæ in Museo Bertacchinio, ad eumdem Leonellum spectat, & perquam similis præcedenti est, nisi quod heic legitur S. MAV. idest *Sanctus Maurelius* FERARIENSIS. Rodius in Annalib. Ferrariensibus MStis, ad Annum MCCCCXLIX. hæc habet: *Comincioſſi a ſpendere in queſt' Anno di quei Quattrini di rame, i quali fino a i giorni noſtri ſi ſono ſempre ſpeſi in Ferrara, da una banda cuniati di un Santo Maurelio, e dall' altra di uno Scudo da guerra*.

Octavus argenteus in Museo Baruffaldio Ferrariensi, exhibet Sanctum Georgium stantem ac porrigentem vexillum *Borsio Marchioni Estensi*, ad instar Nummorum Venetorum. Ibi legitur hæc epigraphe: S. GEORGIVS. BORSIV. DVX. qui Anno Christi MCCCCLII. Dux Mutinæ & Regii a Friderico III. Imperatore est renuntiatus, & Dux Ferrariæ a Paulo II. Papa Anno MCCCCLXXI.

Nonus ex argento & ære, in Museo Bertacchinio Mutinensi exsistens, in una facie offert Aquilam bicipitem cum corona, & cum inscriptione BORSIVS DVX. In altera scutum, cum insignibus Civitatis Ferrariæ, & cum literis in limbo: DE FERRARIA.

Decimum adservat idem Museum Bertacchinium. Ad prælaudatum Borsium Ducem pertinet. Similis præcedenti est, nisi quod Scutum antiquiora exhibet Civitatis Ferrariæ insignia.

Undecimum possidet quoque Bertacchinius in suo Museo. Ibi in area *Monoceros* cum epigraphe ✠ FERARIE D. CORNIGER. In postica visitur *Aquila* biceps coronata. Circumstant literæ. ✠ CLAR. COMITAT. INSIGE. Prima inscriptio fortasse significat *Ferrariæ Decus Corniger*, idest Monoceros. Secunda verò, *Clarum Comitatum Insigne*, vel *Clari Comitatus Insigne*, hoc est, *Comitatus Rhodigii, & Comacli*, quo Borsius Dux Estensis donatus fuerat Anno Christi MCCCCLII. a Friderico III. Augusto.

Duodecimum argenteum vidi Mutinæ apud nobilem virum Camillum Hieronymum Valentinium. In anticâ effigies Principis, & literæ HERCVLES DVX FERRARIE. Is est *Hercules I. Estensis*, qui Anno Christi MCCCCLXXI. Ferrariæ, Mutinæ, Regio &c. dominari cœpit. In postica imago Sancti Georgii Ferrariensium patroni, cum epigraphe DEVS FORTITVDO MEA.

Decimus tertius, in Museo Bertacchinio exsistens, Aquilam bicipitem coronatam præfert, gentilitium Insigne Principum Estensium, cum literis in circuitu HERCVLES. DVX &c. scilicet *Primus* Nicolai III. Marchionis filius. In altera facie Monoceros, & epigraphe DE FERRARIA.

Decimus quartus aureus, Ferrariæ apud Dominos Containos adservatus, Numismatis formam gerit, & ad eumdem Herculem I. spectat. Ibi cernitur Sanctus Maurelius stans, ac benedicens Ducî in genua provoluto, cum his literis in limbo: S. MAVRELIVS. HERC*ules* DVX. FERR*ariæ*. In posticâ imago Salvatoris stantis cum literis IESVS suppositis. Circumstat hoc lemma: SALVS IN TE SPERANTIVM.

Decimus quinctus, Mutinæ in Museo Bertacchinio, Aquilam bicipitem, Insigne Principum Estensium, exhibet, cum circumpositis literis HERCVLES DVX. In area aversæ partis visitur equus. Circumstant literæ DE FERRARIA.

Decimum sextum possidebat Mutinæ quondam Angelus Blancus. Hic Nummus a me visus anticam habet præcedenti similem, additâ tamen coronâ Aquilæ. In postica spectantur Insignia Civitatis Ferrariæ.

Decimus septimus argenteus, Regii apud Comitem Nicolaum Taculum adservatus, effigiem

Digitized by Google

giem Episcopi offert cum inscriptione SANTVS MAVRELIVS. In postica visitur Flos cum suo caule, insertus in circulum Annuli, adamantem acutum præferentis in pala, & hisce literis circumdatus: DEXTERA. DNI. EXALTAVIT. ME. Cuinam tribuendus sit Nummus, eruditi Ferrarienses decernant. Adamas insigne fuit Herculis I. Ducis Ferrariæ.

Decimum octavum possideo ego, possidet & Dominicus Vandellius sæpe laudatus. Antica exhibet vultum ejusdem Herculis Ducis. Hunc enim, & non Herculem II. indicare satis videtur capillorum forma, & faciei habitus. Præterquamquod Hercules ejus nepos appellatus fuisset Secundus. Altera facies Romanis Nummis similis, nudum hominem in equo sedentem præfert.

Reliquos subsequentium Ducum Estensium Nummos prætermitto, utpote recentiores. Vide etiam Mutinenses & Regienses, heic infra describendos. Sed quando cœpere Sæculo Christi Decimoquinto in honorem Principum, atque illustrium virorum cudi ærea Numismata, sive Toreumata (Italice *Medaglioni*) majoris moduli, & aliquot sese mihi obtulere ad inclytam Atestinorum Principum gentem spectantia, ea quoque adjicere non incongruum putavi.

Itaque Primum, Mutinæ apud nobilem virum Comitem Ludovicum Nicolaum Grassetum vidi. Effigiem Numisma hoc exhibet Nicolai III. Marchionis Estensis, de quo supra, cum epigraphe NICOLAI MARCHIO*nis* ESTENSIS. In postica visuntur Insignia gentilitia Familiæ Estensis. Cusum fuit circiter Annum Christi MCCCCXV.

Secundum in Museo Estensi adservatur. Ibi effigies Leonelli Marchionis nuper memorati, cum inscriptione LEONELLVS. MARCHIO. ESTENSIS. In aversa parte unum caput hominis, sive persona, habens tres facies puriles in prospectu. Circumstant literæ: OPVS. PISANI. PICTORIS.

Tertium in prælaudato Estensi Museo exsistens, eamdem effigiem, easdemque inscriptiones præfert. Verùm diversa est facies partis aversæ. Ibi duo viri nudi calathos floribus plenos supra caput gestant, fortassis indicantes florentissimum Ferrariæ statum sub Leonello Principe optimo.

Quartum in eodem Museo, Leonelli ipsius protomen habet cum epigraphe LEONELLVS. MARCHIO. ESTENSIS. D. FERRARIE. REGII. ET. MVTINE. In postica visitur figura nudi hominis, ut opinor, fluvii. Supra est amphora, e qua prodeunt gemini arborum rami.

Quinctum Numisma possidet Alexander Bertacchinius in suo Museo. In antica cernitur effigies Leonelli, ac eadem inscriptio, quam in præcedenti vidimus, additis tantùm supra caput hisce literis GE. R AR. In postica Leo, & ante eum Cupido, seu Genius alatus. Additur OPVS. PISANI. PICTORIS. Et in columna, ubi navis cernitur, inscriptus est Annus Christi MCCCCXLIV.

Sextum in Museo Estensi conspicitur. Ibi effigies Borsii Estensis antea memorati, optimi sane Principis, cum hac epigraphe: BORSIVS.... MARCHIO.... ESTENSIS.... DOMINVS. Reliquas, utpote & in postica, attritas literas legere nequivi.

Septimum adservatur quoque in eodem Museo. Ad laudatum Borsium spectat, postquam is renuntiatus fuit Dux. Ibi visitur ejus protome cum inscriptione: BORSIVS. DVX. MVTINE. ET. REGII MARCHIO. ESTENSIS. RODIGII. COMES. ETC. In aversa parte Mons. Supra Globus, nescio Solaris ne, an Lunaris, radios in montem diffundens. In limbo legitur: OPVS IACOBVS LIXIGNOLO MCCCCLX.

Octavum conspexi in Museo Bertacchinio. Parem ferme effigiem & Inscriptionem exhibet. In postica Mons, in cujus gremio Arca cum Crucibus insculptis, tumuli faciem nescio an præ se ferat. Supra Sol radios diffundens cum literis OPVS PETRECINI DE FLORETIA MCCCCLX.

Nonum in Museo Estensi, Alphonsum I. ostendit, adhuc infantem, & postea Ducem Ferrariæ, Mutinæ, Regii &c. Principem inclytum. Is Anno MCCCCLXXVI. ex Hercule I. Duce, & Eleonora Aragonensi natus. Visitur heic ejus effigies cum literis ALFONSVS MARCHIO ESTENSIS. Postica habet Herculem in cunabulis serpentes manu tenentem & jugulantem. Infra legitur MCCCCLXXVII. Supra characteres Græci tam rudi formâ delineati, ut in iis intelligendis atque interpretandis tempus terere noluerim.

FIRMUM.

Firmanæ Urbi (teste Odorico Raynaldo in Annalib. Ecclesiasticis) Honorius Tertius Papa Monetæ jus est elargitus hisce Literis, quas quia breves referre non pigebit. *Honorius &c. Universitatis vestræ devotis precibus inclinati, habendi proprium cuneum ad cudendam Mu-*

Digitized by Google

Tab. LII.








FIR-








Digitized by Google

VI



VII



VIII



Digitized by Google

Monetam, citra valorem Imperialium, liberam vobis auctoritate præsentium concedimus facultatem. Datum Laterani VII. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno V. Hoc est Anno Christi MCCXX. Et quidem supra in Pontificiis Nummis Trigesimum quartum Firmi percussum vidimus a Bonifacio IX. Papa, sive a Firmanis cusum in honorem illius Pontificis.

Antiquiorem nunc profero, argenteum videlicet, a supra memorato Abbate Joachino Jurisconsulto Forosempronienſi adservatum, ubi visuntur Claves Pontificiæ cum epigraphe M. PAPA. QVARTVS. In aversa VB. ideſt *Urbs*, FIRMANA. Nummus percussus circiter Annum Christi MCCLXXXII. sedente in Romana Cathedra Martino IV.

Ad hæc in Museo Chiappinio argenteus Nummus visitur, in cujus antica parte hæc epigraphe legitur D. L. DE MELIORATIS. In postica VB. hoc est *Urbs*, FIRMANA. Scilicet heic memoratur *Dominus Ludovicus de Melioratis*, nepos Innocentii VII. Papæ; is nimirum, qui Anno Christi MCCCCV. contrucidatis iniquissime decem Romani Populi primoribus, funestis Urbis motibus, ac fugæ patrui Pontificis caussam dedit. Is autem turbulentis illis temporibus, concedente Papa, dominationem Civitatis Firmanæ arripuit.

Tertium Nummum argenteum adtexo, quem Romæ possidet doctissimus Abbas Franciscus Valesius. Spectare illum video ad Firmanam Civitatem, quum in postica legatur VB (ideſt *Urbs*) FIRMANA. At quinam Dominus Urbis in antica designetur, alii felicius indicabunt. Literæ CO ..... VICECOMES, cum insigni Anguis, fortasse designant *Comitem Franciscum Sfortiam Vicecomitem*, hoc est inclytum illum virum, qui postea Dux Mediolani renuntiatus est.

Quartum argenteum Nummum suppeditavit mihi prælaudatus Johannes Baptista Bianconus Bononiensis. Ibi has literas habes: EVG. PP. QVARTVS: ideſt *Eugenius Papa Quartus*. Habes & Claves insigne Romanæ Ecclesiæ. In altera facie eædem Claves cum literis VB. FIRMANA. Pontificiam Cathedram conscendit Eugenius Quartus Anno Christi MCCCCXXXI. Romæ quoque in Museo egregii Equitis Franciſci Victorii, similis Nummus adservatur cum epigraphe M. (hoc est *Martinus*) PAPA QVINTVS.

Quinctus Nummus, Mutinæ exsistens in Museo Bertacchinio, effigiem Episcopi exhibet cum literis S. SAVINVS. Monasterium *Sancti Savini* olim in agro Firmano insigne fuit. In postica scutum visitur, sed insignibus obliteratis. Supra legitur VRBIS FIRMI.

Sextus in eodem Bertacchinio Museo, habet in limbo hanc epigraphen: SANTVS. SAVIN, & in area VS. Adsunt etiam duæ literæ conjunctæ, me tamen minime discernente, an PR. ideſt *Protector*. Certe Sanctus ille Martyr olim fuerit Firmanæ Civitatis Patronus, quo tempore nuper memoratum Monasterium vigebat. An adhuc esse pergat, ignotum mihi est. Alterum tamen ejusdem propemodum formæ Nummum in ipso Museo Bertacchinio vidi, ubi literæ illæ DE FIRMO adeo inconditæ sunt, ut nihil aliud exsculpere diu potuerim, nisi BERITO. Verùm *Sancti Savini* nomen memoriæ meæ redditum, ad intelligendum Nummum me tamdem perduxit. Ceterum in alterius illius Nummi areâ VS tantummodo legitur, & crucicula subtus additur.

FLORENTIA.

PAucos e Nummis Florentinis proferam, de quibus multa loquutus est Borghinius in suis Dissertationibus de reb. Florentinis: ubi enim unum conspexeris, reliquos te vidisse puta. Quod certe in singularem Florentinæ Reipublicæ gloriam cedit, eadem prima fuit, quæ *Florenos aureos* percussit: quod Monetæ genus celeberrimum per totam Europam, immo & per Asiam & Africam evasit, ut in Dissertatione sequenti innuam. Dixi, uno typo olim semper usos Florentinos in suis Nummis cudendis. Cœptum postea fuit apponi illic scutulum cum insigni, ut puto, Consanonerii, sive præcipui Magistratus annui, qui Reipublicæ præerat: quare qui Familiarum insignia dignoscere potest, tempus etiam varium percussi Nummi facile intelliget. Ego sex tantùm Nummos heic proferam.

Primus argenteus, Mutinæ exsistens in Museo Bertacchinio, imaginem exhibet Sancti Johannis Baptistæ, Florentinorum patroni, cum epigraphe: S. IOHANNES *Baptista*. In altera Lilium, Florentini Populi insigne, & in limbo FLORENTIA.

Secundum æreum cum argento mixtum possideo ego. Ibi typus idem. Epigraphe S. IOANNES. FLORENTIA.

Tertius argenteus, Mutinæ penes Joseph Mariam Cattaneum adservatus, idem ectypon præfert, sed exiguo scuto addito, in quo distinguere insigne nequivi. Inscriptio hæc erat: S. IOHANNES. B DE FLORENTIA.

Quartus argenteus in Musеis Bertacchinio,

Digitized by Google

& Chiappinio, Insigne in scuto exaratum aperte prodit, nempe fasciam, tribus stellulis conspersam. Ibi Sanctus Johannes Baptista, manu tenens pendentem chartulam cum literis ECCE, subaudi reliqua, nempe *Agnus Dei*. Reliqua præcedentibus similia.

Quinctus argenteus visitur apud honestum Civem Mutinensem Johannem Carnevalium. Ibi Sanctus Johannes Baptista sedens in cathedrâ, sinistrâ hastam Crucigeram tenens, & dexterâ Insigne, in quo Crux. Circumducitur Inscriptio hæc: SANCTVS. IOHANNES. BAPTHISTA. PR. ideſt *Protector*. In aversa Lilium florens, & in circuitu hic versiculus:

DET. TIBI. FLORERE. XPS. (*Christus*)
FLORENTIA. VERE.

Sextum aureum adservat Museum Bertacchinium. Præ aliis Nummis is est antiquus. Baptistam pelliceâ veste contectum exhibet, cum literis in limbo: S. IOHANNES B. In posticâ visitur Lilium, & epigraphe FLORENTIA. Æquale est hujus Nummi pondus cum aureis nummis Liliatis, qui nunc Florentiæ cuduntur. In notitiâ Urbium MStâ, quam Pignorius olim laudabat in Notis ad Historiam Mussati, hæc scripta sunt: *Civitas ista cudit Monetam, cum qua fere Mundus omnis tunditur, immo per illam peccata hodie fiunt mirabilia* &c. *Hodie Civitas ipsa aureis, quos fabricat, ab ipsa Florentia nominatis* FLORENIS, *majora longe, quàm clava Herculis, domat, & dominatur in Orbe*. Guilielmus Ventura Cap. 46. Chronici Astensis Tom. XI. Rer. Italicar. auctor est, Raymundum de Terzago Capitaneum Populi Astensis corruptum fuisse *ex multa quantitate terræ rubeæ Florentinæ*. Hoc nomine designati *Floreni* aurei Florentiæ percussi. Sed quoniam de *Florenis* plenam Dissertationem sperare nos facit Cl. V. Franciscus Victorius Sancti Stephani Eques, cui copiosa est illorum supellex in suo Romano Museo, plura ego non addo. Lectori tamen rem gratam facturum me reor, si Tabulam Nummariam, prolusionis loco ab eo jam editam, infra huc inferam, ut ejus Operis argumentum mature in conspectu habeatur, additâ etiam explicatione Tabulæ ipsius, qualis ex Typographia Romana Antonii de Rubeis prodiit Anno Chr. MDCCXXXVI.

FORUM-LIVII.

UTi me per literas monuit Comes Fabricius Antonius Monsignanus, Patricius Forolivienſis, inter Eruditos ex Libris editis notus, Populus Forolivienſis a Friderico II. Augusto privilegium Monetæ impetravit. Paria memoriæ prodibit Bonobius Lib. X. Histor. Forolivienſis. Nullos tamen ejusdem Urbis veteres Nummos hactenus videre mihi datum est. Unum dumtaxat Numisma proferam, ab eodem Comite Monsignano ad me missum. Ibi effigies Francisci Ordelaphi Forolivienſium Principis, quem *Cecco* appellabant, e corrupto *Francisci* nomine. In limbo hæ literæ Ciccus III. ORDELAPHVS FORLIVIY P. P. ET PRINCEPS. In area V (fortassis pro *Vivat*) & MCCCCVII. In postica effigies Curtii Romani, equo insidentis, & in voraginem semet pro patria conjicientis, cum epigraphe, sive versiculo:

SIC MEA VITALI PATRIA EST MIHI CARIOR AVRA.


Sub equo hæ literæ adduntur IO. EP. PAPITIVS. Hic Numismatis auctor videtur. Si quis contendat, designari *Johannem Episcopum* Forolivienſem, qui eodem Anno Christi MCCCCVII. eam Cathedram tenebat, per me licebit, dum explicet, quid sit illud *Papitius*. Ceterum erit Forolivienſium Eruditorum perspicere, quare *Ciccus de Ordelaphis*, quem ipsi filium *Antonii* Principis Forolivienſis, & *Catharinæ Rangoniæ* Mutinensis, Anno MCCCCXXXV. natum norunt, *Tertius* ab iis appelletur, quum in isto Numismate nobis occurrat *Ciccus Tertius* Fori-Livii *Princeps* Anno MCCCCVII.

Exsistunt etiam in eâdem Urbe Nummi ab *Octaviano Riario Comite*, atque a *Catharina Sforcia Vicecomite*, ibidem dominantibus percussi, declinante Sæculo Christi Quinctodecimo; in quorum postica effigies *Sancti Mercurialis* Patroni visitur cum literis S. MERCVRIALIS FORLivii PROTector.


Expli-

Digitized by Google

F I R M I.



F L O R E N T I Æ.




Tabula

Digitized by Google


Tab. LIV.

Tabula Florenorum, quam antea publici juris fecit æneis Typis Cl. V. Franciſcus Victorius S. Stephani Eques.


I




II




III



IV



V



VI




VII




VIII




IX




X



XI



XII



XIII.

Digitized by Google



NUMISMA, SIVE TOREUMA FRANCISCI III. ORDELAPHI FOROLIVIENSIUM PRINCIPIS.




GE-

Digitized by Google


Tab. LVI.

GENUÆ.


I




II




III



IV




V



COMITUM LAVANIÆ.

I



II



III



Digitized by Google

Explicatio ſequentis Tabulæ, de Florenis.

Tabulæ Nummus prior in ordine Florenum aureum profert, primo Florentiæ cuſum, qui picturæ redivivæ primordia a Græcis in Italiam advecta ævo inferiori, & veterum Florentinorum Procerum magnificentiam probe memorat.

Secundus & Tertius Floreni aurei ſunt, quos Johannes XXII. ſummus Pontifex ad imitationem Monetæ Florentinæ cudere aggreſſus eſt, demonſtratque Auctor hujus Operis coævi Hiſtoricis, indicioque Regni Pontificii duobus tantùm, non tribus circulis, ſive coronis conſpicui.

Quartum a Florentinis percuſſum fuiſſe autumat occaſione inſignis victoriæ adversùs Piſanos relatæ Anno MCCLVI. & adfirmare nititur ſymbolo Latinæ Crucis, prope Græcam alteram Crucem, a qua Epigraphe ducta eſt circa ſtantem imaginem, & vitio ſimiliter ſcalptoris improbe feſtinantis, qui dexterâ manu ſanctum Præcurſorem Johannem Baptiſtam effinxit haſtam crucigeram ſuſtinentem, ſiniſtrâ verò nimis abſurde benedicentis in morem.

Aurei Floreni Quintus & Sextus cuſi fuere a Carolo Humberto, filioque Ludovico Regibus Hungariæ, indicioque eſt præ ceteris Regni Corona, quæ ſpectatur in utroque Nummo.

Septimus Humberto II. Delphinati tribuendus eſt, qui ultimus Turrianæ Du-Pin *ſtirpis exſtitit.*

Octavus, & Nonus Gerlaco Maguntino Archiepiſcopo adſcribendi ſunt, pro ut indicant inſcriptæ per gyrum literæ atque inſignia.

Decimus Arelatenſi Archiepiſcopo, Guillelmo nempe de la Garde *adſignandus eſt.*

Duodecimus tamdem, recentiorem formam redolens, Roberto Bavaro tribuendus eſt, qui Rheni Palatinus fuit, filius Roberti Adolphi. Iſtique ſunt Floreni ad normam monetæ aureæ Reipublicæ Florentinæ cuſi, qui modò Romæ ſervantur in Muſeo Victorio.

Numero Decimo tertio relatus eſt Ducatus Aureus Romanus, quem idem Auctor vetuſtiorem exiſtimat Aureo Ducatu a Veneta Republica excuſo.

Nummus Decimus quartus, Stemmate & inſcriptione faciente fidem, Johanni XXIII. Papæ competit, qui ſponte poſt quinquennium dignitatem Pontificalem exuit, dimiſitque in Concilio Conſtantienſi.

Decimus quintus Scutum aureum exſtat Sixti IV. Pontificis, quod ſymbolo Naviculæ ac Petri Piſcatoris percuſſum primo fuit, eodem Petri naviculam gubernante. Poſtremas haſce Monetas refert tabula. Florenus enim quandoque pro temporum diverſitate ac viciſſitudine, Ducatus & Scutum ſimiliter nuncupatas advertitur apud pleroſque, temere potius & inſcite, ut aſſolet, quàm verè & proprie. Etenim pondus alterius ab altero valde diſcrepat. Sed plura de his: plura de Sancto Johanne: plura de Lilio: de Regno Pontificio; de Ortographia Nummorum: de Signis, atque Inſignii gentiliciis, hiſtorice, graphice, & luculenter, quæ ad eruditionem ſpectant quaquaverſum, fuſius in Illuſtrationibus omnia, ubi de Floreni aurei pretio etiam tractatur ordine chronologico, pluraque referuntur documenta, quibus aperte veritas comprobetur:

GENUA.

CAffarus, Auctor ſynchronus, in Annalib. Genuenſib. Tom. VI. pag. 160. Rerum Italicar. hæc habet: *In iſto Conſulatu Moneta data fuit Januenſibus a Conrado Theutonico Rege; & privilegia inde facta, & ſigillo aureo ſigillata Cancellarius Regis Januam duxit, & Conſulibus dedit Anno* (Chriſti) *MCXXXIX.* Adtexo verba Triſtani Calchi in Hiſtor. Mediolanenſ. Lib. 7. *Conradus II.* (ſcilicet Germaniæ ac Italiæ Rex) *Genuenſibus facultatem cudendæ Monetæ primus conceſſit, ex quo illius memoriæ hoc grata poſteritas inſtituit, ut nomen Conradi Romanorum Regis alteri Nummorum parti ſemper inſcripſerint.* Et profectò ad mea ferme tempora idem a Genuenſibus obſervatum vidi. Hiſce verò poſtremis temporibus abrogata eſt ab iis, qua de cauſsâ ignoro, vetuſtiſſima ejuſmodi conſuetudo. Auguſtinus Juſtinianus in Annalib. Genuenſib. auctor quoque eſt, Conradi II. nomen in patriæ ſuæ Nummis inſcriptum fuiſſe, & in averſa *formam Arcis, ſive Caſtri cum tribus turribus.*

Tres Genuenſium Nummos veteres ex ſuo Muſeo mihi ſuppeditavit Reverendiſs. Abbas Chiappinius. Inter quos Primus aureus Crucem præfert cum epigraphe CONRADV: REX. In poſtica DVX. IANVE.

Secundus argenteus, cujus pars corroſa, hiſce literis ornatus eſt C.....S II. RO. REX. M. In averſa parte DVX GE.....

Tertius argenteus hanc epigraphen exhibet:

CON-

Digitized by Google

CONRADVS. REX. R. Visitur in altera facie inscriptio: DVX IANVENSIVM PRIMVS. Anno Christi MCCCXXXIX. *Simon Buccanigra* electus fuit primus Genuensium Dux. Itaque Anno illo, aut proxime sequentibus percussum fuisse Nummum intelligis.

Quartus aureus, exsistens apud Tajasaccos honestos Cives Burgi Sancti Domnini, egregios Nummariæ rei venatores, in antica præfert has literas: CONRADV: REX: ROMANORVM. In postica species Portæ sive Arcis turritæ cum epigraphe DVX: IANVENSIVM: QVARTV: scilicet aut *Johannes Vicecomes* Archiepiscopus & Dominus Mediolani, aut potius, ut reor, idem *Simon Buccanigra*, qui Anno Christi MCCCLXI. iterum Genuæ Dux renuntiatus fuit.

Quinctus apud Molinetum visitur, Genuæ cusus, quo tempote Ludovico XII. Francorum Regi se Populus ille tradidit, hoc est, Anno Christi MCCCCXCIX. Ne tunc quidem *Conradum* obliti sunt Genuenses, ut ex ejusdem Nummi ectypo apparebit, quum in ejus antica legatur CONRAD REX ROMANOR. ET B. I. fortasse *Benefactor Januæ*, vel *Januensium*. In postica LVDOVICVS REX FRANC. IAN. D. idest *Januæ Dux*. Est & mihi argenteus Nummulus Genuensium; sed quia exesæ sunt literæ in altera facie, ubi tantùm legitur DVX IANVÆ, ab eo edendo abstineo. Neque ibi de est CHONRADVS REX RO*manorum*.

LAVANIÆ COMITES.

FLiscorum (*Fieschi*) Genuensium nobilis prosapia, quæ nulli Italicarum antiquitate & splendore concedit, utpote quæ Sæculo Christi Decimotertio duos Ecclesiæ Romanæ Pontifices dedit, aliosque insignes viros semper peperit, a nonnullis Sæculis Comitatum Lavaniæ tenuit, aliisque compluribus locis dominata est. Nummum æreum Mutinæ possidet alibi laudatus Alderanus Narius. Ibi scutum, sed nullo insignium vestigio exaratum. In limbo legitur MONETA. FELISC. In postica Crux, & epigraphe SANCTVS. TEONETVS. MART. Ad Fliscos Lavaniæ Comites pertinere hunc Nummum censui, non uno tamen errore vitiatum, quum *Feliscorum* pro *Fliscorum*, & *Teonetus* pro *Teonestus*, seu potiùs *Theonestus* ibi occurrat.

Nummi duo a schedis Blanchinianis, Veronæ in Museo Muselliano adservatis, depromti, certum me fecere, de *Fliscorum* nobili gente in superiori Nummo agi. In primo effigies viri, in altero Aquila cernitur, cum literis PETRVS. LVCAS. FLISCVS. LAVANIE. CO*mes* &c. In utriusque postica effigies Martyris, cum epigraphe S. TEONESTVS. MARTIR. ✠.

Denique in Museo eruditissimi Equitis Francisci Victorii Romæ existit Nummus cum inscriptione LVDOVIC*us* FLISC*us* LAVANIE &c. DO*minus*. Et in aversa parte S. THEONEST*us*. MARTIR. ✠.

MACERATA.

SUpra vidimus inter Pontificios Nummos Trigesimum tertium *Maceratæ* percussum in honorem Bonifacii IX. Summi Pontificis. Patavii in Museo nobilis viri Comitis Johannis de Lazara conspicitur Nummus Maceratensis Urbis. Hæc ibi inscriptio: SANTVS IVLIANVS, patronus videlicet Civitatis. In altera parte DE MACERATA.

Alterum Nummum argenteum ejusdem Urbis adservat Bononiæ prælaudatus Johannes Baptista Bianconus, Mascarellæ Prior. Ibi effigies Sancti viri, sinistrâ ensem nudum, dextera baculum tenentis, cum literis S. IVLIANVS. In altera facie Crux in area, & circum epigraphe DE MACERATA.

MALATESTÆ.

DOminicus Vandellius, publicus in Mutinensi Universitate Mathematices Professor, mihi toreuma, sive Numisma æreum primæ magnitudinis obtulit, in quo effigies Principis visitur cum epigraphe SIGISMONDVS P. D. (ideſt *Pandolfus De*) MALATESTIS. S. R. E. C. (hoc est *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Capitaneus*) GENERALIS. In postica Lemniscus, seu pannus extensus (Gallice *Lambequin*) continens Monogramma cum literis SI. nempe *Sigismundus*. Superstat cassis ferrea, quam corona radiata ornat, caput elefantis in summitate præferens. Infra legitur MCCCCXLVI.

Alterum Numisma, sive toreuma, adservatur Mutinæ ab honesto Cive Bernardino de Abbatibus. Ejusdem Sigismundi protome conspicitur cum epigraphe SIGISMVNDVS PANDVLFVS MALATESTA. PAN. F. scilicet *Pandulfi filius*. In postica imago Castelli turriti, addita Inscriptione: CASTELLVM. SISMVNDVM. ARIMINENSE. M.CCCCXLVI. subaudi *Anno*, ut in præcedenti toreumate.

Ter-

Digitized by Google

MACERATÆ.

I. II.



MALATESTARUM.


1



II



III





MAN-

Digitized by Google

Tab. LVIII.


MANTUÆ.


















MARCHIONUM MONTISFERRATI.









MU-

Digitized by Google

Tertium Numiſma addere liceat mihi, quod Mutinæ apud Bartholomæum Solianum, inter Typographos commendatiſſimum, adſervatur. In antica imago mulieris cernitur cum literis circumſtantibus *Dominæ* ISOTTAE ARIMINENSI. In poſtica Liber, ni fallor, quatuor fibulis clauſus. Circumſtant literæ ELEGIA. Celebris ætate ſuâ fuit *Iſotta* hæc Ariminenſis, atque ob ingenii & corporis dotes ſupra ceteras mulieres Sigiſmundo prælaudato placuit. Sunt, qui ſacro connubio illi junctam tradunt. Alii concubinam tantummodo potiori jure appellant. Quod certum eſt, DIVA ISOTTA nuncupata fuit in Sepulcro, quod ei in Sancti Franciſci Templo idem Sigiſmundus poſuiſſe dicitur, quum tamen Scriptores habeam tradentes, Iſottam ſuperſtitem Sigiſmundo fuiſſe. Supra vide Nummos Arimini cuſos.

MANTUA.

NUmquam excogitaſſem, celebrem *Urbem Mantuanam* ante Annum Epochæ Vulgaris Milleſimum, jure Monetæ fuiſſe donatam, niſi ante oculos haberem Diploma Ottonis III. Auguſti, in quo ejuſdem juris fit mentio. Servavit nobis Chartam Peregrinus Priſcianus Ferrarienſis, qui Anno Chriſti MCCCCXC. florebat, vir doctiſſimus, in ſuis Collectaneis MStis, nunc inter Eſtenſis Bibliothecæ Codices exiſtentibus. Si unam excipias Monetæ mentionem, nihil in Diplomate occurrit mihi, quod de ejus fide ſuſpicionem pariat: quare evulgandum heic cenſui.

Diploma Ottonis III. Imperatoris, quo confirmantur Eccleſiæ Mantuanæ omnia illius jura & Privilegia, Anno Chriſti 997.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto *divina favente clementia* Romanorum Imperator Auguſtus. *Si in ſacratis omnipotenti Deo locis a quibuslibet deſolatis, recuperationis augmentum pio favore largimur, id nobis & ad Regni noſtri ſtabilimentum, atque ad æternæ remunerationis emolumentum credimus abſque dubio profuturum. Quapropter omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque, præſentium ſcilicet ac futurorum noverit induſtria, quod* Sophia noſtra *dilectiſſima Soror, noſtrique fideles* Notkerus, Hildebaldus, *atque* Benno, *venerabiles* Epiſcopi, *noſtræ magnitudini ſignificarunt, quod pro peccatis, Mantuanæ Sedis Eccleſia cum Præceptis & Cartharum firmitatibus, quarum ſcriptionibus res & familias ibi collatas hactenus meruit obtinere, combuſta videatur, flagitans poſtulans, ut ad plenitudinis reſtaurationem hoc noſtræ miſerationis Præceptum* Johanni *venerabili* Epiſcopo *ejuſdem* Mantuanenſis Eccleſiæ *concedere dignaremur. Cujus precibus libenter acquieſcentes, & quoniam dignum eſt, ne res Eccleſiarum Dei a quibuslibet deprædentur, aut ab earum ditione contra legem auferantur, decrevimus ita fieri. Concedentes igitur confirmamus ſupraſcripto Mantuanenſi Epiſcopatui omnes res, quas uſque modo de donis Regum ſeu Imperatorum Prædeceſſorum noſtrorum habuit, videlicet Monaſterium, quod ſitum eſt in honore Sanctorum Probi & Ruffini, ſeu & Memoris, cum omnibus adjacentiis vel pertinentiis ejuſdem, cum Curtibus etiam in Veronenſe, atque Vicentino, nec non in Mutinenſi Comitatibus ſitis, quæ ita nominantur, Baniolum, & in Colonia, & in circuitu Fluminis, quod nominatur Caput Alponis, cum ſervis & ancillis, & cum omnibus ibidem pertinentibus; & omnes alias res, quæ ſunt in prædictis Comitatibus, vel infra noſtrum Italicum Regnum, ſeu ceterorum hominum conceſſionibus, traditionibus, offerſionibus pro ſuarum remediis animarum, cumparationibus quoque, commutationibus libellorum, & quarumcumque legalium Cartarum conſcriptionibus, ſeu emphitheotecariis, vel emphitheoſi, ipſe ſanctus locus obtinuit quocumque modo, cum domibus etiam, ædificiis, Eccleſiis Baptiſmalibus, Decimis, atque Capellis, ſeu Curtibus, manſis etiam veſtitis, atque abſentibus, terris, vineis, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, inſulis, piſcationibus, ſalectis, paludibus, molendinis, aquis, aquarumque decurſibus, arboribus pomiferis, & infructuoſis, montibus, vallibus, planiciebus, ripis, rupinis, ſeu alpibus, omnia omnino in integrum, quæcumque dici vel nominari poſſunt; unde eadem ſancta Mantuanenſis Eccleſia inveſtita fuiſſe dignoſcitur quocumque juſto ordine, vel*

Digitized by Google


qualibet legitima auctoritate, quatenus idem Johannes venerabilis Mantuanenſis Præſul, ejuſque Succeſſores; hæc omnia ad utilitatem ſui Epiſcopii abſque alicujus impedimento & contradictionis moleſtiâ perpetualiter valeant poſſidere. Verùm etiam confirmamus eidem Eccleſiæ omne tholoneum, ripas, & ripaticum, & fixuras pallorum ripæ Mantuanæ Civitatis, & Porti, & Inſulæ Reveris, & Curtem Regalem, & Inſulam, quæ dicitur Sugiara, quæ jacet inter Padum & Jara flumina, cum omnibus integritatibus earum, & cuncta annualia mercata ipſius Comitatus: cujus fines decernunt ambæ ripæ Mincii de Vallegio uſque in Largionem fluvium, & per Largionem ſurſum uſque Jaram, & Oleum, & deorſum uſque Padum, & per Largionem & per Padum ſurſum uſque Cruſtellum, & deorſum uſque Buranam.

Seu Monetam publicam ipſius Mantuanæ Civitatis noſtro Imperiali dono ibi perpetualiter habendam concedimus & ſtabilimus *pro remedio noſtræ animæ, noſtrorumque parentum. De rebus autem, aliiſque poſſeſſionibus tam mobilibus quàm immobilibus jure jam dictæ Mantuanenſis Eccleſiæ conſtituimus, ut nullus, in Regno noſtro conſiſtens, tenere audeat rem aliquam ex ipſis per quamlibet præſcriptionis paginam, neque per libellum, aut emphitheoſim, vel emphitheotecariam quamlibet per quorumdam Pontificum prædeceſſorum hujus Johannis venerabilis Epiſcopi conſtitutiones injuſtas, quas noſtra Regali poteſtate radicitus diſrumpere, & ſine alicujus roboris vigore ſancimus; quià talibus actis ſancta Dei Eccleſia frequenter patitur maximas inopias; ideoque jubemus: ut abſque præfati dilecti noſtri Mantuanenſis Eccleſiæ Johannis venerabilis Epiſcopi, ejuſque Succeſſorum conſenſu, nemo aliquas res jam præfatæ Eccleſiæ tollere, aut tenere præſumat. Et ſi quidem de rebus aut familiis ſanctæ Sedis Eccleſiæ fuerit orta contentio, quam ipſius Eccleſiæ Vicarius Johannes venerabilis Epiſcopus, aut ejus ſucceſſores in ſui præſentia convenienter nequeant diffinire, ſtatuimus, ut ante cujuslibet poteſtatem nullatenus finiatur, niſi in Palatio noſtro coram noſtris Judicibus Palatinis. Concedimus denique pro ampliori ſtabilimento Eccleſiæ eidem Johanni venerabili Epiſcopo, ſuiſque Succeſſoribus Advocatos, quoſcumque aut quales elegerint, tam de ſuis quàm de aliorum hominibus liberis, qui ejuſdem Epiſcopi rerum utilitatem exerceant, abſque cujuſpiam hominis contradictione vel moleſtiâ; ita ut ab omni Reipublicæ functione ſint abſoluti; nil ab eis quiſpiam publicus Miniſter exigere præſumat, ut ſecurius ac diligentius cauſas ipſius Eccleſiæ perficere poſſint. Stabilimus etiam, ut de omnibus rebus ſeu familiis, quæ hactenus qualibet occaſione vel quocumque modo ex ditione ipſius Epiſcopii aut iſtius Johannis venerabilis Epiſcopi poteſtate ſubtractæ fuiſſe noſcuntur, ſicut de noſtris domnicatis rebus, per circum manentes homines inquiſitio fiat, ut omnes res ipſius Sedis in iſtius venerabilis Epiſcopi, ejuſque Succeſſorum redeant poteſtatem: & quatenus rei veritas patefacta perenniter valeat ſuum obtinere vigorem. Præcipiendo quoque jubemus, ut nullus Judiciariæ poteſtatis Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdaſcius, Locopoſitus, aut quilibet publicus Exactor, nec quæcumque perſona uniuſcujuſque ordinis aut dignitatis, parva vel magna, in rebus ipſius Eccleſiæ placitum tenere, neque in domibus ejus, aut Clericorum ſuorum, aliquod manſionaticum poteſtative tollere, neque homines ejus, nec cujuſcumque ordinis Clericos, vel Laicos, liberos, commendatos, libellarios, ac cartulatos, vel ſuper terram ipſius reſidentes, atque ſervos, aut ancillas, aut aldiones utriuſque ſexus, ad Placitum ducere, aut pignorare, aut moleſtare, vel flagellare præſumat; neque de Caſtris ipſius Eccleſiæ Mantuanæ, quorum nomina ſunt Baniolo, Mulinelles, Nubularia, Perarolo, Canedulo, atque Sermede, vel de eorum pertinentiis, aliquo ingenio ſe intromittere audeat, ſed liceat jam dicto Epiſcopo, ſuiſque Succeſſoribus cum omnibus rebus vel familiis ſuis omni tempore ſub tuitionis noſtræ munimine quiete & pacifice, remotâ totius poteſtatis inquietudine permanere; ac pro nobis noſtrique Imperii ſtatu cum diverſo ſuo Clericali ordine, Domini omnipotentis miſericordiam jugiter deprecari. Si quis autem temerarius contra hoc noſtræ conceſſionis, confirmationis, ac tuitionis præceptum quandocumque infringere temptaverit, & quæ ſuperius ſcripta ſunt, per omnia non obſervaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Palatio noſtro, & medietatem jam præfato Johanni venerabili Pontifici, ſuiſque*

Suc-

Digitized by Google

Succeſſoribus. Et ut ab omnibus verius credatur, diligentiuſque ab omnibus obſervetur, manus propriæ inſcriptionis ſigno roboratum Sigilli noſtri impreſſione ſubtus juſſimus ſigillari.



Signum Domni Ottonis invictiſſimi Imperatoris Auguſti.

Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani Epiſcopi & Archicancellarii recognovi.

Data Idibus Octobris Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVII. Anno verò Tertii Ottonis regnantis XIIII. Imperii autem Secundo.

Actum Aquiſgrani in Palatio, feliciter. Amen.

Vidiſti verba illa: *Seu Monetam publicam ipſius Mantuanæ Civitatis noſtro Imperiali dono ibi perpetualiter habendam concedimus*, quæ etiam innuere videntur, non tunc cœptum, ſed jam antea invectum fuiſſe ejuſmodi jus; quod ſane, ut repetam, tamen mihi & peregrinum viſum fuit. Nullus tamen ex vetuſtis Nummis Mantuæ cuſis hactenus ſe mihi obtulit; nam quos proferam ad longe poſteriora tempora ſpectare puto.

Primum Nummum argenteum adſervo ego; ſimilemque adſervat Placentiæ in ſuo Muſeo amiciſſimus Abbas Chiappinius. In area conſpicitur Aquila expanſis alis, & in limbo legitur VIRGILIVS. Scilicet, quod norunt omnes, laus rara ac invidenda eſt Civitatis illius, admirandum Poëtam Vergilium peperiſſe: quare hoc decus Cives tum in ſuis Nummis repetitum voluere, tum in Statuâ ei poſitâ, quam a Carolo Malateſta dejectam Vergerius aculeatâ Oratione doluit, Tomo XVI. pag. 215. Rerum Italicarum. In averſa parte Crux viſitur cum literis in circuitu: DE MANTVA. Parum abſimilem Nummum adſervat Alexander Bertacchinius Mutinenſis in ſuo Muſeo; ſed poſt *Vergilii* nomen, cernitur ibi exiguum ſcutum cum inſigni, cujus veſtigia vix ſuperſunt.

Secundus Nummus in Muſeo Bertacchinio, perquam ſimilis eſt præcedenti.

Tertius argenteus apud eumdem Bertacchinium, Crucem præfert cum epigraphe VIRGILIVS. In altera facie limbus habet MANTVE. In area tres literæ E. S. R. quas explicare non audeo. *Enricus Rex* ſuſpicari aliquis poſſit dum certiora indicent alii.

Quartus e ſchedis Cl. V. Franciſci Blanchinii, Veronæ in Muſeo Muſelliano adſervatis, depromtus, Vergilium exhibet in cathedra ſedentem, cum inſcriptione: VIRGILIVS. MANTVE. In poſtica imago Apoſtolorum Principis, & cujuſdam Epiſcopi. Circumſtant literæ S. PETR*us* EPS. ideſt *Epiſcopus*.

Quinctus in Muſeo Bertacchinio exhibet in ſcuto inſignia vetera nobiliſſimæ Familiæ de Gonzaga; quæ quantum differant ab ætate noſtrâ adhibitis, facile quiſque intelliget. In limbo hæc inſcriptio: LO. D. (nempe *Lodovicus de*) GONZAGA. Is Anno Chriſti M. CCCLXV. inſtitutus fuit Vicarius Imperialis Mantuæ a Carolo IV. Auguſto. In poſtica caput ipſius Ludovici viſitur cum epigraphe V. D. (hoc eſt *Vicarius de*) MANTVA.

Sextum argenteum vidi Mutinæ apud ſæpe memoratum Dominicum Vandellium. Pars nominis in limbo, reliquum in area legitur, ſcilicet FRAN. CIS. CHVS. ideſt *Franciſcus de Gonzaga*, ille, ſi recte conjicio, qui Mantuæ Anno Chriſti MCCCLXXXII. dominari cœpit, & ex virtute bellica magnum ſibi nomen comparavit. Aliquid antiquitatis præferre hujus Nummi forma mihi videtur, ita ut tribuere ipſum non audeam alteri Franciſco juniori, cujus Nummos evulgatum eo. Fortaſſis V. D. in area poſita fuere pro *Vicarius De*. In altera facie MANTVA legitur cum Scutulo complectente inſignia.

Septimus æreus, Mutinæ apud Bartholomeum Solianum Typographum mihi inſpectus, caput Principis offert cum literis FRANCIS. CVS. MR. (ideſt *Marchio*) MANTVE IIII. Is Anno Chriſti MCCCCLXXXIV. Friderico patri in dominatione Mantuæ ſucceſſit. In poſtica viſitur vas, in quo aurum probatur

(*Cro-*

Digitized by Google

(*Crociuolo* Italice appellant Aurifices) flammis circumdatum , cum tribus laminis aureis, aut argenteis ex eo prodeuntibus . Hæc ibi epigraphe: D. PROBASTI ME ET COGNO. M. Sunt verba Pſalmi 138. *Domine probaſti me , & cognoviſti me* : quibus fortaſſe alludit ad ea tempora , quibus a Venetis ob ſuſpicionem corruptæ fidei , cuſtodiæ fuit traditus , ex qua ad preces Selimi Turcarum Imperatoris vix tamdem evaſit .

Octavus in Muſeo Bertacchinio , & apud prælaudatum Solianum , Franciſci ejuſdem Marchionis vultum præfert , & in poſtica pixidem ſacram , cum epigraphe SANGVINIS XPI IESV , qui Mantuæ a pluribus Sæculis in ſumma veneratione eſt .

MONTISFERRATI MARCHIONES.

NUlla mihi dubitatio eſt , quin veterum *Marchionum Montisferrati* celeberrima progenies multos vel ab antiquo tempore Nummos percuſſerit . Sed mihi quatuor tantùm hactenus videre contigit . Scilicet primum, Placentiæ in Muſeo Chiappinio, in quo inſigne cernitur Marchionis cum literis GVIL. MA. MO. FE. hoc eſt , *Guillelmus Marchio Montisferrati*, is, ut opinor , qui Anno Chriſti MCCCCLX. Montisferrati Marchæ dominabatur . In poſtica viſitur miles lanceâ invectus in anguem tricipitem cum epigraphe S. TEODORVS. CVSTOS.

Secundum Nummum adſervat Mutinæ Alexander Bertacchinius ; atque is ad eumdem Principem ſpectare videtur . Ibi ejus effigies cum inſcriptione GVLIELMVS MAR*chio* MONT*is* FER*rati* &c. Altera facies exhibet ejus inſignia cum literis in circuitu : SACRI. RO*mani*. IMP*erii*. PRIN*ceps*. VICA*rius*. PP. nempe *Perpetuus* .

Tertium e Muſeo Muſelliano Veronenſi profero . Ibi literæ GV. MAR. MON. FER. PRINC. VICA. SACRI RO. IMP. ideſt *Gulielmus Marchio Montis Ferrati Princeps Vicarius Sacri Romani Imperii* .

Quartus Bononiæ viſitur apud præſtantiſſimum virum Marchionem Johannem Paulum de Pepulis. Ibi hæc epigraphe: BONIFACIVS. MAR*chio*. MONTIS. FERRA*ti*. PRINC*eps*. VICARIVS. P*er*P*etuus*, SACRI. RO*mani*. IMP*erii* . Complures Bonifacios Montisferratenſi Marchæ dominatos fuiſſe , ex Hiſtoriis novimus . Quis ex iis heic indicetur , decernendum peritioribus relinquo .

Romæ quoque adſervat præclariſſimus Eques Franciſcus Victorius Nummum cum epigraphe IO. GEORGIVS. M. MONTIS. FERRATI. IMPERATO. VICARIVS.

MUTINA.

QUo tempore Mutinenſis Reſpublica frui cœperit jure ſignandi pecuniam , perſcrutabar ego ; ſed nihil hactenus occurrit mihi, unde agnoſcerem ſub Friderico I. Auguſto hanc ei prærogativam fuiſſe collatam . Immo , ſi fides Annalibus vetuſtis Mutinenſibus , editis Tomo XI. Rer. Italicarum , Anno tantùm MCCXLII. *Primò cœptum fuit cudere Nummos in Civitate Mutinæ* . Et revera tabulæ ſe mihi obtulerunt , teſtantes , a Friderico II. Imperatore Anno Chriſti MCCXXVI. ejuſmodi facultatem ſive confirmatam , ſive primùm fuiſſe conceſſam Mutinenſi Populo , uti conſtabit ex illius Diplomate, quod ex Regeſto vetuſtiſſimo Reipublicæ ipſius deſcripſi .


Friderici II. Auguſti Diploma, quo Civitati Mutinenſi antiqua jura ac privilegia confirmat, inter quæ jus Monetæ cudendæ, Anno 1226.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis . Fredericus Secundus , *divinâ favente clementiâ* Romanorum Imperator *ſemper Auguſtus* , Hieruſalem & Siciliæ Rex . *Præclara fidelium noſtrorum obſequia , manifeſtis indiciis operum comprobata, tanto debemus libentius munificentiæ noſtræ muneribus prævenire , quanto Celſitudini noſtræ grata exhibentur pariter & accepta . Nolumus enim a mercede repellere illos a quibus beneficia recepimus gratioſa , nec benemeritos ſine condignæ retributionis viciſſitudine præterire . Univerſis igitur Imperii noſtri fidelibus tam præſentibus quàm futuris volumus eſſe notum , quod nos diligentius attendentes fidem puram & devotionem ſinceram , quam* Commune Civitatis Mutinæ, *fideles noſtri erga Prædeceſſores , & maxime progenitores noſtros Romanorum Imperatores memoriæ recolendæ , nec non et celſitudinem noſtram , ſemper habuiſſe noſcuntur : diligentius etiam attendentes fidelia*

Digitized by Google

lia ſatis & grata ſervitia, quæ nobis & Imperio ſemper exhibuerunt, & quæ in antea de bono in melius poterunt exhibere: de innata culmini noſtro clementia, qua fideles noſtros & benemeritos digne ſemper conſuevimus prævenire, Homines ejusdem Civitatis, undecumque per partes Imperii tranſeuntes, & venientes ad Civitatem eamdem cum perſonis & rebus eorum omnibus, ſub protectione noſtræ majeſtatis recipientes, concedimus & confirmamus ejuſdem Civitatis Communi, & heredibus ac eorum ſucceſſoribus in perpetuum omnia Privilegia & conceſſiones factas eis a prædeceſſoribus noſtris Romanorum Imperatoribus ſeu Regibus, & omnes bonos uſus & conſuetudines tam in Civitate quàm extra, in diſtrictu & Comitatu ejusdem, quibus eorumdem prædeceſſorum noſtrorum temporibus uſi fuiſſe noſcuntur. Concedimus autem ipſis jurisdictionem plenam tam in criminalibus quàm in civilibus cauſis in Civitate & extra, in diſtrictu & Comitatu ſuo, & quæ competunt occaſione juriſdictionis ipſius. Derivationes quoque aquarum totius diſtrictus & Comitatus ejuſdem tam fontium quàm fluminum, & publicorum locorum, uſus & utilitatem provenientem ex eis; ac poteſtatem habendi navigium, exercendi & mutandi, uſque mare, & quocumque ire voluerint, eis concedimus & damus. Concedimus inſuper, ut liceat eis flumen Situlæ, Samodiæ, & Scultennæ mutare, & adverterе, & eis aquam ubicumque & undecumque voluerint, derivare. De abundantiori quoque gratia celſitudinis noſtræ concedimus prædictæ Civitatis Communi, ut licitum ſit eis Monetam ſub charactere noſtri nominis, pro voluntate & commodo ſuo cudere, facere, & habere, magnam vel parvam, quæ ubique terrarum noſtri Imperii expendatur & currat, & ei debeant nomen pro ſua imponere voluntate. Ad majorem autem prædictæ Civitatis cautelam ſtatuimus ut abſque contradictionis nota in omnibus Civitatibus & locis Imperii noſtri curſum habeat, & debitum obtineat precii ſui vigorem. *Hæc autem omnia jam dictæ Civitatis Communi ex certa noſtra ſcientia concedimus & donamus. De quibus omnibus inveſtivimus Civitatem eamdem in perſonis fidelium noſtrorum Berardi Rolandi Rubei Parmenſis Poteſtatis ipſius Civitatis Mutinæ, Alberti Papienſis Legum Doctoris, & Bonifacii Ducis de Gonazeto, qui ſuper hoc ad excellentiam noſtram a dictæ Civitatis Communi fuerunt deſtinati. Statuentes, & præſentis Privilegii auctoritate firmiter injungentes, ut nulla omnino perſona parva vel humilis, Eccleſiaſtica vel Secularis, contra hanc conceſſionem & donationem noſtram aliquo tempore venire præſumat, vel ei auſu temerario contraire. Quod qui preſumſerit, indignationem noſtram, & pœnam quingentarum Librarum auri puri ſe noverit incurſurum, quarum medietas Cameræ noſtræ, altera verò paſſis injuriam perſolvantur. Ut autem hæc noſtra conceſſio & donatio rata ſemper & inconvulſa permaneat, præſens Privilegium fieri, & Sigillo majeſtatis noſtræ juſſimus communiri. Hujus autem rei teſtes ſunt* Albertus Magdeburgenſis Archiepiſcopus, Curienſis Epiſcopus, & Abbas Sancti Galli, Cicenſis, Idelſemenſis, Baxilienſis, Jacobus Taurinenſis, Maynardus Imolenſis, Novarienſis, Brixienſis, & Gratia Parmenſis, Epiſcopi: Lanthgravius Turingiæ; & Dux Saxoniæ; Raynaldus Dux Spoleti; Comes G. de Vienna, & *alii quam plures*.

Signum Domini Frederici



Romanorum Imperatoris Secundi, Dei gratiâ invictiſſimi ſemper Auguſti, Hieruſalem & Siciliæ Regis.

Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Ducenteſimo Vigeſimo Sexto Menſe Junii, XIV. Indictione imperante Domino noſtro Frederico II. Dei gratiâ invictiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, Hieruſalem & Siciliæ Rege, Anno Romani Imperii ejus Sexto, Regni Hieruſalem Primo, & Regni Siciliæ Vigeſimo octavo, feliciter. Amen.

Datum apud Burgum Sancti Donini, Anno, Menſe, & Indictione præſcriptis.

Ego Albertus de Saſſis Notarius, hoc exemplum ex authentico, ut in eo vidi & legi, in quo ſic continebatur, ut in hoc exemplo legitur, nil addens vel minuens præter literam per igno-

Digitized by Google

rantiam fortè vel ſyllabam, bonâ fide extraxi & exemplavi, de mandato Domini Petri de Boſtichis Mutinæ Poteſtatis in MCCXLV. Indictione III. Menſe Auguſto, Domino Frederico Imperatore regnante Dei gratiâ Romanorum.

Hujus autem Friderici, ut puto, potius quam Primi, nomen in antiquis Mutinenſium Nummis occurrit. Primus argenteus, quem Placentiæ in ſuo Muſeo adſervat prælaudatus Chiappinius Abbas Canonicor. Regular. Lateranenſ. has literas in limbo præfert. FEDERICVS, & in area I. P. R. T. ideſt *Imperator*. In poſtica D. nempe *De* MVTINA.

Alterum argenteum adſervo ego, adſervat & antiquitatum amantiſſimus Alexander Bertacchinius in ſuo Muſeo. In medio literæ viſuntur F. D. C. ſcilicet *Fredericus*: in limbo IMPERATOR. In averſa parte M. (hoc eſt *Moneta*) DE MVTINA.

Tertium argenteum vidi apud nepotem meum Franciſcum de Solis, tum etiam apud prælaudatum Johannem Paulum Marchionem de Pepulis Bononienſem. Ibi in antica AZO MARCHIO, & Aquila parva, Eſtenſium inſigne, in ſummitate Nummi conſpicitur. Poſtica eaſdem, ac ſuperior, literas habet, hoc eſt M. *Moneta*, DE MVTINA. Anno Chriſti MCCXCIII. *Azo VIII. Marchio Eſtenſis* Obizzoni patri in dominatione *Mutinæ*, ſimulque Ferrariæ, Regii, Comacli, Rhodigii, &c. ſucceſſit.

Quartus Nummus æreus, Mutinæ apud præclariſſimum juvenem Bonifacium Marchionem Rangonium a me viſus, effigiem exhibet Epiſcopi Sancti cum epigraphe S. GEMINIA. MVTINAE. EPS. ideſt *Sanctus Geminianus Epiſcopus*, Mutinenſis Urbis patronus. In altera facie ſcutum, in quo Crux, & circum literæ RESPVBLICA MVTINAE.

Quinctum argenteum communicavit mihi, dum vivebat, Angelus Blanchius Mutinenſis. Ibi imaginem vidi Sancti Geminiani, & in altera facie Crucem cum literis COMVNITATIS MVTINE. Quonam tempore percuſſi fuerint poſtremi iſti duo Nummi, ſtatuere non audeo.

NOVARIA.

UNum tantummodo Nummum offendi, *Novarienſi in Urbe* percuſſum, atque in Muſeo Bertacchinio Mutinæ adſervatum. Crux ibi viſitur, & circum literæ NOVARIA. In altera facie tres tantùm literæ in area conſpiciuntur, ſcilicet S. T. C., nam quæ circumſtabant in epigraphe, tempus abſumſit. Novarienſis Hiſtoriæ cultores perſpicient, ad quemnam referendus ſit Nummus. Nihil mihi ſuccurrit, niſi quod Sæculo Chriſti Decimo tertio Paganus Turrianus Novariæ dominatus fuit, atque is Salvinum filium poſt ſe reliquit. Num ergo *Salvinus Turrianus Capitaneus* per eas literas indicatur? Sed hæc mihi plane dubia & obſcura ſunt.

PARMA.

ANno Chriſti MXXXVII. Parmæ verſatus eſt Conradus inter Auguſtos Primus, eoque tempore *Populo Parmenſi* jus Monetæ contuliſſe videtur, quamquam poſtea ſubortâ illic ſeditione Urbem flammis dederit: quod Wippo Hiſtoricus in ejus Vita memoriæ tradidit, neque ſilet Chronici Parmenſis Auctor, a me editi Tom. IX. Rerum Italicarum. Fortaſſis etiam ea Parmenſibus prærogativa collata fuit Anno Chriſti MXXVII. dum Conradus poſt Romanam coronationem Germaniam repeteret. Hac de re dubitare nos non ſinit argenteus Nummus, numero I. quem Mutinæ poſſidet Comes Johannes Baptiſta Scalabrinius; in quo Crux conſpicitur cum epigraphe CONRADVS AVGVS*tus*. In averſa parte typus cujuſdam ædificii turriti cum literis CIVITAS PARMA.

Alterum argenteum poſſident Mutinæ ſupra laudati Cl. V. Dominicus de Conradis, & nepos meus Johannes Franciſcus de Solis, Placentiæ quoque in ſuo Muſeo adſervat Reverendiſs. Chiappinius. Illic in antica legitur FRE. D RI. C. IP. ideſt *Fredericus Imperator*, ut opinor; Primus. In altera parte typus idem Portæ, ſeu ædificii turriti, cum literis PARMA.

Tertius argenteus, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio exſiſtens, in altera facie hanc inſcriptionem offert: FILIPVS, & in area REX. Is eſt Philippus, Friderici I. Auguſti filius, Anno Chriſti MCXCVIII. electus Rex Romanorum, a quo Parmenſes confirmationem Monetæ acceperint. In poſtica legitur P. A. R. M. A.

Quartus in eodem Muſeo exhibet Arietem in area cum literis in limbo: CIVITAS. Poſticam implet Crux, & in circuitu P. A. R. M. A.


Quinctum, mihi conſpectum penes olim Angelum Blanchium Mutinenſem addo. Ibi Crux cum epigraphe F. S. ideſt *Franciſcus Sfortia* VICECOMES, Dux Mediolani, & Dominus

Par-


Digitized by Google

MUTINÆ.

I



III




II




IV



V



NOVARIÆ.



Digitized by Google

Digitized by Google

Parmæ. In averſa parte effigies Epiſcopi Sancti, cum literis in limbo: S. ILARIVS, *Protector* PARME.

Sextum poſſidebat idem Angelus Blanchius. In altera ejus facie vidi imaginem Sancti viri, circum quam hæc erat inſcriptio: SANCTVS. HILARIVS. In altera Crux viſebatur cum literis in circuitu: COMVNITAS. PARMAE. Quo tempore Nummus hic fuerit cuſus, Parmenſium rerum peritioribus decernendum relinquo.

PATAVIUM, & CARRARIENSES.

DUm certum, ſincerumque ſit documentum, quod Sertorius Urſatus Lib. 3. Hiſtor. Patavin. pag. 235. protulit, Anno Chriſti MXLVIII. Patavina nobiliſſima Civitas, immo Bernardus ejus Urbis Epiſcopus, jus ſignandæ pecuniæ eſt adeptus. Quum breve ſit illud Diploma, grave nemini erit, ipſum heic rurſus accipere, ac potiſſimùm quòd in Collectaneis MStis Priſciani Ferrarienſis, ante annos ducentos quadraginta ſcriptum & ego invenerim, atque inde emendatius, quàm apud Urſatum, proferre poſſim.

Henricus, inter Imperatores Secundus, Bernardo Patavino Epiſcopo jus cudendæ pecuniæ elargitur, Anno 1049.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus *divina favente clementia* Romanorum Imperator Auguſtus. *Si ſacris & venerabilibus locis proficua dona concedimus, animæ noſtræ profuturum nullo modo ambigimus. Quapropter omnibus Chriſti, noſtrique fidelibus tam futuris quàm & præſentibus notum fieri volumus, qualiter nos ob interventum noſtri thori Regnique conſortis, ſcilicet* Agnetis Imperatricis Auguſtæ, *nec non ob devotum ſervicium Dei, & petitionem* Bernhardi Patavienſis Epiſcopi licentiam & poteſtatem Monetam faciendi in Civitate Patavienſi, ſecundùm pondus Veronenſis Monetæ, ſibi, ſuæque Eccleſiæ perpetualiter concedimus atque permittimus. *Et ut certior auctoritas hujus noſtræ conceſſionis videatur*, in una ſuperficie Denariorum noſtri nominis & imaginis impreſſionem; in altera verò ejuſdem Civitatis figuram imprimi juſſimus. *Et quoniam ſecundùm Imperialem auctoritatem noſtrorum anteceſſorum Regum vel Imperatorum pro animæ noſtræ remedio Sanctæ Dei Eccleſiæ prælibatum donum conditione ſtabili tradimus; volumus, firmiterque præcipimus, ut nulla major minorve perſona Eccleſiam Dei, ſuumque proviſorem, Bernhardum videlicet Epiſcopum, ejuſque Succeſſores hoc noſtræ benignitatis dono deſtituere atque moleſtare præſumat. Quod ut veriùs credatur ab omnibus, & per ſuccedentis temporis ævum ab omnibus diligentius obſervetur, hoc noſtræ donationis Præceptum manu propria corroborantes, Sigilli noſtri impreſſione inferius juſſimus inſigniri.*

Signum Domni Henrici *Tertii Regis invictiſſimi, Secundi Romanorum Imperatoris Auguſti.*

Herimannus Colonienſis Archiepiſcopus atque Archicancellarius recognovi.

Data XVI. Kalendas Maji, Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Quadrageſimo Nono, Indictione Secunda, Anno Domni Henrici III. Regis, Imperatoris Secundi, ordinationis ejus XX. Regni quidem X. Imperii autem III. in nomine Domini.

Actum Goslariæ feliciter; Amen.

Apud

Digitized by Google

Apud Urſatum præter alia *Indictio XI.* mendoſe ſcripta eſt, & *Betenhardus* pro *Bernhardus*. Quod heic animadvertendum, jus Monetæ Epiſcopo, ejuſque Succeſſoribus conceditur. Id autem peregrinum videri poſſit, quum ad Dominos Urbium id jus pertineat, neque eluceat, Epiſcopos Patavinos ſuæ Civitati umquam fuiſſe dominatos. Præterea ſi Epiſcopo Moneta traditur, cur *Civitatis figura* cum Imperatoris nomine ſignanda in Nummis dicitur, non verò nomen *Sancti Proſdocimi* patroni Patavinæ Civitatis? Si *Civitatis figura*, ergo Reipublicæ, non Epiſcopo, tribuenda eſt dominatio Urbis, a ſupremo tamen jure Imperatoris pendens. Itaque ſubit opinari, Epiſcopum tunc Reipublicæ Patavinæ caput fuiſſe, ac petiiſſe, ut liceret Urbi obſignare pecuniam, & proventus inde percipiendos ad Epiſcopum, ejuſque Eccleſiam ſpectare, aut cum eo actum, uti infra Epiſcopo Regienſi obtigiſſe reperies. Ceterum Patavinos Nummos ſummâ diligentiâ collegit Comes Johannes de Lazara, Patavinus Patricius, eorumque exemplum debeo amantiſſimo mei viro ac doctiſſimo Adamo Pivato Juris utriuſque Doctori, & in eadem Urbe Parocho egregio. Hoſce ſigillatim proferam.

Primus Nummus æreus in Muſeo Lazara, Crucem præfert cum epigraphe CIVITAS. In altera parte PADVA.

Secundus argenteus, Patavii in eodem Muſeo, ac Mutinæ in Muſeo Bertacchinio, & apud Cl. V. Dominicum de Conradis Mathematicum Sereniſſimi Ducis noſtri, Aquilam in antica oſtendit, cum literis circum poſitis PADVA REGIA; & in averſa parte Crux, & literæ in circuitu CIVITAS. Viſitur ſcutulum cum neſcio cujus inſigni.

Tertius argenteus, a Comite Lazara in ſuo Muſeo, & a Johanne Franciſco de Solis nepote meo adſervatus, Crucem inſcriptam habet cum epigraphe CIVIT. PAD. In angulis Crucis leguntur I. A. fortaſſis VA. ut ſint complementum nominis PADVA. In altera parte cernitur imago Sancti Epiſcopi cum literis S. PROSDOCIMVS, Patavinæ Civitatis Patronus.

Quartus æreus inſigne Patavinæ Reipublicæ præfert ſine literis. In averſa parte unum tantummodo P. viſitur, quo ſignificatur *Padua*.

Quinctus æreus apud prælaudatum Comitem. Ibi literæ CIVITAS, & in area A. In altera facie Stella cum literis PADVA.

Atque hactenus Nummi, qui percuſſi videntur ſtante Patavinâ Republicâ. Ibi ſubinde dominati ſunt *Carrarenſes*, e quibus tamen *Franciſcus* duntaxat *Senior*, & *Franciſcus Junior* poſtremus Princeps, Nummos cudiſſe videntur; neque enim ullus a præcedentibus percuſſus hactenus ſeſe mihi obtulit. Currus autem, inſigne Carrarienſium, in iis fere ſemper viſitur. Ad utrum e duobus Franciſcis ii ſpectent, non facile diſcernas.

Sextum ergo Nummum argenteum adſervat in ſuo Muſeo Comes Lazara. Currus in area conſpicitur, cum literis FRANciſcus. DE. CARRAIA. In averſa parte Crux & epigraphe D. I. P. AD. VA. ideſt *Dominus in Padua*.

Septimus argenteus exiſtens in eodem Muſeo, Currum habet cum literis hinc inde R. R. & in limbo FRANCISCI DE CARARIA. In poſtica imago Epiſcopi, & hinc inde B. Z. in circuitu vero S. PROSDOCIMVS.

Octavus anticam ſimilem exhibet, & in poſtica effigiem Epiſcopi cum epigraphe CIVITAS PADVA.

Nonus, Curru Carrarienſis Familiæ inſigni ornatus, hanc inſcriptionem exhibet: F. D. KRARIA PADVE ECETERA, ideſt *Franciſcus de Carraria* (ſupple *Dominus*) *Paduæ &c.* In averſa facie imago Sancti viri, Urbem dextrâ, Vexillum ſiniſtrâ geſtantis, cum literis S. DANIEL MARTIR N Percuſſus videtur hic Nummus poſtquam Franciſcus I. Carrarienſis Tarviſium, & alia Oppida, ſuæ ditioni adjecit.

Decimus æreus in Muſeo Patavino Lazara, & Romæ argenteus apud eruditiſſimum virum Franciſcum Valeſium exſiſtens, Currum præfert, cum circum poſitis literis FRANCISCHVS DE CARARIA. In poſtica imaginem Sphingis oſtendit, habentem hinc inde A. A & in limbo hanc inſcriptionem SEPTIMVS DVS, (hoc eſt *Dominus*) PADVE. Similes alios Nummos cum Sphinge, ſed abſque epigrape, & cum hiſce Siglis tantùm F. F. aut R. R; alioſque cum Curru hinc, & inde Lilio; & alios demum cum Curru hinc, & inde Caſſide vidi. Sed ne Lectori nimis ſim gravis, prætermitto.


Undecimus denique argenteus in Muſeo Lazara, Crucem radiatam exhibet, circum quam hæc inſcriptio: FRANCISCI DE CARARIA. In averſa facie Crux & epigraphe: CIVITAS PADVE.

PERUSIA.


QUinque Peruſinæ Urbis Nummos vidi. Primus æreus, Placentiæ adſervatus in Muſeo Chiappinio, in area unum P. habet, ideſt *Peruſia*;

Digitized by Google

PARMÆ.



PATAVII, ET CARRARIENSIUM.



Digitized by Google

Tab. LXII.

VII



IX



VIII



X




XI




P E R U S I Æ.

I



III




II



IV



V



PI-

Digitized by Google

rusia ; neque enim audeo interpretari *Pecunia*. Circumstant literæ DE PERVSIA . In aversa parte Crux cum epigraphe S. ERCVLANVS, videlicet Perusiæ Protector .

Alter Nummus argenteus, Mutinæ in Museo Bertacchinio exsistens , Cruce insignitus est cum literis DE PERVSIA . In altera facie imago visitur Sancti Episcopi . Circumstat inscriptio S ERCVLANVS .

Tertius Nummus , Romæ in Museo doctissimi viri Francisci Victorii , in antica præfert SANTVS. ERCVLANVS, & in area P. ideſt *Patronus*, seu *Protector*, nisi malis interpretari *Perusia* . In postica visitur Hippogryphus coronatus cum epigraphe AVGVSTA PERVSIA : quæ appellatio desumta est ex antiquis lapidibus .

Quartus Nummus argenteus , Camerini adservatur apud amicum virum Philippum Camerinium Presbyterum Camertis Oratorii. Ibi effigies ejusdem Sancti Viri, cum literis S. ERCVLANVS , & in altera parte legitur in limbo : DE PERVSI. , & in areâ finalis litera A , asteriscis quatuor circumdata .

Quinctus argenteus a Cl. V. Dionysio Andrea Sancassano Medico Scandianensi , ad me missus , iisdem literis signatus est , & a reliquis diversus præfert Gryphum alatum , Perusinorum insigne . In aversa superstant Claves , indicio tunc Perusinos subfuisse dominationi temporali Romani Pontificis . Alios similes Nummos vidi , sed moduli diversi , a quibus exhibendis abstineo, ne superfluis oneri sim Lectori .

P I S Æ.

A Friderico I. Augusto Pisano Populo aut conlatum , aut confirmatum fuisse jus Monetæ , ex eorum Nummis elucere potest, in quibus repetitum video illius Imperatoris nomen . Certe Anno Christi MCLXXV. jam Pisani obsignabant pecuniam . Auctor quippe est Ptolomeus Lucensis Historicus , ad eum Annum in Annal. brevib. Tom. XI. Rerum Italicar. *sententiam fuisse latam per Imperatorem Fredericum contra Pisanos de Moneta non cudenda in ea forma & cuneo , qua & quo Lucenses cudere possent* . Idem confirmatum videas Lib. 3. Annal. Genuens. Caffari Tom. VI. Rer. Italicarum . Ibi de Friderico I. Augusto scribitur : *Pisanis Monetam Lucensem , quam malitiose cudebant , & falsificabant , sub juramento debito interdixit* . Et fortasse ne antiquioribus quidem Sæculis Pisana Civitas Monetæ jure caruit . Nam in Charta Anni Christi DCCLXXXII. quam protuli in Dissertatione I. *de exter. Gentib.* memoratos invenio *Solidos septinientos Lucani & Pisani* . Certum est, ut vidimus , percussam iis temporibus fuisse pecuniam Lucensi in Urbe , ejusque Solidos in commercio & honore fuisse . Cur non & idem Pisanæ indultum ? quando animadvertimus , non Ticini tantùm , sed & Mediolani Monetariam officinam uno tempore fuisse ? Clarissimus autem Vir Don Virginius Valsecchius Monachus Benedictinus , in Accademia Pisana publicus Historiæ Ecclesiasticæ Professor in Epistola edita *de veteribus Pisanæ Civitatis Constitutis* Chartam refert concordiæ initæ inter Pisanos atque Lucenses de negotio Monetæ mutuæ . Scripta hæc fuit Anno Christi MCLXXXI. ibique statuitur , in Lucensi *nomen Lucæ , vel Henrigi signandum esse* ; in ea verò , *quam Pisani fabricare debent , nomen Friderici , seu Curradi , & nomen Pisæ* inscribendum . Quæ indicant , Pisanos acceptum referre jus illud Conrado H. Germaniæ ac Italiæ Regi , & Friderico I. Augusto . Inde verò (quod mirere) apparet , Lucæ tantummodo fuisse officinam illam Monetariam ; ubi etiam Pisani Nummi signabantur : utramque verò Civitatem inter se partitam fuisse emolumentum inde perceptum .

Primus ergo Nummus argenteus adservabatur apud amicum olim meum Hubertum Benvoglientum Patricium Senensem . Ibi Crux visebatur cum literis circum scriptis GLORIOSA PISA. In postica Crux cum literis VIVI VIVIVIVIVI. Sphingem tibi objicio, nisi mecum suspiceris , *Vivat* septies heic esse repetitum . Memineris , in primo , eoque antiquissimo, Lucensis Urbis Nummo supra occurrisse eamdem inscriptionem . Quare & hinc nova vis additur conjecturæ , vel Sæculo Christi Octavo apud Pisanos jus Monetæ fuisse .

Secundum Nummum misit idem Benvoglientus , habentem in area F. ideſt *Fredericus* , & in limbo INPERATOR . Aversa pars inscripta est hisce literis in circuitu CIVITAS , & in area PISA .

Tertii argentei ectypon debeo doctissimo olim amico meo Angelo Poggesio Juris utriusque Doctori Pisano . Aquilam coronatam præfert Nummus cum epigraphe FEDERICVS IMPERATOR. In postica effigies Virginis Mariæ puerum Jesum gestantis in ulnis , cum circumducta epigraphe PROTEGE VIRGO PISAS . Similem adservat Mutinæ Ludovicus Parma honestus Civis , sed aliquâ literarum

Digitized by Google

varietate, videlicet FED. IMPERATOR: & PTEGE VIRGO PISAS.

Quartum argenteum possidet Romæ eruditissimus Abbas Valesius, possideo & ego Mutinæ. Ibi visitur Aquila, & FR. IMPATOR, hoc est *Fredericus Imperator*. In aversa parte imago Virginis in cathedra sedentis, cum epigraphe PISE.

Quinctum argenteum suppeditavit mihi Mutinæ e suo Museo Alexander Bertachinius. Adservatur etiam Romæ in Museo Victorio. Conspicitur ibi Aquila, circum quam legitur FR IMPTOR. In altera parte effigies eadem Mariæ Virginis, cum Græca epigraphe MP. ΘΥ. nempe Μητὴρ Θεὸυ, *Mater Dei*, & infra PISE.

Sextus argenteus adservatus Romæ a prælaudato Valesio, Pisis a Poggesii heredibus, ac Mutinæ a Bertacchinio, exhibet Crucem in antica, cum literis circum exaratis: POPVLI PISANI. In postica visitur imago Virginis cum inscriptione in limbo: PROTEGE VIRGO PISAS. In Nummo Valesiano cernitur ad latus Deiparæ, litera B. cum Cruce superpositâ, fortasse nomen Monetarii indicans, aut Mercatoris, cujus sumtibus Nummi hujusmodi fuere percusi. Subtus conspicitur exiguum Cornu venatorium, insigne, ut arbitror, alicujus Magistratus. Alterum similem possidet Johannes Baptista Sedinarius Civis Mutinensis, sed literis aliâ formâ dispositis.

Septimum mihi suppeditavit Poggesius. Ibi eædem imagines, cum inscriptionibus in antica PISANI COMMVNIS. In aversa verò PROTEGE VIRGO PISAS.

Octavum argenteum possident Romæ Valesius, Mutinæ Ludovicus Parma, Pisis verò possidebat olim Poggesius. In area visitur Insigne Regum Francorum cum literis KL. ideſt *Karolus*. In limbo KAROLVS: REX: PISANORVM: LIB. scilicet *Liberator*. Is est *Carolus VIII.* Rex Franciæ, qui Anno Christi MCCCCXCIV. Pisas e Florentinorum dominatione excussas libertati restituit. In postica Virginis effigies cum epigraphe consuetâ, & ad ejus latus A. cum Cruce.

Nonus æreus, Mutinæ visitur apud Bartholomæum Solianum. Ibi Insigne Regum Francorum cum epigraphe KAROLVS REX. In aversa facie in area unum P. hoc est *Pisæ*. Circumstant literæ CIVITAS PISANA.

Denique Romæ adservat N. V. Franciscus Victorius S. Stephani Eques Nummum cum literis in antica POPVLI. PISANI. & in postica PROTECTRIX. PISANONVM. Alterum quoque possidet idem Victorius, in quo legitur F. IMPERATOR. & in aversa S. MAR. D. PISIS.

PISAURUM.

Pisauri Anno Christi MCCCCXLIV. dominari cœpit *Alexander Sforția*, ideſt unus e filiis Sfortiæ Attenduli de Cotiniola, celeberrimi militum Ductoris, & frater Francisci I. inclyti Mediolanensium Ducis. Ad eum spectat Primus Nummus argenteus, mihi suppeditatus ab eximio Jurisconsulto Joachinio Forosempronienſi, mihi supra laudato. Visuntur ibi hæ literæ ALEX*ander* SFORTI*a*, & DOMINVS PISAVRI.

Secundus Nummus ad ejus filium *Constantium* spectat, qui Anno Christi MCCCCLXXIII. Pisauri dominabatur. Nummum hunc argenteum Romæ adservat doctissimus Abbas Valesius, & Mutinæ amicus meus Bertacchinius. Ibi Crux cum inscriptione CONSTAN. SF. PISAV. ideſt *Constantius Sfortia Pisauri*, subintellige *Dominus*. In postica effigies Sancti Martyris cum hisce literis S. TERENTIVS, Pisaurensis nimirum Civitatis patronus.

Tertius argenteus, penes eumdem Valesium exsistens, in antica præfert has literas CONSTANTIVS. S. hoc est, *Sfortia*. In aversa facie DOMINVS PISAVRI, cum scutulo ejus insignia complectente.

Quartus, in Museo Bertacchinio adservatus, Leonem erectis pedibus exhibet, florentem ramum tenentem cum literis circum ductis CONSTANTIVS SF*ortia* P*isauri*, subaudi *Dominus*. Scutulum simile præcedenti superadditur. In aversa parte PISAVR. Alterum parùm dissimilem Nummum in eodem Museo conspexi.

Quinctum argenteum possidet Bononiæ amicus vir Johannes Baptista Bianconus. Ibi Deipara genubus flexis divinum infantem adorans visitur cum lemmate HIC TE ADORAT. Altera pars inscriptionem hanc præfert: CONSTANTIVS SFORTIA DE ARAGONIA PISA*uri*, scilicet *Dominus*.


Sextus æreus, Mutinæ in Museo Bertacchinio mihi visus, effigiem Principis ostendit cum epigraphe CONSTANTIVS SF*ortia* DE ARAGO*nia* PISAV*ri*, supple *Dominus*. In postica Castrum Civitatis Pisauri, quod ipse ædificavit, & inscriptio circum posita: SALVTI ET MEMORIAE CONDIDIT.

Septimus argenteus, tum apud Bertacchinium,


Digitized by Google

PISARUM.

I




II



III



IV




V



VI




VII



VIII




IX




PISAURI.


I



II



III



IV



V.

Digitized by Google

Tab. LXIV.

V




VII



VI



VIII



IX




X




P L A C E N T I Æ.


I




III



II



IV



Digitized by Google

mum, tum apud Bartholomæum Solianum Mutinæ exſiſtens, tum etiam penes doctiſſimum Abbatem Benedictum Floravantem Romæ adſervatus, præfert Inſigne Sfortiadis gentis cum epigraphe IO*hannes Sfortia* DE ARA*gonia* COMES COT*Ignotæ* PISAV*ri*, ſubintellige *Dominus*. Is fuit Conſtantii filius, ac dominari cœpit Anno Chriſti MCCCCLXXXIII. In poſtica imago Deiparæ cum literis circum poſitis ORA PRO NOBIS.

Octavum æneum Nummum adſervat in ſuo Muſeo Bertacchinius. Ibi caput viri cernitur cum epigraphe IOANNES SFORTIA PISAV-Re*nſis Princeps*. In poſticæ area eſt altera inſcriptio PVBLICAE COMMODITATI.

Hiſce Nummis addere liceat toreuma, ſive majoris moduli Numiſma, quod Mutinæ vidi penes nobilem virum Ludovicum Nicolaum Comitem Graſſettum. Ibi effigies mulieris cum epigraphe CAMILLA. SFOR*tia*. DE. ARAGONIA. MATRONAR*um*. PVDICISSIMA. PISAVRI. DOMINA. In poſtica mulier inſidens Monoceroti, & Oviculæ, dexterâ telum tenens, ſiniſtra anguem, cum lemmate: SIC. ITVR. AD. ASTRA. In imo legitur: OPVS. SPERANDEI. Camilla iſta uxor fuit Conſtantii Sfortiæ ſupra laudati.

Ad eam quoque pertinet Nummus Decimus, e Muſeo Muſelliano Veronenſi deſumtus. Ibi inſignia Sfortiadum viſuntur cum circumducta epigraphe: CAMILLA. D. GZ. IO. S. PISAVRI. D. Camilla a Conſtantio marito heres relicta fuit cum Johanne filio. Is fortaſſe *Galeaz Johannes* appellabatur, ita ut videatur inſcriptio ſic interpretanda: *Camilla Domini Galeaz Johannis Sfortiæ* (ſupple *Mater*) *Piſauri Domini*, vel *Domina*. Sed primum illud D. meliorem adhuc interpretationem deſiderat. In poſtica hujus Nummi viſitur imago Deiparæ, & literæ circum deſcriptæ: ORA PRO NOBIS.

PLACENTIA.

A Conrado II. Germaniæ ac Italiæ Rege jus Monetæ Placentini ſibi procurarunt Anno Chriſti MCXL. Teſtem habeo Auctorem Chronici Placentini, a me editi Tom. XVI. Rer. Italicarum. Ad eum quippe Annum hæc ille habet: *Eodem Anno Rex Conradus Secundus fecit Privilegium Placentinis faciendi Monetam; & eodem Anno dicta Moneta fuit incœpta fieri*. Hoc idem Sigonius animadvertit. Et ejuſdem quidem conceſſæ facultatis Diploma a Locato in Hiſtor. Placentinâ evulgatum fuit. Ex quo etiam diſcimus, prærogativam hanc Populo Placentino antea collatam a duobus Henricis Quarto & Quinto Auguſtis fuiſſe. Teſtem idoneum Cl. V. olim D. Gaſpar Berettus Monachus Benedictinus Nummum argenteum ad me miſit, cui tres ſimiles in ſuo Muſeo adſervat Placentiæ ſæpe laudatus Abbas Chiappinius. In ejus area legitur CONRADI. & in limbo REGIS SECVNDI. In averſa parte hæc epigraphe DE PLACENTIA: quibus prior ſententia confirmatur.

Secundus Nummus argenteus, in eodem Muſeo Chiappinio Placentino exſiſtens, Scutum in area præfert cum inſigni quodam, niſi ſit alia figura. Circumſtant literæ: PLACENTIA AVGVSTA. In altera facie Crux cum epigraphe NOSTRA REDEMPTIO.

Tertium Nummum ex argento & ære oſtendit mihi idem Reverendiſs. Chiappinius. Ibi in area videre mihi viſus ſum duas haſce literas: P. O. vel P. D. ideſt *Placentiæ Dominus*, & in limbo IOANNES DE VIGNATE, is nimirum, qui Laudis Pompejæ Dominus, ſive Tyrannus, Placentiæ quoque dominationem arripuit, quam Anno Chriſti MCCCCXIII dimiſit. In poſtica Crux cum literis PLACENTIE ..... Reliqua tempus abſumſit.

Quartum Nummum mihi oſtendit, dum vivebat, Angelus Blanchus Mutinenſis. Ibi effigies mulieris nudum puerum tenentis viſebatur, qui fuſtem porrigere videtur. In limbo autem legebam FIDA PLACENTIA. Averſa pars protomen Sancti viri exhibebat cum literis S*Anctus* ANTONINVS.

RECINETUM.

R*Ecineti* quoque Civitas in Marchia Anconitana olim jure Monetæ fruebatur. Teſtem habeo Nummum æreum, in Muſeo Bertacchinio adſervatum. Ibi Leo conſpicitur pedibus anterioribus erectis. In limbo leguntur hæ literæ: DE RECANETO. Aream poſticæ Crux implet. In circuitu S. FLAVIANVS Recinetenſium Protector.

Romæ Franciſcus Victorius Eques alium Nummum poſſidet cum hiſce literis in antica: DE. RECANETO. In poſtica: S. MARIA.

REGIUM LEPIDI.

NUllum *Regienſis Urbis* Nummum percuſſum ante Annum Chriſti MCCXXXIII. videre hactenus potui. Hæc autem de Regienſibus ad eum Annum habet Auctor Chronici Re-

Digitized by Google

Regienſis, editi Tom. VIII. Rer. Italicarum. *Eo Anno primò incepta fuit Moneta Reginorum.* Adde & Pancirolium in Hiſtoria Rer. Regienſium (cujus autographum Eſtenſis Bibliotheca adſervat) ita de Regienſibus ſcribentem: *Primum Nicolai Maltraverſii Antiſtitis nomine, penes quem hoc jus reſidebat, cudere Monetam cœperunt. Unde aliqua etiam hodie Numiſmata cum hac inſcriptione viſuntur.* NICOLAVS EPISCOPVS: *ab altera verò parte legitur*: FRIDERICVS IMPERATOR: *quod Ænobarbi beneficio id Antiſtiti noſtro jus olim conceſſum fuiſſe ſignificat.* Non ex Friderici Ænobarbi, ſed ex *Friderici II.* Auguſti tunc imperantis dono putandum eſt, Præſulem Regienſem tunc pecuniam ſignare cœpiſſe. Is fortaſſe tunc Reipublicæ Regienſi præerat, quum certum ſit, tunc viguiſſe Rempublicam Regienſem, neque in temporalibus fuiſſe Urbem Epiſcopi auctoritati ſubjectam. Fulvius Azzarius in Chronic. Epiſcopor. Regienſ. quod itidem nondum luci redditum Eſtenſis Bibliotheca complectitur, Nummos quidem ſe ejuſdem Nicolai vidiſſe tradit, at nullum Friderici nomine inſignitum. Ne mihi quidem id contigit. Ejuſdem Epiſcopi Nummos utique proferam, ſed nullum ibi nomen Imperatoris. Veram tamen Pancirolii ſententiam reor, hoc eſt, primos ejus Nummos ita fuiſſe ſignatos. At quum ſubſequenti tempore Fredericus II. anathemate perculſus, ac demum Imperio privatus fuerit, hac de cauſſa ab ejus nomine inſcribendo abſtinuiſſe Epiſcopus videtur.

Itaque Primus Nummus argenteus, Regii apud Comitem Nicolaum Tacoli, & Mutinæ in Muſeo Bertacchinio, ac penes Dominicum Vandellium adſervatus, in area unicum N. offert, ideſt *Nicolaus*. In limbo legitur EPISCOPVS. In poſtica ramus cum foliis ad inſtar Lilii, & epigraphe DE REGIO. Pro ſolitario illo N. quod primo conſpeximus, in altero ſimili Nummo apud Joſeph Mariam Cattaneum H. ſcriptum videtur; ſed legendum nihiloſecius N. Neque enim audeo tribuere Nummum *Henrico* Regienſi Epiſcopo, qui Anno Chriſti MCCCI. ſedere cœpit, quum tunc Regienſi in Urbe dominaretur Azo VIII. Marchio Eſtenſis.

Secundus Nummus æreus, Mutinæ apud Bartholomæum Solianum, effigiem Epiſcopi Sancti præfert cum epigraphe S. PROSPER, patronus videlicet Regienſium. In averſa parte ſcutum, in quo Crux, Urbis inſigne, & inſcriptio REGIVM.

Tertium argenteum adſervat in ſuo Muſeo Bertacchinius. Ibi caput Principis viſitur cum literis circum exaratis: DIVO HERC. DVCI. Is eſt *Hercules I.* Eſtenſis, Dux Ferrariæ, Mutinæ, Regii &c. qui Anno Chriſti MCCCCLXXI. dominari cœpit. In averſa parte Crux, & COMVNITAS REGII.

Quartum argenteum poſſidet Mutinæ prælaudatus Dominicus Vandellius. Struem lignorum, veluti pyram, exhibet, ſuper qua eſt Aquila, cum inſcriptione HERCVLES DVX, idem videlicet, de quo in præcedenti. Averſa pars ejuſdem Sancti Epiſcopi imaginem exhibet, circum quam leguntur hæ literæ: S. PROSPER. EPS. REGII.

Quinctus apud Bertacchinium & Solianum exſiſtens, ejuſdem Ducis caput oſtendit cum epigraphe: HERCVLES DVX. In poſtica Crux, & inſcriptio: REGIVM OLIM AEMILIA. De hac appellatione vide Diſſertationem XXI. *De Statu Italiæ*.

Sextus Nummus in eodem Muſeo Bertacchinio, præcedenti prorſus ſimilis eſt, niſi quod in poſtica legitur inſcriptio, bonâ Priſciani veniâ hiſce verbis concepta: REGIVM EMILIA VETERES.


Septimus ibidem exſiſtens, minimi moduli eſt. Ibi effigies Epiſcopi cum literis S. PROSPER. In poſtica: REGII LEPIDI.

SABAUDIÆ COMITES ET DUCES.

NObiliſſima *Sabaudienſium Comitum* ſoboles, poſtea Ducum, quæ titulum Regium a Cypro deſumtum, addito diebus noſtris Sardiniæ Regno, luculentius confirmavit, inter alios ſuarum rerum Scriptores Samuelem Guichenonium habuit, qui Genealogicam Hiſtoriam Regiæ illius Familiæ ampliſſime conſcripſit. Is autem & Nummos Sabaudienſes, quotquot potuit, collegit. Ex ejus labore proficiam nunc ego. Attamen prius animadvertam, inclytam gentem illam plures dediſſe *Humbertos*, & longe plures *Amedeos*. Hinc tenebræ in tribuendis uni potius, quàm alteri ejuſdem nominis Nummis; quippe divinando tantùm interdum adſignantur. Nummum a Guichenonio productum lubens prætereo, quem is referendum eſſe putat ad *Beroldum*, Principem primum inter notos nobis e Sabaudienſi ſtirpe, qui circiter Ann. Chriſti MXV. floruiſſe creditur. Omitto, inquam, tum quod iis temporibus non legamus jus Monetæ fuiſſe datum Comitibus, neque Marchionibus (Sabaudia autem ævo illo pars erat Burgundici Regni, & Beroldus Comes tantùm Mauriennæ, Burgundici Regis Vaſ-


Digitized by Google

RECINETI.




REGII LEPIDI.

I




II




III




IV



V



VI



VII




Digitized by Google

Digitized by Google

COMITUM SABAUDIÆ.


I



II




III




IV




V



VI




VII



VIII




IX




X



XI



XII



XIII.

Digitized by Google

Tab. LXVIII.

























XXV.

Digitized by Google

Vaſſallus) tum etiam quod Nummus minime ille videatur, quum aversâ parte careat. Miretur aliquis, cur diligentiam ejuſdem Guichenonii effugerit Charta, Anno Chriſti MXX. ſcripta, quam e Talverienſis Monaſterii Archivo, ſiti in Anicienſi Diœceſi, Clariſſimi Monachi Benedictini e Congregatione Sancti Mauri, Martene & Durand, ſeſe accepiſſe tradunt, ab ipſis edita Tomo I. pag. 140. Theſauri Novi Anecdotorum. Dubitationem fortaſſis ingeſſerunt Guichenonio prima Chartæ illius verba, quæ nihil ſapiunt mores Sæculi, quo ſcripta fertur, ſcilicet: *Beraldus de Saxonia, Prorex Arelatenſis pro Rege potentiſſimo Radulfo, & ab Auguſta Majeſtate Imperii creatus Vicarius.* Et infra: *Monaſterium Talluere, quod fundavit Dominus meus Rex*; quum Guichenonius ipſe tabulas protulerit, in quibus fundatio ejuſdem Monaſterii tribuitur non Radulfo Regi, ſed *Ermengardi Domni Rodulphi Regis Conjugi.* Infra etiam commemorantur *Feuda*, quibus idem Monaſterium fruebatur. Denique ibi legitur: *Actum in eo loco de Talueris, laudante Domino meo Imperatore, & genito meo cariſſimo Umberto.* Forſitan in his aliquid peregrini & conficti videre Guichenonius ſibi viſus eſt. Neque ego ejuſmodi Chartam innuo, uti germanum fœtum, ſed ut in eam diligentius Eruditi inſpiciant.

Primus argenteus Nummus a Guichenonio tribuitur Humberto Mauriennæ Comiti, qui Anno MXLVIII. e vivis exceſſiſſe traditur. Crux in antica viſitur. Stella in poſtica. Inſcriptio VMBERTVS COMES. Sed quum Umberto II. par Nummus tribuatur, ad illum potius, quàm ad iſtum, hic referendus videtur.

Secundus argenteus Aquilam in area habet bicipitem cum epigraphe: AMEDS COMES SAB. ideſt *Amedeus Comes Sabaudiæ*. In poſtica Crux, in cujus angulis viſuntur literæ A. M. E. D. idem nomen exprimentes. In limbo PEDEMONTENSIS. Nummum hunc Guichenonius tribuit *Amedeo II.* Sabaudiæ Comiti, qui circiter Annum MLXXX. vitam cum morte commutaſſe fertur. Verùm ab ejus opinione diſcedere cogor. Longe enim ſerius adinventa creditur Aquila biceps; & fortaſſe nondum Principi illi *Pedemontenſis* appellatio conveniebat. Quare ad unum ex ſubſequentibus Amedeis referendus mihi creditur Nummus.

Tertius Crucem præfert cum literis AM. COMES. In poſticâ Stella & epigraphe SABAVDIE.

Quartus Crucem in antica exhibet, in cujus angulis literæ ſunt A. M. E. D. & in limbo AMEDEVS. In averſa parte Stella cum literis COMES SABAVD. Ambos hoſce Nummos Guichenonius tribuit eidem *Amedeo II. Comiti:* ſed dumtaxat divinando, quum ad poſteriores pertinere poſſint, incertumque ſit, an tunc liceret Comitibus iis pecuniam ſignare.

Quinctus argenteus *Humberto II.* tribuitur, qui Anno Chriſti MCIII. vitâ functus dicitur. In antica Crux, & VMBERTVS COMES. In poſtica conſpicitur Stella, & epigraphe SECVSIA, nunc *Suſa.*

Sextus argenteus ad *Amedeum III.* ſpectare creditur, qui Anno Chriſti MCXLIX. vivere deſiit. Aream implet litera A. ſignificans *Amedeum.* Circumſtat inſcriptio: COMES. DE. SABAVD. In poſtica Scutum cum Cruce & literis IN ITALIA MARCHIO.

Septimus ad eumdem refertur. Crux ibi cum duabus pilis in area. Tres pilas poſtica oſtendit. Inſcriptio AMEDEVS. COMES. SECVSIA.

Octavus aureus ad *Humbertum III.* ſpectat, qui Anno Chriſti MCLXXXVIII. e vivis abiit. In area viſitur H. initialis litera nominis *Humbertus.* In limbo: COMES. DE. SABAVDIA. In averſa Scutum cum Cruce, quæ inſigne eſt Regiæ Sabaudienſis Familiæ. Circumſtat epigraphe: IN. ITALIA. MARCHIO.

Nonus æreus ad *Thomam I.* pertinere creditur, qui Anno Chriſti MCCXXXIII. ad plures abiit. Cernitur ibi ſcutum cum Cruce & caſſide ſuperpoſita, & literis TS. HT. quas pro ſuo arbitrio, & ſine pari exemplo Guichenonius interpretatur *Thomas Humberti.* In poſtica duo laquei, & in medio F. E. R. T. quas literas, unicam tamen vocem efformantes, *Diviſiam*, ut ajunt, illius Principis, aliorumque Sabaudienſium, idem Guichenonius putat. Pedemontani Scriptores ſomnia multa congeſſere in ejuſmodi Diviſiam. Mihi laudanda videtur conjectura doctiſſimi Du Cangii in Gloſſar. Latin. qui ex Michaële Scoto de Phyſionomiâ Cap. 56. animadvertit, *Fert*, & *Confert* credita fuiſſe auguria, nunc bonum, nunc malum eventum portendentia. Neque omittendum, *Fertones* pecuniæ genus fuiſſe, olim perquam celebre. An eorum mentio ad haſce tenebras eliminandas inſervire quidquam poſſit, alii videant.

Decimus argenteus Nummus per divinationem tribuitur *Amedeo IV.* qui Anno Chriſti MCCLIII. diem claufit extremum. Aquila viſitur in area, & circum literæ AMD. COMES

Digitized by Google

SABAVD. Crux Principum Sabaudienſium teſſera in poſticâ, & epigraphe IN ITALIA MARCCHO, ideſt *Marchio*.

Undecimum argenteum adſervat Placentiæ in ſuo Muſeo Reverendiſs. Chiappinius Abbas. Aut ad eumdem *Amedeum IV.* aut ad *Amedeum V.* referendus videtur. In anticâ biceps Aquila viſitur cum epigraphe AMEDS COMES SAB. In poſticâ Crux, in cujus angulis hæ literæ A. M. E. D ejuſdem Principis nomen referentes, cum inſcriptione circum ductâ: SABAVDIESIS. Vidimus ſupra ſecundum Nummum in inſcriptione, & Aquilâ partis anticæ ſimilem huic omnino eſſe, ac dumtaxat in inſcriptione partis averſæ ab hoc differre. Ibi quippe *Pedemontenſis*, heic *Sabaudienſis* legitur.

Duodecimus æreus *Bonifacio Comiti* tribuitur, qui Anno Chriſti MCCLXIII. naturæ debitum ſolvit. Aream implet litera B. ejus nomen indicans. In limbo COMES SABAVD. Poſtica exhibet Scutum cum Cruce & literis circumpoſitis MARCH*io* IN ITALIA.

Decimum tertium mihi inſpiciendum e ſuo Muſeo obtulit Alexander Bertacchinius Mutinenſis. Ad *Petrum Comitem* ſpectat. In area legitur Diviſia FERT, de qua ſupra fuit mentio. Additur epigraphe PETRVS COMES SABA. In averſa parte Crux Sabaudienſis cum literis: IN ITALIA MARCH*io*. Hic Princeps Anno Chriſti MCCLXVIII. e vivis ſublatus eſt.

Decimus quartus argenteus ad *Philippum Pedemontis Comitem, & Principem Achajæ* pertinere putatur, qui Anno Chriſti MCCCXXXIV. diem ſuum obiit. In areâ litera P. illius nomen referre poteſt. In circuitu legitur PRINC. MARCC. (ideſt *Marchio*) ITAL. In poſtica Scutum cum Cruce, & literis circum exaratis: COMES SABAVDIE. Sed quum nulla Achajæ mentio ſit in Nummo, ſi quis eum tribuat *Petro* nuper memorato, fortaſſis temeritate careat.

Decimus quinctus argenteus eumdem certe Philippum Principem deſignat. Viſitur ibi Crux cum quatuor pilis in angulis & epigraphe PHILIP. PRINCEPS. In poſtica Stella cum quinque pilis circum, & literis TORINVS CIVIS, ideſt *Civitas*. Hæc antiqua videtur Teſſera Taurinenſis Urbis, quæ nunc tribus Stellis utitur. Vide ſupra Nummos Humberto Primo & Secundo tributos. Niſi Principes ii dominati tunc fuerint Taurino, ad poſteriorem Humbertum Tertium Nummi illi pertinere videntur.

Decimus ſextus argenteus Aquilam bicipitem in area præfert. Multa inter Eruditos, ac præcipue a Du Cangio in Diſſertatione de Nummis inferioris ævi, & ab Heineccio in Lib de Sigillis, diſputantur de origine ſymboli hujus. Miſſa omnia facio. Certe videas, ineunte Sæculo Chriſti Decimoquarto in uſu fuiſſe *Aquilam bicipitem*, ejuſque etiam meminit Johannes Villanius illius temporis Scriptor. Græci Imperatores hanc teſſeram primi uſurpaſſe creduntur. Veri ſimile eſt, Philippum Sabaudienſem vel ad eorum imitationem, vel quod ab eis Privilegium acceperit, ejuſmodi Aquilâ uſum fuiſſe. Additur in circuitu epigraphe PHILIPVS. DE. SAB. In poſtica Crux, in cujus angulis P. H. I. L. ejuſdem nominis initiales; & in limbo PEDEMONTENSIS.

Decimus ſeptimus aureus ad imitationem Florenorum, qui Florentiæ cudebantur, percuſſus ab eodem Principe creditur. In antica Scutum cum Cruce, teſſerâ gentiliciâ Principum Sabaudienſium. Superſtat Scuto caſſis, & huic Leo erectis pedibus. Hæc ibi inſcriptio: PRINCEPS ACCHAYE. In poſtica Præcurſoris imago cum literis S. IOHANNES B ideſt *Baptiſta*.

Decimus octavus aureus *Amedeo V.* tribuitur, qui Anno MCCCXXIII. morti ſuccubuit. Lilium præfert cum epigraphe AM. COMES. In averſa parte Præcurſor Domini, & in limbo S. IOHANNES B. Uti infra monebo, deflexit a vero Guichenonius, dum arbitratus eſt, cuſum hunc Nummum ob aliquod fœdus ab Amedeo initum cum Florentinis. Nihil aliud is eſt, niſi Florenus aureus, quem tum ipſe Comes Sabaudiæ, tum alii Principes ad imitationem Florentinorum percuſſere.

Decimus nonus argenteus ad eumdem *Amedeum V.* ſpectans, exhibet Scutum cum Cruce gentilicia, & caſſide ſuperpoſita. Adjungitur inſcriptio: AMEDEVS D. GRA. COMES. Crux in poſtica cum quatuor Roſis in angulis & epigraphe SABAVD. IN ITALIA MARCHIO.

Vigeſimus argenteus ad eumdem *Amedeum V.* ſpectare videtur, & Diviſiam FERT præferre a Guichenonio creditur; quod ego non video. Circumſtat epigraphe AMEDEVS COMES. In averſa parte Crux Sabaudienſis & literæ: SABAVDIE.

Vigeſimus primus ad *Amedeum* ipſum pertinere putatur. Literam A. in area exhibet, quæ cum reliquis literis in circuitu conjungenda eſt, nempe MED. COMES SABAVDIE. Facies averſa Cruce gentiliciâ eſt inſignita, & literis MARCH*io*. IN. ITALIA.

Vi-

Digitized by Google

XXV



XXVII



XXVI




XXVIII




XXIX



XXX



XXXI



XXXII



XXXIII.

Digitized by Google

Tab. LXX.

XXXIII



XXXIV



XXXV



XXXVI



XXXVII



XXXVIII



XXXIX



XL



XLI



XLII



XLIII



XLIV



XLV.

Digitized by Google

Vigesimus secundus aureus ad *Amedeum VI.* pertinet, qui Anno Christi MCCCLXXXIII. ex humanis abiit. In antica visitur Scutum cum Cruce Sabaudiensi, & epigraphe: AMEDEVS COMES SABAVDiE DVX. In postica Crux, & inscriptio CHABLII. ET AVGTE (ideſt *Augustæ*) ITALIAE MARCHIO. ET. PRE. ideſt *Princeps*, aut *Præfectus*. Titulus *Ducis* non ad *Sabaudiam*, sed ad *Chablium* (nunc *Chablais*) est referendus.

Vigesimus tertius argenteus effigiem Principis ejusdem præfert, insigne Ordinis equestris a se instituti ad collum gerentis, dexterâ ensem nudum, sinistrâ Scutum cum Cruce gentilicia tenentis. Epigraphe hæc additur: AMEDEVS COMES SABAV*diæ*. In postica Crux, circum quam quatuor FERT. laqueis intermixta. Limbus inscribitur his vocibus: DVX CHABLAS II. IN ITALIA MARCH*io*.

Vigesimus quartus aureus ad *Amedeum VII.* spectat, qui Anno Christi MCCCXCI. vitam cum morte commutavit.

Vigesimus quinctus aureus *Amedeum VIII.* refert, qui primus Sabaudiæ Dux est renuntiatus Anno Christi MCCCCXVI. & Papa sub nomine Felicis V. Anno MCCCCXXXIX. creatus, vitâ demum functus est Anno MCCCCLI. In antica effigies Sancti Mauricii visitur, hastam dexterâ, Scutum cum Cruce Sabaudiensi sinistrâ tenentis, ad cujus pedes prostratus cernitur Amedeus ipse Dux. Hæc ibi epigraphe: AMEDEVS DVX SABAVD. P. ideſt *Primus*, aut *Princeps*, sive *Pedemontis*. In aversa parte Scutum conspicitur, eamdem Crucem præferens cum Laqueis hinc inde, Ordinem equestrem signantibus, & rictu Leonis alati. Adsunt literæ AMEDEVS DVX SABAVDIE.

Vigesimus sextus argenteus ad eumdem Principem pertinens, in antica Scutum habet cum Cruce gentilicia, & epigraphe AMEDEVS SABAVDIE DVX. In postica iterum Crux, & literæ: IN ITALIA MARCHIO PRINCeps P. ideſt *Pedemontis*.

Vigesimus septimus aureus a Ludovico Duce cusus, Scutum cum Cruce & Laqueis circumpositis exhibet, additâ Divisiâ FERT supra Scutum. Epigraphe LVDOVICVS. D. (ideſt *Dux*) SABAVDIE PRINCEPS. In altera facie altera Crux cum lemmate DEVS IN ADIVTORIVM MEVM INTENDE. Hic Princeps Anno Christi MCCCCLXV. decessit.

Vigesimus octavus aureus ejusdem Principis armati, & equo insidentis effigiem offert cum epigraphe LVDOVICVS DVX SABAVDIE. Aversa facies Scutum cum Sabaudiensi Cruce continet, Divisiâ FERT hinc inde collocatâ, & literis MARC*h*IO IN ITALIA PRINC*eps*.

Vigesimus nonus argenteus effigie ejusdem Principis insignitus est cum epigraphe LVDOVICVS DVX SABAVDIE MARC*hio* ITALIAE. In postica visitur sacra Syndon Taurinensis cum literis SANCTA SYNDON DOMINI IESV CHRISTI.

Trigesimus argenteus ab eodem *Ludovico Duce* cusus, effigiem ipsius præfert cum epigraphe LVDOVI. D. G. DVX SABAV. MARCHIO IN ITALIA. In posticâ eadem sacra Syndon mulieris manibus protensa. Hæc epigraphe: SANCTA SINDON D. N. IESV. MIIII. LIII. ideſt Anno Christi MCCCCLIII.

Trigesimus primus argenteus a *Beato Amedeo Duce* percussus Scutum cum Cruce Sabaudiensi & Laqueis ostendit. Inscriptus est his literis: AMEDEVS DVX SAB. Postica & ipsa alteram Crucis figuram exhibet cum literis IN ITALIA MARCH*io*. E vivis abiit piissimus hic Princeps Anno Christi MCCCCLXXII.

Trigesimus secundus argenteus *Philiberti I.* Sabaudiæ Ducis effigie ornatus conspicitur cum epigraphe PHILIBERTVS. DVX. SABAVDIE IV. In postica imago Sancti Martyris Mauricii cum literis circum positis SANCTVS MAVRITIVS. Dux iste immaturâ præreptus est morte Anno Christi MCCCCLXXXII.

Trigesimus tertius aureus ad *Carolum I.* Sabaudiæ Ducem spectat, qui Anno Christi MCCCCXC. regnare ac vivere desiit. In antica visitur illius effigies equo insidentis cum inscriptione circum ductâ: KAROLVS DVX SABAVD*iæ*. In postica Scutum cum gentilicia Cruce & Divisiâ FERT, additis in circuitu his vocibus: MARCHIO IN ITALIA PRINC.

Trigesimus quartus aureus eamdem præfert effigiem, hisce literis in limbo ornatam: KAROLVS DVX SABAVDIE ET. Posticam implet insigne Sabaudiensium Ducum, atque additur lemma: SIT NOMEN DOMINI BENEDICTVM.

Trigesimus quinctus argenteus ejusdem *Caroli I.* effigie ornatus, hanc exhibet inscriptionem: KAROLVS. D*ux*. SABAVDIE. MAR*chio*. ITA*liæ*. In postica Scutum gentilicium, Divisia FERT, & lemma XPS VINCIT, XPS REGNAT, XPS INPER*at*, desumtum e Nummis Francorum Regum.

Trigesimus sextus argenteus Crucem cum quatuor pilis in antica habet, & in limbo CAROLVS. Postica præfert Laqueum Ordinis

eque-

Digitized by Google

equeſtris, & epigraphen IN ITALIA MARChio.

Trigeſimus ſeptimus argenteus ejuſdem effigie inſignitus, literas in circuitu deſcriptas offert: KAROLVS. DVX. SABAVDIE. G. In poſticâ Crux gentilicia, & lemma XPS. RESurrexit. VENIT IN PACE DEVS.

Trigeſimus octavus argenteus, parum a præcedenti diſſimilis eſt.

Trigeſimum nonum, Mutinæ adſervat, æreum quidem, in ſuo Muſeo Alexander Bertacchinius. Mihi creditur pertinere ad prælaudatum *Carolum I.* Scuto gentilicio ornatus eſt cum epigraphe: CAROLVS DVX SABAVDIE... In averſa facie Crux viſitur, & inſcriptio: PRICEPS ET MARchio. IN. ITALIA.

Quadrageſimus argenteus Scutum gentilicium Sabaudienſis Familiæ oſtendit cum hiſce circum poſitis literis: CAROLVS. II. DVX. SABAVD. Poſticam Crux occupat, Ordinem equeſtrem Sancti Mauricii indicans, cum epigraphe S. MAVRICIVS. S. M. Hunc Nummum Guichenonius tribuendum putat *Carolo I. Duci*, quamvis *Carolus II.* inſcribatur, & in duobus ſequentibus *Secundus* identidem appelletur; eâ ratione ductus, quod ibi dicatur *Dux V.* Sit apud eum fides. Certe petat aliquis, cur *Carolus Bonus*, Sabaudiæ *Dux IX.* ſe poſtea *Carolum II.* in ſuis Nummis dixerit. Neque ſane, quod *Carolo I.* fuerit alter frater natu major ejuſdem nominis, patri præmortuus, ſat fuit, ut idem *Carolus I.* appellaretur *Secundus*, quum dominari cœpit. Vide infra Nummum XLII.

Quadrageſimus primus argenteus Scutum præfert, in quo inſignia Sabaudienſis Familiæ, & Cyprici Regni apparent. Hæc ibi epigraphe: KROLVS SECVNDVS DVX SABAVDIE V. In poſticâ effigies Sancti Mauricii cum lemmate DomiNuS ILLVMINACIO ET SALVS Mea.

Quadrageſimus ſecundus argenteus quinque teſſeras offert, indicantes Sabaudienſem Ducatum, Caballicum agrum, Auguſtam Prætoriam, & Principatum ſacri Romani Imperii. Circumſtat inſcriptio KROLVS SECundus DVX SABAVD. V. Uti præfatus ſum, Guichenonius *Carolo I.* tribuit hos quoque Nummos, eâ ratione permotus, quod hic Princeps dicatur *Dux Quinctus*. Sed fieri-ne poteſt, ut poſt V. legatur etiam I.? quæ literæ non Ducem Quinctum, ſed VIcarium *Imperii* deſignarint. In poſtica viſitur Crux, & in limbo legitur hæc inſcriptio: KBLAS ET AVG. S. ROM. IMP. P. ideſt Dominus Provinciæ *Chablais*, & Civitatis *Auguſtæ* Prætoriæ, & *Sacri Romani Imperii Princeps*.

Quadrageſimum tertium æreum, Mutinæ in Bertacchinio Muſeo vidi. Ibi Inſignia gentilicia Sabaudicæ Familiæ ſeſe offerunt in ſcuto. Circumſtant literæ: KROLVS SECONDVS. In averſa parte DVX. SABAVDVS. R. Et in area R.

Quadrageſimus quartus argenteus ad *Philippum* Sabaudiæ Ducem pertinet, qui Anno Chriſti MCCCCXCVII finem vivendi fecit. Anticam implet imago hujus Principis, cum epigraphe PHILIPVS DVX SABAVDIE VII. In poſtica Crux Sabaudienſium Principum teſſera cum Laqueo, ſcilicet cum inſigni Ordinis militaris & Diviſiâ FERT. Additur lemma: A DomiNO FACTVM EST ISTVD.

Quadrageſimus quinctus ad eumdem Principem referendus, ſcutum præfert cum gentilicia Cruce, adjectis duobus Laqueis, & circumpoſitâ hac epigraphe: PHILIPVS DVX SABAVDIE. Altera Crux in poſtica cernitur, Ordinem militarem Sancti Mauricii indicans, cum epigraphe: PRINCEPS MARCHIO IN ITAlia.

Quadrageſimus ſextus, Quadrageſimus ſeptimus, & Quadrageſimus octavus parum diſſimiles, exhibent effigiem *Philiberti II.* Ducis Sabaudiæ, qui Anno Chriſti MDIV. immaturo fato ſublatus fuit e vivis. Hæc illius inſcriptio: PHILIBERTVS DVX SABAVDIE VIII. In poſtica Scutum cum Sabaudienſi Cruce & Diviſia FERT, & Laqueo. Ibi hoc lemma: IN TE DOMINE CONFIDO. T.

Quadrageſimum nonum æreum Nummum hiſce additum volo, quem Mutinæ adſervat in ſuo Muſeo Bertacchinius. Incertus tamen ſum, an ſpectet ad Regiam Sabaudienſium Principum Familiam. In antica conſpicitur Aquila alis expanſis. E literis circumpoſitis partim exeſis hæ ſuperſunt B.... D.... F.... COMES. DE. CIANI.... In poſtica effigies Sancti Mauricii palliati, manu baculum nodoſum gerentis. Additur epigraphe SANCTVS MAVRICIVS. Suſpicabar ego, heic deſignari Comitem quempiam *Decianæ*, cujus Nummum ſupra attuli. Verùm in ejus Nummis occurrit non Sanctus Mauricius, ſed *Sanctus Alexander*. Quum verò celeberrimus in Sabaudia ſit *Sanctus Mauricius*, eruditis Taurinenſibus perpendendum relinquo, an heic fortè deſignetur aliquis *Comes de Cianbery*.

Ceterorum Ducum Sabaudienſium Nummos omitto, ne fines mihi propoſitos tranſgrediar.

SA-

Digitized by Google

XLV



XLVII



XLVI



XLVIII



XLIX



MARCHIONUM SALUTIARUM.

I




II




S E N A R U M.


I




III



II




IV





V.

Digitized by Google


Tab. LXXII.














SENOGALLIÆ.



SPOLETI.





Digitized by Google

SALUTIARUM MARCHIONES.

NUmmos duos argenteos proferam, ad *Marchiones Salutiarum* ſpectantes. Primum in ſuo Muſeo adſervat Placentiæ Reverendiſs. Abbas Chiappinius. Ibi effigies Principis viſitur cum inſcriptione: LVDOVICVS M. (ideſt *Marchio*) SALVTIARVM. In averſa parte conſpicitur imago Sancti viri equo inſidentis cum literis in limbo: SANCTVS CONSTANTIVS. Is eſt *Ludovicus I.* Salutiarum Marchio, qui Anno Chriſti MCCCCLXXV. finem vivendi fecit; aut *Ludovicus II.* ejus filius, qui Anno eodem patri in dominatione ſucceſſit.

Alterum Mutinæ mihi exhibuit Alphonſus Ferrarius, ſed literis exciſis. Viſitur Sanctus vir equo inſidens, & manu vexillum tenens cum epigraphe SANCTVS CON ..... ideſt *Conſtantius*. In altera facie occurrit inſigne gentilicium in ſcuto, cui caſſis ſuperſtat, Aquilam coronatam gerens cum literis SALVTIARVM M ..... nempe *Marchio*. Æreus exſtat apud Illuſtriſs. Abb. Vicecomitem Mediol.

In prælaudatis Chiappinio, & Bertacchinio Muſeis exſtant alii Nummi percuſſi a *Michaële Antonio*, atque a *Franciſco* Marchionibus Salutiarum. Sed quia ultra terminum mihi præfitutum excurrunt, eos prætermitto.

SENÆ, ſive SENA.

IN Diſſertatione L. *de Civitatum Libertat.* Privilegium evulgabo, in quo Henricus Sextus Romanorum Rex Anno Chriſti MCLXXXVI. *Octavo Kalendas Novembris*, jus cudendæ pecuniæ Senenſi Reipublicæ hiſce verbis concedit: *Item ex uberiori gratia benignitatis noſtræ, Regiâ, qua fungimur, auctoritate concedimus ipſis Senenſibus poteſtatem cudendæ & faciendæ Monetæ in Civitate Senenſi*. Ejuſdem Privilegii meminit etiam Jugurtha Thomaſius Lib. 3. Hiſtor. Senenſis. Attamen ante illud tempus minime defuiſſe videtur Senenſi Populo ejuſdem Monetæ prærogativa. Etenim in Charta Anni MCLXXX. quam habes in Notis Cl. V. Benvoglienti ad Statuta Piſtorienſia, in hoc Opere edita, Chriſtianus Moguntinus Archiepiſcopus, Imperialis per Italiam Legatus, Senenſi Populo hæc pollicetur: *Citius, quam potero, Sereniſſimo Imperatori noſtro Frederigo Privilegium confirmationis veſtræ Monetæ, ad laudem & totius Civitatis honorem, faciam ſine fraude componere*. Ad hæc in nuper memoratâ Diſſertatione Quinquageſimâ alteram Chartam edam Anno ipſo conſcriptam *Menſe Junii*, hoc eſt, quatuor ante Menſes, in qua continetur *forma compoſitionis, per quam Senenſes veniunt ad gratiam Domini Imperatoris, & Regis Henrigi*. Ibi ſtatutum, ut Senenſes Imperatori ac Regi *reſtituant ac reſignent omnia Regalia, jura & juriſdictiones, quæ pertinent ad Imperium infra Civitatem & extra, & nominatim Monetam, & pedagium, ſive teloneum, quam facere conſueverunt vel faciunt*. Quare ante Annum Chriſti MCLXXXVI. jure Monetæ fruebantur Senenſes. Ejus Populi Nummos, quos hactenus conſpicere mihi licuit, nunc profero.

Primum argenteum poſſideo ego. In area ibi occurrit unum S. nomen *Senæ*, ſive Senarum, indicans. In limbo legitur SENA VETVS. In averſa parte Crux viſitur cum epigraphe ALFA ET CIↃ, ideſt *Omega*.

Secundus argenteus ab Huberto Benvoglienio Cl. V., dum in vivis erat, ad me miſſus, quamquam non idem, adeo tamen præcedenti ſimilis eſt, ut nihil addendum habeam, niſi quod Omicron pro Omega ibi ſcriptum eſt, atque ED pro ET: ex quo intelligis vetuſtatem ET immutati, quum a vocali ſubſequens verbum inchoatur.

Tertius aureus, Mutinæ a Joſeph Maria Cattaneo adſervatus, idem S. in area præfert, cum literis in circuitu CIVITAs VIRGO SENA VETVS. In averſa parte Crux cum literis ALPHA ET O. (pro *Omega*) PRINCIPium ET FINis. In aliis Nummis non *Civitas Virgo*, ſed *Civitas Virginis* legitur: atque id ad mentem Senenſium.

Quartus argenteus apud eumdem Cattaneum, præter S. in area, hanc epigraphen gerit: SENA VETVS CIVITAS VIRGINIS. In altera parte eadem inſcriptio atque antecedens. Similem Nummum alterum, diverſæ tamen formæ, adſervat Mutinæ Palladius Turrius vir nobilis; ibique in ſummitate ſcutulum conſpicitur cum quodam inſigni.

Quinctus argenteus in Muſeo Bertacchinio Mutinæ exſiſtit. Ibi conſuetum S. in area, ſed ita lemniſcatum, ut vix pro litera accipiatur. Epigraphe SENA VETVS. In poſtica (A) ALPHA ET O, pro Ω, *Omega*.

Sextus argenteus in eodem Muſeo habet S. in area, & in limbo CIVITAS VIRGINIS SENA VETVS. In poſtica inſcriptio ſimilis Tertio. Iſtorum Nummorum tempora deſignare difficillimum puto.

Septimus e Schedis Blanchinianis, Veronæ

Digitized by Google

in Muſeo Muſelliano adſervatis, depromtus fuit. Ibi SENA VETVS C. VIRGINIS.

Octavus ibidem exſiſtens, eamdem inſcriptionem in antica exhibet. In poſtica ſcutum cum inſignibus, quibus ſuperpoſitum G.

Nonus in eodem Muſeo adſervatus, neſcio ad quamnam Civitatem ſpectet. Eum ego inter Senenſes retuli, quod inſignia perquam præcedenti ſimilia videantur.

Quum autem verba facio de Senenſi Urbe, quam *Civitatem Virginis* appellatam vidimus, in mentem venit, Epheſios quoque olim, teſte antiquiſſimo Herodoto Lib. I. *Urbem ſuam dicaſſe Dianæ*, ita ut Civitas illa evaſerit *Civitas Dianæ*.

SENOGALLIA.

UNum Nummum, ad *Civitatem Senogallienſem* ſpectantem, exhibere poſſum, quem Romæ in ſuo Muſeo adſervat egregius eruditionis antiquæ cultor Franciſcus Victorius, Eques Sancti Stephani. Viſitur ibi effigies Epiſcopi Sancti cum epigraphe S. PAVLINVS. SENOGA. Patronum Urbis cenſeo Sanctum Paulinum; quod tamen in Italia Sacra ab Ughellio adnotatum non vidi. In altera facie cernitur quadrupedis cujuſdam effigies. Erit Eruditorum Senogallienſium uberiorem huic Nummo lucem miniſtrare.

SPOLETUM.

ILluſtris hujus Urbis, quæ per Sæcula multa Ducatus ampliſſimi caput fuit, Nummum argenteum mihi procuravit Cl. V. Dionyſius Andreas Sancaſſanius Scandianenſis, nunc Medicus Comacli. In ejus antica viſitur Crux cum literis circumſtantibus: DE SPOLETO. In poſtica habetur epigraphe: S. PONTIANVS P. ideſt *Protector*, vel *Patronus* Urbis. Nullus dubito, quin plures alios Nummos, ad Spoletum pertinentes, diligentia poſterorum exerat. Immo veri mihi ſimile prorſus videtur, vel ſub Langobardis Regibus, & Francis Imperatoribus fuiſſe Spoleto prærogativam Monetæ. Quum enim hoc jure fruerentur olim Ticinum & Mediolanum, Regiæ Urbes, tum Luca uti caput Ducatus Tuſciæ, Beneventum uti caput inſignis Beneventani Ducatus, ac Tarviſium uti caput Ducatus Forojulienſis: excogitare vix poſſumus, in illuſtri Ducatu Spoleti nulli Urbi contributum fuiſſe jus ſignandæ pecuniæ.

Alterum Nummum huic additum volo, quem penes ſe ſervat amicus vir Franciſcus Maria Joachini, Juriſconſultus Foroſempronienſis. Ibi effigies Epiſcopi Pallium geſtantis, cum literis in circuitu IOHannES .... A .... C. In averſa parte SPOLETANVS. Quis ſit Johannes iſte, exeſæ ſubſequentes literæ me a divinando coërcent.

TARVISIUM.

REm ſingularem heic accipe, cui ægre fidem ego adhibuiſſem, niſi vadem habuiſſem plane legitimum V. Cl. Marchionem Scipionem Maffejum. Nempe is in inſigni Opere Veronæ Illuſtratæ pag. 377. Chartam evulgavit, in eadem Civitate Tarviſina ſcriptam Anno Chriſti DCCLXXIII. ubi mentio habetur *Monetarii*, ſimulque commemoratur *Monita publica* (hoc eſt, *la Zecca*) ibi conſtituta. Itaque inſtiti apud præſtantiſſimum virum Antonium Scottum, Canonicum & Patricium Tarviſinum, ut pro ſuo erga me amore numquam fatigato inveſtigaret, num quiſquam Nummus ad remota illa Sæcula ſpectans injuriam temporum fortè effugiſſet. Reſcripſit ille tamdem, apud Antonium Bernardi Civem Tarviſinum, Nummum vetuſtum exſiſtere, quem etiam ad me non multo poſt miſit. Carolinum ſtatim deprehendi; nam in antica ſpectatur Monogramma Caroli Magni Regis Francorum & Langobardorum, ac tamdem Imperatoris Romanorum, nempe KAROLVS. In poſtica eſt TARVISIO. Quare nulla amplius dubitatio ſupereſſe poteſt, quin Tarviſium ante nongentos annos & ultra jure Monetæ frueretur. Cur autem Civitati illi ſub Langobardis & Francis Regibus, non verò tot aliis tunc illuſtrioribus Urbibus, prærogativa Monetæ conceſſa fuerit, nulla alia mihi ratio ſe offert, niſi quod uti Tuſciæ Luca Civitas deſtinata iis temporibus fuit, ut ibi cuderentur Nummi, ita Tarviſium ejuſmodi honore donatum fuerit pro Ducatu Forojulienſi. Sed fortaſſe Germanis poſtea in Italia dominantibus continuatum Tarviſinis minime fuit ejuſmodi jus. Mihi ſane nondum ullus alius Nummus occurrit, antiquis iis Sæculis in ea Urbe percuſſus. Ceterum ſubſequutis Sæculis ab Imperatoribus conceſſa fuit Epiſcopo Tarviſino Moneta publica ejus Urbis, immo & ipſa Civitas, uti vetera monumenta teſtantur.


Alterum quoque Nummum diverſi moduli addo, qui poſt hæc ſcripta delatus eſt: rari quippe ſunt id genus Nummi.

TAU-


Digitized by Google

TARVISII.

I




II



TAURINI.

I



Digitized by Google

Digitized by Google

TAURINUM.

QUo tempore nobilis iſta Civitas ſui juris fuit, neque Principibus Sabaudienſibus parebat, percuſſit hunc Nummum argenteum, rarum profectò, quem mihi ſuppeditavit Joſeph Maria Cattaneus Civis Mutinenſis. Poſt Friderici II. Auguſti mortem, quæ Anno Chriſti MCCL. contigit, Thomas Comes Mauriennenſis Taurinenſi Urbe potitus fuit. At is Anno MCCLV. aut potius ſequenti, ſeditione obortâ, a Civibus Taurinenſibus invincula conjectus fuit, atque Aſtenſibus inimicis traditus. Quare eodem Sæculo Nummus iſte cuſus videtur, in cujus antica viſuntur inſignia, ut opinor, ipſius Civitatis, cum tribus alteriſcis hinc inde diſpoſitis, & literis MONETA TAVRINENSIS. In poſtica ſpectatur Aquila alis apertis, & circumſtant literæ: CIVITATIS IMPERIALIS.

VERONA.

INter Italici Regni Civitates, quæ primæ officinam Monetariam habere meruerunt poſt antiquiſſimas illas, Ticinenſem videlicet, Mediolanenſem, Tarviſinam, atque Lucenſem, enumeranda mihi eſt *Verona*. Certe *Veronenſis* pecuniæ memoria frequens occurrit in Chartis vetuſtis. Leguntur hæc verba in Ferrarienſi, Anno Chriſti MCXIII. exaratâ: *Et in omni feſtivitate Sancti Martini annualiter daturus ſum vobis in veſtro arbitrio porcum unum de precio Solidorum octo denariorum Veronenſium, aut ipſos Solidos, quem ſuſcipere volueritis; & in omni Nativitate Domini ſpallam unam, vel pullos duos*. Ita in altera pergamena Ferrarienſi, Anno Chriſti MLXXVIII. ſcriptâ, mentio eſt *denariorum Venetorum*, ac *Veronenſium*, uti ex ipſa patebit, evulgandâ heic mihi, ex beneficio ſupra laudati Joſeph Antenoris Scalabrinii eruditi viri Ferrarienſis.

Charta Emphyteuſis Ferrarienſis, Anno 1078.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno Domini ..... Milleſimo Septuageſimo Octavo, Regnante Domino Einrico Imperatoris *Anno Vigeſimo Secundo, IX. Kalendas Octubris, Indictione Secunda .... Mazolino filius quondam Pagano de Rofredo de la Turre, & Winildo filius quondam Joculo de la Nure de Comitato Ferarienſis. Uti me u... filius quondam David de Ugone de Rencia, ſeu filiis & heredibus vel ſucceſſoribus ..... per enfiteoſin nomine jure a preſenti die nobis concedere dignenini rem juris veſtre proprietatis: ideſt trans flumen Reno in fundi Panicale, in loco ubi dicitur Gajo de Sertito, pecia una terra in integrum cum introito & exiteo ſuo uſque in via publica, vel cum omnia ſuper ſe & infra ſe abente in integrum, a pertica decipeda menſurata per longo, & per ambobus lateribus perticas octo & pedes novem: ab uno caput perticas ſeptem, alio caput perticas ſex: finis eſt ab uno latere ponis te Urſone Presbitero petitore, alio latere ponis te Donatho filius Nathale de Martini de Dominico. Ab uno caput ponis te Martinus Presbiter, qui vocatur Ricio, & Ruſticello de Bonvicio: alio caput ponis te Petrus de Ermengarda, vel ſi quis ali adfines ſunt. Ipſa jam dicta pecia terra in integrum, qualiter ſupra legitur damus nos ſupraſcripti Mazolino, & Winildo tam per nos, quàm per Joculo nepote noſtro filius quondam Rodulfo de Rofredo, tibi ſupraſcripto Urſone Presbitero, tuiſque Succeſſoribus & heredibus, ad habendum, tenendum, & poſſidendum, eâ vero racione, ut non abeatis licenciam tu ſupraſcriptus petitore, neque tuis ſucceſoribus & heredi de predicta pecia terre in integrum, qualiter ſupra legitur, in eſtranea perſona nec vendere nec donare, niſi ſi nobis oportunum fuerit optinere ſit dominacio noſtriſque heredibus, ſi juſtum precium dare voluerimus, ſicut per bonos homines apreciatum fuerit; & ſi juſtum precium dare noluerimus, ſicut per bonos homines apreciatum fuerit, licencia ſit vobis eas dare in talis hominibus, qui de diſtricto iſtius Comitato fuerit, excepto heredes* Comes Alberti, *& illorum Servis, & ſalva juſticia dominica perſolvend... & poſt completa hereditas tua, qui ſupra petitore, Calciarios dandi ec enfiteoſin in och ordine renoventur. Sic ita tamen ut exinde inferre debeo ego ſupraſcriptus petitore, meiſque ſucceſſoribus & heredibus vobis, veſtre dominacionis, veſtriſque heredibus ſingulis quibuſcumque Indictionibus penſionis nomine inc* Denario Venecie uno, *ita ut dictum eſt, penſio perſolvatur; & nos ſupraſcriptis Mazolino, & Winildo promittimus tam pro nobis, quàmque pro Joculo nepote noſtro, noſtriſque heredibus pro dicta pecia terre vineata, qualiter ſupra legitur tibi ſupraſcripto Urſone Presbitero, tuiſque ſucceſſoribus & heredibus omni tempore ab omni homine defenſare*

Digitized by Google

ſare & auctorizare promittimus. Si qua vero pars contra ec enfiteoſin ire temptaverit, & non conſervaverit omnia qualiter ſupra legitur, det pars parti pene nomine . . . . . Denariorum Veronenſium Solidos triginta & ſes; *& poſt penam ſolutam ec enfiteoſin, ſicut ſupra legitur, omni tempore in ſua maneat firmitatem.*

Actum in Civitate Bononia . . . . . .

✠ *Alberto filius quondam Gerardo de Andrea de Gerardo, & Johannes filius Bonaldo de Ferraria, & Lamberto filius Ugone de Cazano, & Urſo filius Urſoni de Andrea, & Pagano Sarto filius quondam Albezo Sarto, rogatis teſtibus.*

✠ *In Dei nomine ego Bonandus Notarius ec enfiteoſin ſic, ut ſupra legitur, ſcripſi.*

In Charta etiam Beatricis Comitiſſæ Anno Chriſti MLXXIII. exaratâ, quam protuli in Diſſertatione XI. *De Allodiis*, memorantur *centum Libræ denariorum Veronenſium*. Denique in concedendo jure Monetæ Epiſcopo Patavino Henricus II. Auguſtus præcepit, ut pecunia cuderetur *ſecundùm pondus Veronenſis Monetæ*, uti ſupra vidiſti in ejus Diplomate. Jus autem Patavinæ Monetæ ad Epiſcopum Civitatis illius ſpectaſſe, legimus in Diplomate Friderici I. Anno Chriſti MCLIV. Tom. V. Italiæ Sacræ. En ergo Civitatis Veronenſis Nummos, hactenus mihi oblatos. Atque utinam plures adferre licuiſſet.

Primus Nummus argenteus, tum Patavii apud Comitem Johannem de Lazara, tum Veronæ apud Johannem Franciſcum Muſellium Archipresbyterum inſignis Capituli Canonicorum Veronenſium exſiſtens, in utraque facie ectypon præfert, inſcriptionis tantùm ſitu immutato, nempe in area Crucem hiſce literis circum exaratis: VERONA. In limbo CI ✠ EV ✠ CI ✠ IV. quarum literarum explicationem ab eruditis Veronenſibus exſpectabo.

Secundus ab eodem Muſellio ad me miſſus, Mutinæ quoque in Muſeo Bertacchinio viſitur. In area oſtendit Aquilam protenſis alis cum epigraphe CIVITAS. In altera facie Crux cum literis VERONA. A. M. ideſt *Albertus* & *Maſtinus de la Scala*, ſive *Scaligeri*, qui Anno Chriſti MCCCXXIX. dominari Veronenſi in Urbe cœperunt. Et ſane inter duas initiales literas A, & M. Scalæ figura viſitur, Scaligerorum dominantium Inſigne gentilicium.

Tertium poſſident in ſuis Muſeis Patavino Comes de Lazara, & Veronenſi Muſellius. Cuſus fuit Nummus ſub ipſis Scaligeris, ideoque explicatione non indiget.

Quartus æreus in eodem Muſeo Muſelliano, Scalam inſigne Scaligerorum præfert in antica; in poſtica verò virum Leonis caput ſiniſtrâ tangentem, cum fuſte in dextera.

Quinctus argenteus ab ipſo humaniſſimo Muſellio mihi traditus, Aquilam exhibet cum inſcriptione BTHS. ANTNS. videlicet *Bartholomæus*, & *Antonius* Scaligeri fratres, qui Anno Chriſti MCCCLXXIV. dominationem Veronæ ſuſceperunt. In averſa parte viſitur effigies Epiſcopi cum literis SANCTVS ZENO, & in ſummitate Scala.

Sextum æreum mihi conſpiciendum obtulit idem Muſellius. Hinc Scala in area, cum literis BARTOLOMEVS: inde Crux in altera facie, & inſcriptio ANTONIVS.

Septimum argenteum vidi Mutinæ apud Paulum Seghicium nobilem virum. Ibi Crux cum circumpoſitis literis COMES VIRTVTVM D. MLI . . . . . hoc eſt, *Dominus Mediolani*, & (ut puto) *Veronæ*. Is eſt Johannes Galeatius Vicecomes, qui Anno Chriſti MCCCLXXXVII. pulſo Antonio Scaligero, Veronam ſibi ſubjecit. In poſticâ cernitur imago Epiſcopi Sancti cum epigraphe SCS ZENO DE VERONA.

Octavus denique Nummus ſuccedat, e Schedis Blanchinianis, in Muſeo Muſelſiano adſervatis, depromtus. Ibi Aquila biceps cum literis in circuitu: DVX AVSTRIAE. In poſtica imago Epiſcopi cum inſcriptione circum exaratâ: S. ZENO PROTECtor VERONAE. Niſi percuſſus hic Nummus fuerit, poſtquam Maximilianus I. Auguſtus ſecundùm Cameracenſis fœderis pacta Veronenſi Civitate potitus fuit, Eruditis Veronenſibus illius interpretationem commendo.

VICENTIA.

EX Nummis in *Vicentina Urbe* percuſſis unum tantummodo proferre poſſum, Patavii in Muſeo Lazara adſervatum. Ibi viſitur Aquila in area, circumpoſitâ inſcriptione: CIVITAS. Scutulum quoque ibidem conſpicias, cum inſigni quodam. In averſa parte Crux cum literis VICIENCIE. Ita enim illic legi, & non VICENCIE, monuit me amicus vir Adamus Pivatus Sacr. Theologiæ Doctor Patavinus.

VIGLEVANUM.

V*Iglevanum*, inſigne olim apud Inſubres Oppidum, nunc Civitas Epiſcopalis, a Ludovico XII. Francorum Rege, poſtquam Medio-


Digitized by Google

VERONÆ.

I



II




III




IV



V



VI



VII




VIII



VICENTIÆ.

I



Digitized by Google

Tab. LXXVI.

VIGLEVANI.

I



II



III



IV



V



VI



VII



VIII



IX



UR-

Digitized by Google

Mediolanenſi Ducatu potitus eſt, traditum fuit in Feudum, addito *Marchionis* titulo, inſigni ac celeberrimo exercituum Imperatori *Johanni Jacobo Trivultio*, cujus Familiæ dignitatem tuetur adhuc Mediolani multa cum laude præclariſſimus Marchio Theodorus Alexander Trivultius, per lineam maſculinam ex ejuſdem Jo. Jac. fratre Jo. Firmo primogenito deſcendens. Servat is Nummos aliquot, eoſque mihi ea de re agenti communicavit, quos deinde ſum editurus.

Numiſma vero æneum ſignatum numero primo extat Mutinæ in Muſeo Bertacchinio, in cujus altera facie cernitur protome viri laureati, circumducta hac Inſcriptione IO. IA. TRI. MAR. VIG. FRAN. MARE. ideſt *Johannes Jacobus Trivultius Marchio Viglevani, Franciæ Mareſchalcus*. In altera parte caput hominis cum literis in limbo exaratis NEC CEDIT VMBRA SOLI, & fortaſſe *Nicolaum* ejus filium *Comitem Muſocci* repræſentat, qui patrem armorum gloria ſequebatur.

Secundus Nummus nullum loci, quo cuſus fuit, nomen exhibet, atque ad eumdem Joannem Jacobum Trivultium pertinet. In antica viſitur caſſis clauſa, cui inſidet vel Harpya, vel Sphinx alata caudam inflexam demittens, manu chartulam inſcriptam tenet. In vetuſtiſſimis hujus Familiæ inſigniis una manu anulum cum adamante tenens aſpicitur, altera limam, in aliquibus integram, in aliis vero fractam, addito lemmate: *Ne te ſmay*, quod liceat interpretari, ut vulgo dicitur *non ti ſmagare*, hoc eſt, ne animo decadas; in eum ferme ſenſum, quo Vergilius Æneid. 6.

Tu ne cede malis, at contra audentior ito,

niſi conſtantia in arduis opus eſſe ſignificari voluerit. In poſtica ſunt inſculpti Delphines duo capitibus invicem verſis, & ſeu fonti, ſeu termino, ſeu alicui ignoto corpori inter utrumque ſtanti hærentibus, ita ut caudis in ſemicirculi figuram demiſſis M literæ formam, qualis Veteribus pingebatur, exhibeant, per quam indicari facile potuerit *Muſocci* Comitatus, quem emerat Joannes Jacobus antequam Galli ductore ipſo in Italiam veniſſent.

Tertius pariter ad eumdem Joannem Jacobum pertinet. In antica Scutum exhibet, in quo circulus eſt inciſus, quem Crux interſecat, porrectis e circulo radiantibus ſplendoribus, literiſque circumſcriptis IO. IACOBI TRIVVLTII. CO. In poſtica imaginem B. M. V. exhibet puerum Jeſum in præſepe adorantis, cum circulari epigraphe: QVEM GENVIT ADORAVIT, eumque ad Regium Lepidi Civitatem pertinere puto, qua honoris gratiâ Joannes Jacobus donatus fuerit.

Quartus ad ipſius Joannis Jacobi honorem cuſus in antica ejus imaginem exhibet circumſcriptis literis IO. IA. TRI. MAR. VIGLE. MARESCAL. FRAN. In poſtica togatam fœminam dexterâ caduceum, alter â palmam cum inſcript. ASTRA. ME. DVCE. TVTVS ADIBIS.

Quintus ad eumdem ſpectat; in antica viſitur Scutum familiæ inſignia exhibens, inſcript. lit. IO. IA. TRIVLT. MAR. VIGLE. ET F. M. In poſtica S. Georgius pedes lancea draconem tranſverberans: in circulo inter duas parvas Cruces S. GEORGIVS.

Sextus item exhibet familiæ inſignia cum caſſide pinnis ornata. Supra ſtat Sphinx manuchartulam tenens, in circulo IO. IA. TRIVL. MAR. VIGLE. ET. F. MA. In poſtica viſitur imago Sancti Georgii equo inſidentis, ac draconem lancea tranſverberantis. In circulo SANCTVS. GEORGIVS.

Septimus ad eumdem pariter ſpectat. In antica viſuntur inſignia familiæ in ſimplici Scuto ſignata parva Cruce, & in circulo literæ IO. IA. TRIVL. MAR. VIGLE. In poſtica Crux major in medio, & in ſuperiori parte minor cum literis ET FRANCIE MARESCALVS.

Octavus, ac Nonus Nummi e Schedis Blanchinianis, Veronæ in Muſeo Muſelliano exiſtentibus deprompti ad Franciſcum Trivultium pertinent Nicolai Comitis Muſocci filium, & M. Jo. Jacobi nepotem. In antica illius inſignia apparent floccis hinc inde a Scuto pendentibus ornata, & capite mitrato Sancti Ambroſii, ſuperimpoſito cum literis in limbo FRANCISC*us* TRIVL*tius* MAR*chio* VIGLE*vani* &c. Is floruit Anno Chriſti MCLX. In poſtica S. Georgii effigies, in uno inſidet equo, draconem lancea feriens, in altero pedes eſt ac draconem utraque planta calcans, lanceam in gulam immittit, in utroque literæ SANCT. GEORGIVS.

VOLATERRÆ.

NUllum Volaterranæ Reipublicæ in Etruria Nummum exhibere poſſum. Dicam tamen, ne hoc quidem ornamentum olim in ea Civitate fuiſſe deſideratum: quippe Sæculo Chriſti Tertiodecimo mentionem reperio *Librarum Vulterranenſis Monetæ*. Quod quum audis in actis etiam aliarum Civitatum, prodere conſuevit, fuiſſe in illis quoque Officinam Mo-

Digitized by Google

netariam, ſignatamque eorum Populorum nomine pecuniam. Chartam ex Regeſto Cencii Camerarii deſcriptam accipe, ubi *Volaterranæ pecuniæ* mentio occurrit, quæ profectò celebris fuerit neceſſe eſt, quando in Civitatibus Reatina & Aſculana in honore & commercio erat.

Literæ de Comitatu Aſculano a Gregorio IX. Papa commendato Epiſcopo Aſculano ſub centum Librarum Volaterranarum penſione, Anno Chriſti 1231.

GRegorius Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri* Marcellino Epiſcopo Eſculano *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Eccleſiam Eſculanam, tamquam Sedis Apoſtolicæ filiam ſpecialem, & perſonam tuam, nobis fide notam & devotione probatam, ſpeciali gratiâ proſequentes, Comitatum Eſculanum cum jurisdictione ac juribus, reditibus & pertinentiis omnibus ad Eccleſiam Romanam ſpectantibus, & ſpecialiter poteſtate ibidem creari Tabelliones, tibi ſub annuo Cenſu* Centum Librarum Vulteranenſis Monetæ, *in feſto Beati Michaëlis, Cameræ noſtræ ſolvendo, quamdiu nobis placuerit, committimus, Eccleſiæ Romanæ nomine fideliter gubernandum, prout in inſtrumento publico exinde confecto plenius continetur. Ut autem quod de te inſpe gerimus, nos in re inveniſſe lætemur, Fraternitatem tuam monemus, auctoritate præſentium tibi injungentes, quatenus juſtitiam diligens & obſequens æquitati amplectaris in omnibus pietatem, religioſos pio fovens affectu, & defendens a potentibus impotentes, ut Apoſtolicæ Sedis gratiam recognoſcens, divinæ te reddas gratiæ aptiorem.*

Datum Reate, Nonis Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

URBINUM.

ÆReum Numiſma accipe Urbini adſervatum apud nobilem virum Comitem Ludovicum Palma, cujus ectypon debeo doctiſſimo & amico viro P. Johanni Proſpero de Sancto Ubaldo Clerico Regulari Congregationis Scholarum Piarum. Ibi effigies Principis cum Inſcriptione: DIVI. FE. VRB. DVCIS. MONTE. AC. DR. COM. REG. CAP. GE. AC. S. R. ECCLE. CON. INV. ideſt *Divi Federici Urbini Ducis, Monteferetri, ac Durantis Comitis, Regii Capitanei Generalis, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Confanonerii invicti*. In Poſtica ejuſdem Principis armati & equo inſidentis effigies, cum literis OPVS SPERANDEI, qui Numiſma conflavit. Is eſt Federicus, e Comitum Montisferetri ſtirpe prognatus, Anno Chriſti MCCCCLXXI. Dux Urbini renuntiatus, militiæ Ductor celeberrimus.

Duos quoque æreos Nummos poſſideo ego. In antica viſitur Principis imago cum epigraphe: GVIDVS VB. VRB. DVX. In poſticâ Scutum cum ejus inſignibus. Circumſtant hæ literæ: CO MON. FE. AC DVRANT. ideſt *Guidus* (rectiùs verò *Guido*) *Ubaldus Urbini Dux, Comes Montis Feretri, ac Durantis*; qui Anno Chriſti MCCCCLXXXII. Federico patri in dominatione ſucceſſit.

Tertius Nummus, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio, imaginem Guidonis Ubaldi exhibet cum epigraphe: GVIDVS. VB. VRBINI. DVX. Viſitur ſtemma gentilicium in averſa parte, cum lemmate: FIDES. SPES. CARITAS.

Quartus Nummus argenteus majoris moduli, exſiſtens Piſauri apud nobilem virum Annibalem de Abbatibus Oliverium, ad eumdem Principem ſpectat. Cernitur ibi Scutum, in quo inſignia Comitum Montisferetri, cum Inſcriptione circumpoſitâ: GVIDO VB. URBINI. DVX. In poſticâ viſitur imago Sancti Georgii cum literis in limbo: ORA PRO N. S. GRI. ideſt *ora pro nobis Sancte Georgi*.

ATque hactenus Nummi, quos congerere potui, in officinis Monetariis Italiæ percuſſi ad Annum uſque Milleſimum Quingenteſimum. Longe plura ſane ſuperſunt mihi ignota. Expoſtulare autem heic mihi liceat de Italicorum eruditorum conſiliis. A tribus Sæculis totus eorum conatus verſatus eſt in conquirendis, extumulandis, ſummoque ſtudio colligendis, Græcorum, Romanorum, Syrorum, aliorumque Orientalium Populorum Nummis uſque ad inclinationem Romani Imperii. Hiſce unis ditantur & abundant, hiſce glo-

Digitized by Google

U R B I N I.


I



II



III



IV



Digitized by Google

Digitized by Google

gloriantur noſtro quoque ævo innumera tum in Italia, tum extra Italiam, Muſæa. Fuere etiam, qui Orientalium Auguſtorum, Græcorumque Principum uſque ad Conſtantinopolis excidium, & Francorum Regum, Anglorum & Germanorum Nummos ſolicite quæſierunt, ac luce donarunt. At quemnam mihi oſtendas, qui Nummariam eruditionem Italiæ ab Anno Chriſti Sexcenteſimo excolendam ſuſceperit, Nummoſque Italicorum Regum, Auguſtorum, Principum, ac Civitatum Liberarum, ſubinde per tot Sæcula cuſos, colligere, atque illuſtrare elegerit? Eruditis noſtris neglecta adhuc provincia iſthæc fuit; immo compluribus ſordent adhuc ejuſmodi Nummi, quaſi non & ipſi ad Hiſtoriæ lucem, atque Italicæ gentis decus æque, ac eruditionem plurimum conferant. Sint, ut lubet, rudes, oleantque barbariem hujuſmodi Sæculorum Nummiſmata. Si medii ævi Hiſtoriam amamus, cur non & caros habemus ejus temporis Nummos, auctoritate publicâ percuſſos, quos profectò fatearis inter illuſtriora barbaricæ antiquitatis monumenta eſſe referendos? Ego, quotquot potui, collegi. Sed tempora advenient, quibus non minori ſolicitudine & iſti congerentur, quàm qua hactenus Græci, ac Romani conquiſiti fuere; agnoſcentque Literati viri, hoc etiam ſubſidio Hiſtoriam Italicam indigere, Ipſamque per illud exornari non modicum poſſe. Interea tantus iſte contemtus barbaricorum Nummorum, ſummam apud nos illorum peperit caritatem. Quum enim per tria poſtrema Sæcula nemo unus hoſce vel tantillum curaret, ingens eorum copia ad alios uſus conflata, in tabernis aurificum, aut in officinis Monetariis miſerrime periit. At ubi me hujus quoque mercis congregandæ cupiditas inceſſit, quo me converterim non reticebo. Scilicet in Mutinenſi Urbe, ejuſque agro (idque forſitan in aliis bene multis uſitatum deprehenderetur) ſolent mulieres ad collum infantium ſuſpendere Nummos Sancti Ludovici Francorum Regis præ devotione erga Sanctum illum Principem. Hunc ritum tam nobiles, quàm plebeji obſervant, eoſdem Nummos argenteos ſacrarum rerum loco habentes. Sed quia paucorum eſt dignoſcere, quinam ſint Ludoviciani Nummi, plerumque accidit, ut non illos infantuli deferant, ſed omnino diverſos, & quos caſus obtulit, a variis Urbibus, variiſque temporibus cuſos. Vix enim ſe eis offert Nummus, antiquitatem quampiam præferens, ignotiſque characteribus ſignatus, quum Sancti Ludovici Monetam, ut ajunt, ſe reperiſſe ſibi perſuadent; aut Crucem ibi, effigiemve alicujus Sancti inſpicientes, continuo credunt, illinc ſperandam eſſe pueris tutelam. Hac ratione permultos Italiæ Nummos adhuc ſuperſtites deſcripſi, ejuſque Nummariæ eruditionis deſiderium ita inſpiravi tum Reverendiſs. P. D. Alexandro Chiappinio Abbati Canonicorum Regularium Lateranenſium Placentiæ, tum Mutinæ peramico viro Alexandro Bertacchinio, ut jam uterque non contemnendam copiam hujuſmodi Nummorum in ſua Muſea intulerint. Neque moleſtum Lectori futurum puto, ſi & alios quoſdam Nummos ſubjiciam extra Italiam percuſſos, quos in conquirendis Italicis ſors mihi obtulit.

ANGLIÆ, & SCOTIÆ REGES.

ROmæ in Muſeo Sabbatinio Nummus argenteus viſitur, ad antiquum unum Angliæ Regem pertinens. In antica parte hæc epigraphe legitur: COENVVLF REX. In poſticâ hæ literæ apparent T. A. EA. Johannes Bromtonus pag. 796. editionis Londinenſis, ſcribit, Sigeberto Weſtſaxonum Rege expulſo, Anno Chriſti DCCLXIV. *ejus loco Kenwolfum, juvenem egregium de Regia ſtirpe oriundum, in Regem ſuper Populum Weſtſaxiæ fuiſſe electum*. Verùm non hic in Nummo deſignatus mihi creditur, ſed *Coënvulfus* Merciorum in Britannia Rex, qui Anno Chriſti DCCXCVI. imperare cœpit. Simeon Dunelmenſis de Geſtis Regum Anglorum ad eum Annum ſcribit: *Coënulf quoque, pater Sancti Kenelmi Martyris, dehinc diadema Regni Merciorum ſuſcepit glorioſe, tenuitque invictâ virtute, potenti vigore ſui potentatus*. Hic inter Merciorum Reges Decimus quinctus fuit, & annos vigintiquatuor regnavit. Apud Hickeſium in Part. III. Theſauri Linguarum Septemtrionalium, inter Nummos a Coënvulfo iſto percuſſos, unus conſpicitur perquam ſimilis a me nunc producto. In poſticâ eſt eadem figura triangularis, diverſæ tamen ſunt literæ interpoſitæ.

Juvat etiam addere duos Nummos ad vetuſtos Reges Anglo Saxones ſpectantes, & Romæ adſervatos in Muſeo eruditiſſimi Equitis Franciſci Victorii. In priore legitur COENVVLF REX. Poſtica præfert has literas A. ω. EA. In altero habetur hæc epigraphe: OFFA REX. Poſtica exhibet: EDELVAL. Sed quando Anglicos veteres Nummos illuſtravit *Fountaine* in Diſſertatione editâ ab Hickeſio, nihil aliud ſubjungam.

Quan-

Digitized by Google

Quartum Nummum argenteum Ticini adſervatum, ad me miſit, quum vivebat, Clariſs. olim Monachus Benedictinus Don Gaſpar Berettus. Ibi cernitur caput Regis cum circumpoſita Inſcriptione: HENRICVS D. G. AGL. FRA. ET HIB. REX. ideſt *Henricus Dei gratiâ Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Rex*. In poſticâ exhibetur inſigne Regum Angliæ cum literis POSVI DEVM ADIVTOREM MEVM. Ad quemnam ex Henricis Regibus ſpectet Nummus, eruditi Britanni decernant.

Quinctum ab eodem olim peramico viro Beretto accepi. Regis caput ibi viſitur cum Inſcriptione: IACOBVS. DEI. GRA*tiâ*. REX SCOTORVM. In altera parte Crux cum duplici epigraphe, e quibus una his verbis conſtat: DEVS. PROTECTOR. MEVS. ET. LIBERATOR. Non unus fuit Sæculo Chriſti Decimoquincto Scotorum Rex Jacobus: quinam ex iis deſignetur, ignotum mihi.

ARAGONIA & NAVARRA.

IN Muſeo Chiappinio argenteus Nummus exſtat, caput Regis cum Inſcriptione exhibens: FERDINANDVS ..... In averſa parte CIVITAS BARCHINONA.

Alterum Nummum argenteum, Mutinæ adſervat nepos meus Johannes Franciſcus de Solis, & ex argento ac ære conflatum poſſidet in ſuo Muſeo Bertachinius. Cernitur in ejus anticâ inſigne cum literis circumductis: FERRANDVS ..... AVAR..... ideſt *Rex Navarræ*. In poſticâ alterum inſigne cum literis attritis. Hunc ad Ferdinandum V. Catholicum Aragoniæ Regem pertinere opinor. Fortaſſis & præcedens Nummus ad ipſum ſpectat.

BOËMIA.

JOhannes Boëmiæ Rex Primus, Henrici VII. Auguſti filius, & Caroli IV. Auguſti pater, non minus in Germanicâ & Gallicâ, quàm Italicâ Hiſtoriâ perquam celebris evaſit Sæculo Chriſti Decimo quarto. Ad eum pertinet Nummus argenteus, Bononiæ adſervatus a præclariſſimo Marchione Johanne Paulo de Pepulis. In antica viſitur Corona, & in circulo minori hæc epigraphe: IOHANNES: PRIMVS; in ſuperiori verò hæc altera: DEI: GRATIA: REX: BOEMIE. In poſtica Leo, cum literis: PRAGENSIS: GROSSI.

CHIO INSULA.

ESt mihi argenteus Nummus, multæ, ni mihi blandior, raritatis. In area Crux cum epigraphe in limbo CONRADVS REX Romanorum. In averſa parte proſpectus Urbis turritæ, cui alis extenſis Aquila coronata ſupereminet. Additur Inſcriptio: CIVITAS CHII. Rarum profectò eſt, in Inſulam Chios fuiſſe jus aliquod Romanorum Regibus, ſive Auguſtis. Percuſſum verò fuiſſe hunc Nummum mihi perſuadeo Anno Chriſti MCXLVII. quo nimirum tempore Conradus II., ſeu III. Romanorum Rex copioſo, ſed infelici exercitu expeditionem ſacram in Orientem ſuſcepit, de qua Otto Friſingenſis, aliique ejus temporis Hiſtorici ſcripſere. Tunc aut erepta Græcis eſt Chios, aut Populus ipſe, quieti ac ſecuritati propriæ conſulens, ſponte ſe dedit Conrado, atque in rei memoriam percuſſus eſt Nummus.

CLARENTIA.


PLacentiæ in Muſeo Chiappinio duplex Nummus ad *Clarentiam* ſpectans adſervatur. In primo argenteo exhibetur eadem figura, quæ in Nummis Ludovici Sancti Francorum Regis, aliorumque ejus ſucceſſorum apparet. Per eam ſignificari compedum formam, quibus in Africa Sanctus Rex conſtrictus fuit, Johannes Villanius hiſtoricus Florentinus memoriæ prodidit. Alii ichnographiam Caſtri Turriti illic exprimi cenſuerunt. Rem in medio reliquit Le-Blancus in Tractatu Hiſtorico Nummorum Francicorum. At ſecundam opinionem minime amplectendam prodent, quæ infra ſubjiciam. Illud perſpicuum eſt, Turonenſes Nummos tunc eâdem figurâ inſignitos fuiſſe, eamque diu retinuiſſe. In Nummo noſtro circumducta legitur hæc Inſcriptio: DE CLARENTIA. In poſtica cernitur Crux, circum quam hæ literæ S. SABACCIO ..... EPS. ideſt *Epiſcopus*.

Alter Nummus æreus anticam ſimilem præcedenti oſtendit. In poſticâ legitur CIV*itas* FLORENS. Duplex autem *Clarentia* nobis occurrit. Altera in magnæ Britanniæ Regno, Oppidum videlicet in regione Suffolciæ. Celebris in Italia fuit Leonellus, ſive Leonettus Dux Clarentiæ, Regis Angliæ filius, qui Anno Chriſti MCCCLXVIII. Violantem Galeatii II. Vicecomitis filiam ſolenni apparatu uxorem duxit: qua de re plura habemus apud Hiſtoricos


Digitized by Google

REGUM ANGLIÆ, ET SCOTIÆ.


I



II




III



IV



V



ARAGONIÆ, ET NAVARRÆ.

I



II



BOEMIÆ.




Digitized by Google

CHII INSULÆ.




CLARENTIÆ.

I




II




REGUM FRANCORUM.

I




IV



II



V



III



VI




Digitized by Google











HUNGARIÆ.



RAGUSII.



RE-

Digitized by Google


REGUM SCLAVONIÆ.



REGUM SERVIÆ.



TERGESTIS, ET EPISCOPORUM TERGESTINORUM.



Digitized by Google

cos Mediolanenſes. Alteram Clarentiam, Ducatus quoque titulo inſignem, olim Peloponneſus numerabat, quam nonnulli antiquam Cyllenem ſunt arbitrati. Ad hanc Civitatem potiùs referendum eſſe Nummum conjectura mea inclinat, quum ei dominarentur olim ſui Principes, ſeu Duces, ex Gallorum (uti opinor) ſtirpe progeniti. Vidi & alterum Nummum in eodem Muſeo Chiappinio, Turonenſium ſimilitudinem præferentem, ſed litteris adeo attritis, ut ab eo evulgando abſtinuerim. Ibi tantùm ſupererant hæ literæ ..... X... ATENES; ac proinde ſuſpicatus fui, Sæculo Chriſti Decimo quarto a Gualterio Athenarum Duce famoſo, quem Florentini improvide ſibi Dominum conſtitutum, provide tamdem dejecere, aut ab ejus majoribus percuſſum. Iſti quoque Athenarum Duces e gente Gallica prodierunt.

In Muſeo Bertacchinio Mutinæ adſervatur item argenteus Nummus, in cujus anticâ, ad Turonenſium formam effigiatâ, legitur tantum CLARENTIA. Inſcriptio poſticæ periit.

FRANCORUM REGES.

EGregie Hiſtoriam Nummariam Regum Francorum a Du-Cangio, ſed præſertim a Le-Blanco pertractatam habemus. Attamen quæ pauca ſe mihi obtulerint, in hanc rem proferre non incongruum puto.

Romæ in Muſeo doctiſſimi Equitis Franciſci Victorii Nummus argenteus exſtitit, quem ad *Carolum Magnum* ſpectare prorſus mihi perſuadeo. Eumque lubentius profero, quòd ignotum animadverterim Le-Blanco, de Nummis Regum Francorum optime merito. In una facie legitur CAROLVS. In altera verò DNS. *Dominus*. In Italia-ne, an in Gallia, percuſſus fuerit hic Nummus, quove tempore ex officina Monetaria prodierit, non liquet.

Secundum Nummum argenteum, nulla ex parte attritum, viſendum mihi obtulit ſæpe laudatus Reverendiſſimus Chiappinius Abbas. Perquam ſimilem exhibuerat antea Le-Blancus. In anticâ leguntur literæ CAROLVS. In poſticâ ReX FrancorVM: ita ut cuſus videatur Nummus ante Annum Chriſti DCCLXXIV. hoc eſt, antequam Carolus Francorum Regno Langobardicum addiderit.

Tertium argenteum poſſideo ego, in cujus antica iſtud Monogramma apparet: CRLS, nempe *Carolus*, vel *Carlus*. In limbo legitur ME-TVLLO. Le-Blancus de Nummis Caroli Magni agens, teſtis eſt *Metullum* occurrere in ejuſdem Caroli, Ludovici Pii, & Caroli Calvi Nummis; & poſt Sirmondum, atque Henricum Valeſium, ſignificari hoc nomine putat *Mellum* Pictavienſis Provinciæ Oppidum, ſeu vicum. Ego in hoc Nummo aperte video lineolam diviſionis interpoſitam inter ME, & TVLLO, ita ut ſuſpicioni locus ſuperſit, *Tullum* Leucorum, celebrem Galliæ Belgicæ Urbem, illic memorari. In poſticâ Crux cum literis CARLVS REX FR*ancorum*. Magnumne Carolum, an Carolum Calvum ejus nepotem Inſcriptio hæc deſignet, ſtatuendum minime ſumo.

Quartus Nummus argenteus, majoris moduli, ſed laminæ ſubtiliſſimæ, Mediolani adſervatur penes præclariſſimum virum Marchionem Theodorum Alexandrum Trivultium. Anticam Crux implet, cum circumductâ Inſcriptione HCAROLVS IMPER*ator*. In poſticâ proſpectus Templi, cum literis circumpoſitis XRISTIANA RELIGIO. Ejuſmodi epigraphe uſi ſunt Carolus Magnus, Carolus Calvus, & Carolus Craſſus: quare incertum, ad quemnam ex hiſce tribus Imperatoribus Nummus ſit referendus. Quod heic mirere, Caroli nomen cum H. præpoſito ſcriptum fuit; cujus rei nullum exemplum vidi apud Le-Blancum.

Quinctum argenteum poſſidet Mutinæ vir nobilis Maximilianus Cappellus. Ibi Crux in area, & in circuitu literæ iſtæ: HLVDoVVICVS IMP*erator*. In poſticâ Crux, & in limbo: VENEcIAS. Similem huic Nummo Le-Blancus protulit. Percuſſus autem fuit in Civitate Galliæ Celticæ, ſeu minoris Britanniæ, quam nunc *Vannes* appellant, ſub Ludovico Pio Auguſto, circiter Annum Chriſti DCCCXX. Similem Canonicus Bertoli in Collectione MSta Marmorum Aquilejenſium ſe vidiſſe teſtatur.

Sextus Nummus argenteus eſt Turonenſis a Sancto Rege Francorum Ludovico IX. percuſſus. Non unum ex his Mutinæ vidi, hoc eſt apud nobilem virum Marchionem Bonifacium Rangonium, Comitem Aſcanium Fontana, Johannem Baptiſtam Ingonium, alioſque. Anticam Crux occupat cum duplici Inſcriptione, hoc eſt: LVDOVICVS REX. & B NoDICTV*m* SIT NOME*n* Dom*i*NI N*oſt*RI DEI IEsV XPI*ſti*. In poſticâ legitur TVRONVS CIVIS, ideſt *Civitas*, & in area viſitur figura, quam ſupra innui, ita compoſita, ut Caſtri turriti ichnographiam referre nunquam poſſit: quod nonnulli ex Gallicis Scriptoribus ſunt opinati. Quare veri ſimilior mihi creditur ſententia Johannis Villanii Florentini Hiſtorici, ſcribentis Lib. 6. Cap. 36., ubi de captivitate

Sancti Ludovici agit : *Per ricordanza della detta preſura, acciocchè vendetta ne foſſe fatta o per lui, o per li ſuoi Baroni, il detto Re Luis fece fare nella Moneta del Torneſe groſſo, da lato della Pila, le bove da prigioni*, ideſt *Compedes*. Le Blanco tamen minime probatur ejuſmodi opinio. Neque prætermittam, me occaſione iſta reperiſſe multos Turonenſes adulterinos, ſub nomine S. Ludovici cuſos. Quod ab impoſtoribus factum, ut in ſuam rem converterent piam cupiditatem gentis, ejuſmodi Nummos ſollicite conquirentis. Ex hiſce ſuppoſitis fœtibus unum vidi, referentem etypon nuper deſcriptum, ſed cum Inſcriptione hac perperam exaratâ, & impoſturam ipſam ſatis prodente, nimirum : BNDICTV SIT NVOE DNI PRI DEI IIX.

Septimum Nummum itidem exhibeo, quem ſpurium cenſeo. Quid diſcriminis ſit inter Inſcriptionem, quam in germani Nummi limbo nuper legebamus, & iſtam, Lector, vel me tacente, dignoſcet. In poſtica conſpicitur effigies Salvatoris, cum inſtrumentis ſuæ paſſionis, & cum circumpoſitis his verbis : POPVLE MEVS QVID FECI TIBI ? Forma etiam characterum nimium differt a ſinceris Sancti Ludovici Nummis.

Octavum argenteum, Turonenſem & ipſum majoris moduli, Mutinæ poſſident prælaudatus Marchio Bonifacius Rangonius, Comes Proſper Vigaranius, Franciſcus Moranius, aliique. In antica ſimilis eſt Nummis Sancti Ludovici, niſi quod pro ejus nomine præfert : PHILIPPVS REX. Poſticæ ectypon idem eſt. Le-Blancus hunc Nummum tribuit *Philippo Pulcro*, qui Anno Chriſti MCCLXXXV. regnare cœpit. Mihi veri videtur ſimilius, tribuendum eſſe *Philippo Audaci*, ejuſdem Sancti Ludovici filio, qui Anno Chriſti MCCLXX in expeditione ſacrâ & ipſe exſiſtens, parenti defuncto ſucceſſit. Hoſce Nummos quoque ſuſpenſos ad collum puerorum non ſemel vidi, quod parem cum Nummis Sancti Ludovici typum gerant ; vulgus autem unum ab altero ob characterum difficultatem diſtinguere nequeat.

Nonus argenteus, Mutinæ penes Comitem Proſperum Vigarani, Aquilam alis expanſis in area exhibet, cum Inſcriptione MONETA NOVA. In averſa parte viſitur Crux. Ex epigraphes literis attritis hæ tantùm ſuperſunt : TVRONVS ..... SIT NOM..... Nullum huic ſimilem apud Le-Blancum vidi. Celebres olim fuere Turonenſes Nummi.

Decimus argenteus Nummus, Mutinæ apud Nobilem virum Camillum Hieronymum Valentinium exſiſtens, in antica Crucem habet cum duobus Liliis in angulis, & epigraphe : PHILIPPVS. REX. FRANCO*rum*, & *Benedictum ſit nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti*. In poſticæ area cernitur Corona, & ſubtus FRANCO. PHI. & in interiori limbo : PARISIVS. CIVIS. ARGENTI. Pertinet hic Nummus ad *Philippum Valeſium*, qui Anno Chriſti MCCCXXVII. regnare cœpit. Le-Blanco teſte ejuſmodi Solidi appellabantur *les Pariſis d'argent*.

Undecimum Nummum aureum adſervat Mutinæ Bartholomæus Solianus Typographus. Ibi in antica viſitur inſigne Regum Francorum cum duobus herinaceis, ſeu hiſtricibus hinc inde, & Epigraphe LVDOVICVS. DEI. GRACIA. REX. FRANCORVM. In poſtica Crux cum duobus L. ac duobus herinaceis in angulis, & Inſcriptione XPVS. VINCIT. XPVS. REGNAT. XPVS. IMPERAT. Nummum hunc *Ludovico XII. Francorum Regi* Le-Blancus tribuit. Sed & *Ludovicus XI.* eâdem epigraphe eſt uſus.

HUNGARIA.

UNum tantummodo Nummum aureum vidi in Muſeo Bertacchinio ad Hungariam ſpectantem. Inde verò mos proceſſit appellandi apud nos Ducatos aureos *Hungaros*. Ibi conſpicitur effigies Virginis cum Chriſto puero in ulnis, & Inſcriptione MATHIAS D. G. R. ideſt *Dei gratiâ Rex* VNGARIE. Is eſt celeberrimus Hungariæ Rex *Mathias Corvinus*, qui ab Anno Chriſti MCCCCLIX. uſque ad MCCCCXC. famam ſui nominis, rebus geſtis ac virtutibus late propagavit. In averſa parte imago Sancti viri, alabardam manu tenentis, cum circumpoſitis literis S. LADISLAVS REX.


RAGUSIUM.

MUtinæ in Muſeo Bertacchinio, & apud nepotem meum Johannem Franciſcum de Solis J. U. D. adſervantur duo Nummi a Raguſina Republica in orâ Delmatiæ percuſſi, parum abſimiles. Ibi ſe offert effigies Epiſcopi Sancti cum epigraphe S BLASIVS RAGVSII. In altera parte imago Salvatoris caput Epiſcopi in gremio tenentis cum literis Græcis IC. XC. hoc eſt, *Jeſus Chriſtus*.

SCLA-

Digitized by Google

VII



VIII




IX



COMITUM TIROLIS.


I




III



II



IV




V



TREVERI.

I



II



MA-

Digitized by Google

Tab. LXXXIV.

MAGNI MAGISTRI EQUITUM RHODIORUM.




INCERTI NUMMI.

I



II



Digitized by Google

SCLAVONIÆ REGES.

GEminos argenteos Nummos infimæ formæ in eximio ſuo Muſeo adſervat V. Clar. Apoſtolus Zenus, mihi ſæpius laudatus. Hos mihi legendos humaniſſime dedit. In primo viſitur Canis venaticus, ſeu potius Vulpes; ſupra & infra duæ Stellæ: in limbo epigraphe: MONETA REGIS ✠ SCLAVONIA. In averſa parte Crux duplex; hinc Stella, inde Luna; ſubtus duo capita coronata: uni R. alteri L. ſuperſtat.

In altero Nummo antica idem ectypon gerit cum Inſcriptione REX SCLAVONIE. Idem quoque ectypon in poſtica, ſed nullis literis additis. Non ultra initium Sæculi a Chriſto nato Tertiidecimi, Sclavi ſuos Reges habuiſſe traduntur: cui opinioni non facile ſubſcribam. Sed quum me heic Libri deficiant, malo rem intactam aliis dimittere, quàm temere in Hiſtoriam mihi ignotam ingredi. Itaque aliorum erit inquirere, quo tempore, & ſub quibus Regibus argentei iſti Nummi fuerint ſignati.

SERVIÆ REGES.

APud Comitem Johannem Baptiſtam Scalabrinium, patricium Mutinenſem, & apud honeſtum Civem Johannem Carnevalium viſitur Nummus argenteus ab formam Venetorum cuſus. Ibi imago Sancti viri porrigentis vexillum Regi, cum Inſcriptione VROSIVS REX. S. STEFAN. In poſticâ Redemtoris noſtri effigies, ſedentis ſuper Cathedra, cum literis Græcis IC. XC. nempe *Jeſus Chriſtus*. Duo autem Uroſii Reges Serviæ dominati ſunt; uter ex his deſignetur, incertum eſt. Veri tamen ſimilius eſt, Nummum referendum eſſe ad *Uroſium* cognomento *Sanctum*, vulgo *Miluti-num*, qui diem ſuum obiiſſe traditur Anno Chriſti MCCCXXI.

TIROLIS COMITES.

SUnt mihi duo Nummi argentei conſimiles; pares etiam Mutinæ poſſidentur ab amicis viris Jacobo Creſpio Sacerdote, & Bartholomæo Soliano; uti & Placentiæ adſervatur ſimilis in Muſeo Chiappinio, & Venetiis in Muſeo Cl. V. Apoſtoli Zeni. Crux ibi aream occupat, & in limbo legitur MEINARDVS. In poſticâ Aquila alis expanſis, & epigraphe: COMES TIROLI. Floruit *Meinardus* iſte, alterius Meinardi filius, Tirolis Comes, declinante Sæculo Chriſti Decimo tertio; cujus filiâ Eliſabethâ in uxorem ductâ, Albertus Auſtriæ Dux, poſtea Cæſar, ad Tirolenſis Comitatus dominationem aditum Sæculo ſubſequenti ſuis poſteris aperuit.

Secundus argenteus deauratus, in Muſeo Bertacchinio adſervatus, ad eumdem Meinardum omnino referendus videtur, quum idem ſit in utraque facie ectypon. COMES TIROLI ibi legitur. In averſa parte Inſcriptio mancas literas retinet: M. . . . . DVX . . . . . ILLVSTRIS, quas ita ſupplendas opinor: *Meinardus Dux Carinthiæ Illuſtris*. Idem quippe Meinardus Carinthiæ Ducatu auctus fuit.

Tertius argenteus, Mutinæ in eodem Muſeo exſiſtens, & penes prælaudatum Comitem Scalabrinium, uti & apud Joſeph Mariam Cattaneum, Aquilam exhibet hiſce literis circumornatam: COMES TIROLI. Averſæ faciei aream Crux implet cum epigraphe: DE MARANO, tunc Tirolenſis Comitatus Oppido, ubi Nummus percuſſus.

Quartum argenteum, Placentiæ poſſidet Reverendiſs. Chiappinius. Crux ibi, ut in Nummis Meinardi, cum Inſcriptione SIGISMVNDVS. Et in averſa parte Aquila, & COMES TIROLI. Is eſt *Sigiſmundus Auſtriacus*, qui Anno Chriſti MCCCCLXXV. Tirolenſi Comitatui dominabatur.

Quinctus denique argenteus, Mutinæ in Muſeo Bertacchinio, literas attritas oſtendit, e quibus iſtæ ſuperſunt: ARCHIDVX AVSTRIE. In poſtica Crux, & in angulis quatuor varia inſignia cum epigraphe GROSsus COMITIS TIROLI.

TERGESTE.

CArnorum, nunc Hiſtriæ Civitas, *Tergeſte*, Romanorum olim Colonia, Reipublicæ & Monetæ juribus olim fruebatur. Nummos ad eam ſpectantes nonnullos proferam, quos jampridem ſummo ſtudio collegerat Veronenſis Urbis decus Franciſcus Blanchinius. Ex hujus Schedis, in ſuum Muſeum inlatis, peramicus Johannes Franciſcus Muſellius, Cathedralis Veronenſis Archipresbyter, hoſce mihi ſuppeditavit.

Primus Nummus faciem Urbis exhibet, cum literis in circuitu: CIVITAS TERGESTVM. In poſtica literæ SANTVS. IVSTVS, Martyr videlicet, illiuſque Civitatis Patronus.

Tergeſtini verò Epiſcopi diu quoque eidem Urbi ſunt dominati, ac Monetæ privilegio uſi.

Propte-

Digitized by Google

Propterea occurrunt etiam Nummi ab ipsis percussi. Secundus ergo Nummus, in eodem Museo adservatus, effigiem Episcopi præfert cum Epigraphe: CIVARDVS EP*iscopus*. In aversa facie Agnus cum duabus Crucibus & literis: CIVITAS TERGESTVM. Quo tempore floruerit hic Præsul, incompertum mihi est; isque Ughellio Tom. V. Italiæ Sacræ ignotus fuit.

Tertius Nummus in eodem Muselliano Museo hisce literis signatus est: CONRADVS. EP*iscopus*, qui Anno Christi MCCXXIII. vixisse ab Ughellio traditur. In postica imago Sancti, ut puto, Justi Martyris, & Inscriptio: CIVITAS. TERGESTVM.

Quartus tam in Museo Lazara Patavii, quàm in Muselliano Veronæ adservatus, hanc epigraphen offert: VOLRICVS. EP*iscopus*. Hunc Ughellius *Odolricum* appellat, ipsumque Ecclesiæ Tergestinæ præfuisse Anno Christi MCCLIII. auctor est. Addit etiam, ipsum Tergestinis vendidisse Castellum Pastorium, *sibi tantùm pro cudendi Monetas jure reservato*. In posticâ visitur prospectus Urbis, cum Inscriptione circumductâ: CIVITAS TERGESTVM.

Quinctus Nummus in eodem Muselliano Museo spectat ad eumdem *Volricum*. Præcedenti similis est, nisi quod in postica ostendit imaginem Sancti Justi Martyris.

Sextus in laudato Museo hanc epigraphen præfert: LEONARDVS EP*iscopus*. Hic ipse, ut arbitror, est, qui ab Ughellio *Leonidas* nuncupatur, & cujus ætatem neque is potuit, neque possum ego indicare Lectori. In postica effigies S. Justi cum literis CIVITAS TERGES*tum*.

Nummi Septimus, Octavus, & Nonus, ex eodem Museo depromti, hisce literis consignati fuere: ARLONGVS EP*iscopus*. In aversis horum Nummorum faciebus symbola diversa cernuntur, nempe duo Sceptra Liliata; Luna & Stella; demum Aquila, cum epigraphe CIVITAS TERGESTVM. Arlongus (si bene calculos iniit Ughellius) fuit electus Anno Christi MCCLIV. & subsequenti ab Alexandro Papa dejectus. Verùm Nummi isti inter se varii, diuturnioris regiminis justam suspicionem injiciunt.

TREVERI.

ADservatur Placentiæ in Museo Chiappinio Nummus aureus, in cujus antica Lilium cum epigraphe CONO AREPS. T. ideſt *Cono* (idem est atque *Conradus*) *Archiepiscopus Treverensis*. In postica effigies Johannis Præcursoris, & Inscriptio S. IOHANNES B*aptista*. Is est *Cono* (eum *Cunonem* appellat Browerus Lib. 16. Annalium Trevirensium) qui Anno Christi MCCCLXII. Cathedram Treverensem implevit, vir multis tum bene, tum male rebus gestis celeberrimus. Animadvertendum autem est, Nummum hunc Florenum esse, ad Florentinorum imitationem cusum. Tanto enim in honore & cursu fuere Floreni aurei primùm percussi a Republica Florentina Anno MCCLII. ut æmulatione, ac invidiâ permoti Principes non pauci, Florenos aureos & ipsi cudere non dubitarint. Qua de re vide, quæ supra innui, dum de Nummis Florentinis egi; uti & quæ in subsequenti Dissertatione adferam. Parum autem nonnullis fuit olim ejusdem ponderis Nummos fabricare, quibus *Floreni* nomen imposuere: quod a Gallis factum. Non defuere, qui ectypon ipsum Floreni Florentini suis indidere Nummis, hoc est Lilium, & effigiem Johannis Baptistæ, mutato tantùm nomine Principis, aut loci. Johannes Villanius Lib. 9. Histor. Cap. 169. queritur de Johanne XXII. Romano Pontifice, quod ejusmodi Florenos cuderit Anno Christi MCCCXXII. Quum verò idem facere aggressi fuissent Marchiones Montisferrati, Spinulæ. Genuenses, aliique Italiæ Principes, idem Pontifex propositâ anathematis pœnâ eosdem ab incepto deterruit Anno MCCCXXIV. Quod hæc ignorarit, ut supra monui, Samuel Guichenonius in Historia Genealogica Regiæ Sabaudiensis Familiæ, proferens Florenum aureum, a me antea productum, scilicet ab Amadeo V. Comite Sabaudiæ paucos ante annos percussum cum typo Floreni Florentini, & epigraphe AM. COMES SABAVDIE, hæc perperam subdidit: *La premiere sorte de Monnoye de ce Prince d'or, du poids de la Pistole d'Italie, ou la Fleur de Lys de Florence, fait croire, qu'elle ayt esté frappée en memoire de quelque Confederation avec la Republique de Florence*. Itaque patere jam potest, cur & Cono, sive Conradus Treverensis Archiepiscopus circiter Annum Christi MCCCLXVI. similem Florenum aureum in sua ditione procuderit.

Alterum Florenum, sive Ducatum aureum adtexo, Mutinæ adservatum in Museo Bertacchinio. Ad quemnam is spectet, nondum deprehendi. Ibi effigies Præcursoris cum literis S. IOHANNES B. In aversa parte Lilium visitur cum literis R. DI. G. P. AVRA. Sed quis hic Princeps? Ignotum mihi. Suspicor tamen,

Digitized by Google

tamen, pertinere posse ad aliquem ex Principibus *Arausionensibus*. Nam *Arausio* Sæculis barbaricis appellata fuit Civitas *Aurasica*, nunc indigenis *Aurange*, & Gallis *Oranges*. Duo *Raimundi* Principes ibi olim dominati.

MAGNI MAGISTRI EQUITUM RHODIORUM.

A Multis Sæculis jure Monetæ fruitur nobilissimus *Ordo Equitum Rhodiorum*, nunc in Insula Melitensi dominantium. Unus tamen eorum Nummus mihi hactenus occurrit, exsistens Bononiæ apud amplissimum virum Johannem Paulum Marchionem de Pepulis. Ibi visuntur Insignia religiosi illius, ac fortissimi Ordinis cum literis in circuitu F. FABRICII. DE. CARRETTO M.MGR.R ideſt *Fratris Fabricii de Carretto Magni Magistri Rhodiorum*. In postica effigies, ut puto, Sancti Johannis Baptistæ, Patroni videlicet Ordinis ejusdem, cum circumpositâ hac Inscriptione: ECCE. AGNVS. DEI. QVI TOLLIS. *Peccata. Mundi.*

INCERTI NUMMI.

DEnique subjiciam, & eruditis divinatoribus explicandum relinquam argenteum Nummum, Mutinæ a me visum penes Comitem Tiberium Riccium Patricium Mutinensem. Ibi Crux cum stella in angulo, & epigraphe aliquantulum manca, ubi legisse mihi visus sum C. cum linea forsitan significante VS. E. VI-TORIAI ..... RA. In aversa facie effigies Episcopi cujusdam. Literæ istæ in limbo supersunt IEPS. ..... DVVT

Alterum etiam accipe, quem debeo præclarissimo, meique amantissimo viro Antonio Scotto, Patricio & Canonico Tarvisino. In altera facie visitur Aquila, circum quam legitur epigraphe NOBILITAS. COMVN. In alterâ Corona Regia conspicitur in area cum literis suppositis FE. Infra nescio num R. an. Asteriscus appareat: quippe Nummus ævo obtritus, characterum formam turbavit. Quid heic dicam, vix habeo. Legendum videtur *Nobilitas Communium Lonbardorum*: & *Federicus*; quasi hic Nummus post pacem Constantiæ percussus spectaret ad Civitates Langobardiæ, quibus Fridericus I. Imperator Libertatem & Regalia concesserat. Verùm ubi hoc statuas, & R. ibi revera legatur, *Regem* significans: Fridericum I. excogitare nequeo; is enim *Imperator* fuerat appellandus. Quod si R. minime ibi locum habere putes, unicum Friderici nomen sine titulo, ab ejus dignitate abhorret. Ad Fridericum II. cui pleraque Communia Lombardorum adversata fuere, vix hæc referenda censeo. Num ergo percussus Nummus priusquam Fridericus I. Coronam, & nomen Augustale acceperit? Verùm eo tempore nondum nata erat *Societas Lombardorum*. Rursus legendum-ne *Rex Lombardorum*? Sed quid tunc significabit *Nobilitas Comun*? Ii, quibus melior est ingenii, aut oculorum acies in legendâ epigraphe illâ, felicius hæc interpretentur.

EN ergo Principes & Urbes Italiæ, aut exteri etiam Principes, quorum Nummi hactenus se se mihi obtulerunt. Profectò fuerunt & aliæ Civitates liberæ, aliique Principes, immo Toparchæ minorum locorum, quibus licuit suo nomine signare pecuniam, quum facillime olim privilegia ab Augustis profunderentur, atque a Proceribus Vassallis emerentur. Sed quos ego Nummos non protuli, aliorum diligentia felicior aliquando in lucem advocabit. Ceterum nescio, an sint, qui sibi persuadeant, vetustis, ac barbaricis temporibus in usu fuisse *aureum* tantummodo & *argenteam* pecuniam. Certe perspicuum est, desideratum numquam fuisse triplex pecuniæ genus, *aureum* nempe, *argenteam*, ac *æreum*. Nam si postrema hæc minime usurpata fuisset, grave nimis incommodum publico commercio, & necessitati Populorum inlatum fuisset. Quei enim in comparandis Cibis, innumerisque levis pretii rebus, se gessisset Populus, si ærei Nummi neutiquam in usu exstitissent? Romanorum ærea pecunia vel rusticis nota est, quum subinde in agris eam effodiant. Propterea sæpe in antiquis Inscriptionibus occurrunt vulgatæ illæ literæ A. A. A. F. F. ideſt ut Eruditi recte interpretantur *Auro*, *Argento*, *Ære flando*, *feriundo*. Quem morem Gothi quoque Reges in Italia retinuere. Cassiodorium consule Lib. 7. Variar. num. 32., ubi sub nomine Theoderici Regis Formulam, *qua Moneta* (ideſt Italice *la Zecca*) *committitur*, nobis hisce verbis exhibet: *Auri flamma nullâ injuriâ permixtionis albescat. Argenti color gratiâ candoris arrideat. Æris rubor in nativa qualitate permaneat &c. Pondus quin etiam constitutum Denariis præcipimus debere servari.* Illud quidem difficile statuas, quo tempore invecta fuerit pecunia ex ære & argento commixto conflata, quam Galli *Billon* appellant. Certe per Sæcula multa aurum *obryzum*, *obryzatum*, *optimum*, *purum*, *probatum*, *coctum &c.* uti in contra-

Digitized by Google

ctuum Chartis, ac Diplomatibus, ita in Monetaria officina memoratum audimus. Argentum verò purum atque optimum eâdem Principum curâ in Denariis cudendis adhibitum videtur. Attamen, an aurum dumtaxat, argentumque purum atque probatum in usu fuerit Langobardis Regibus, & Francis Augustis, primisque Germanis in Italia imperantibus, decernere ego non ausim. Pecuniam quippe ex argento & ære conflatam sub Constantio Imperatore Anno Christi CCCXLIX. reperio in Lege VI. Lib. 9. Titul. 21. Codicis Theodosiani, ubi damnantur *Flaturarii*, qui *Majorinam pecuniam, separato argento ab ære, purgabant*. Vide in eam Legem Gothofredi Notas. An religiosiores hac in re fuerint Reges & Imperatores, ad nos e Septemtrione devecti, malo aliis judicandum relinquere. Quod solùm animadvertisse mihi videor, post Sæculum Decimum aut Undecimum a Christo nato, Italica pecunia ab antiqua puritate declinare sensim cœpit, ad enormem postea perturbationem prolapsa, quam & tempora nostra conspiciunt & dolent. Porro illud certissimum, nullum, ut ita dicam, tempus fuisse, quo impostoribus atque insidiatoribus res Nummaria caruerit. Fere semper, inquam, numerati sunt, qui aurum argentumve extra publicam Monetam sine Principis venia signare non sunt veriti, uti & qui pecuniam immixto vilioris pretii metallo adulterare, aut germanam detondere atque arrodere sunt ausi. Hac de re in subsequenti Dissertatione sermo recurret. Propterea ad dignoscendam falsam, aut minus pensantem pecuniam constituti olim quoque fuere periti homines, qui Nummismata ad examen revocabant. Nos appellamus *Saggiatori*; ipsum verò examen *Saggio*. Cujus vocis originem, liceat mihi dicere, minime assequutus est Ægidius Menagius, vir alioquin eruditissimus inter Gallicos Scriptores, cui debemus Italicæ Linguæ Origines, & Italico quidem sermone conscriptas. *Assaggiare*, inquit ille, *viene dalla particella Ad, e dal nome Sapor. Sapor, Sapos, Sapus, Sapa. Sapa, Sapagium, Sapagiare, Sapgiare, Sagiare, Assagiare*. Hinc autem ortum ait *Saggiare, Saggiatore, &c.* Nihil magis a veritate alienum. Nos habemus *Assaporare* compositum a *Sapor*, præpositum *Ad*, vel *Ab*. Diversa omnino est alterius vocis origo. Itaque nostrum *Saggio* pro *examen*, sive *experimentum*, non aliunde profectum, nisi ab *Exagium* perantiquâ voce Latinâ. Eâdem ratione *Examen*, de apibus, aliisque insectis, convertimus in *Sciame*. In Nummo Honorii Augusti apud Du-Cangium legitur EXAGIVM SOLIDI. cum Dea Moneta ac bilance: quod Italice redderes *Saggio del Soldo*. Theodosius autem Junior in Novella *de Pretio Solidi* hæc habet: *De ponderibus quoque, ut fraus penitus amputetur, a nobis aguntur EXAGIA, quæ sine fraude debeant custodiri*. Nos dicimus *fare il Saggio di qualche Moneta*. Immo & ad alias res transtulimus, uti *fare il Saggio del Vino*, aut aliorum liquorum, quum nempe in examen adducitur eorum vis, sapor, puritas, &c. Usi autem sunt *Exagii* vocabulo Sanctus Zeno Sermone 6. ad Neophytos, Cassianus Collatione primâ Cap. 22. Edictum Aproniani Præfecti Urbis apud Gruterum, pag. 647. num. 6. ut alios omittam. Et quidem derivatum est *Exagium* ab *Ex* & *Ago*, unde etiam *Exactor, Exactio, Exactus*, & *Exigo*. Latini quippe dixerunt *Exigere ad normam, Exigere ad veritatem*, hoc est, pensare, explorare, examinare, an aliquid verum sit, an aliquid ad rectam normam sit compositum.

Atque hæc de Sæculorum barbaricorum Moneta dixisse juvat. Unum dumtaxat addam, Donizonem videlicet Lib I. Cap. 2. Vitæ Mathildis Comitissæ, dum de Athone ejus proavo loquitur, ac de Reliquiis ab eo Canossinum Monasterium delatis, hæc scribere:

„ *Relliquias alias dedit illi Brixia magna;*
„ *Nam caput ac humerum dextrum, pariterque*
„ *lacertum*
„ *Hujus Apolloni vehementer honorificandi*
„ *Offert gratis ei. Gothofredus Episcopus egit*
„ *Hoc, quia de lumbis erat hortus Principis*
„ *hujus.*
„ *Hic Præsul sacram reseravit corporis arcam,*
„ *Ac secuit membra, cruor & mox prodiit extra.*
„ *Unde bonus Princeps valde miratus, eidem*
„ *Continuò terræ propriæ, decimamque Monetæ*
„ *Vovit &c.*

Quid significare velit Donizo, decernere non ausim. Quippe jus Monetæ Athoni Comiti temporibus iis, hoc est Sæculo Christi Decimo, fuisse concessum ab Ottonibus Augustis, difficile ad credendum inducar, nisi exempla paris facultatis apud Italos exarentur. *Moneta* heic pro *Pecunia* usurpata videtur.

DE

Digitized by Google

DE DIVERSIS PECUNIÆ GENERIBUS,

QUÆ APUD VETERES IN USU FUERE,

DISSERTATIO

CLARISSIMI VIRI

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE DIVERSIS PECUNIÆ GENERIBUS *DISSERTATIO.*

QUam ego nunc mihi propono materiem, levi brachio, utique fateor, ſum pertractaturus; Argumentum enim perquam vaſtum plus otii exigeret, atque in juſtum Librum excreſcere facile poſſet. Ut ergo aliquam Lector habeat notitiam Pecuniæ, quæ barbaricis Seculis in uſu fuit, hæc pauca ediſſeram. Uti apud Romanos, ita & apud Italicos Reges Gothos, Langobardos, Francos, & Germanos, triplici pecuniæ ſpecie publicum commercium peragebatur, *aureâ* ſcilicet, *argenteâ*, atque *æreâ*, uti in præcedenti Diſſertatione ex Caſſiodorii verbis oſtendi. Aliquando etiam fuerunt & Nummi, quales ævo noſtro, ex ære & argento mixto conflati. Nullum autem uſitatius nummorum genus antiquitus fuit, quàm *Solidorum*. Erant Aurei primo; deinde fuerunt & Argentei; eorumque appellatio ante Conſtantini Magni tempora invaluit. Vide Codicem Theodoſianum. Ibi non una in Lege *Solidorum* mentio habetur. Ibique de eorum pondere & æſtimatione non ſemel agitur. Certum eſt, tunc nonniſi Aureos fuiſſe: idque evincunt diſerta Imperatorum verba. Quare qui Solidum tunc dicebat, *Aureum* ſignificabat. In Libello *de Menſuris* antiqui Scriptoris Anonymi apud Goëſium, inter Scriptores de Re Agraria, legitur: *Duodecim unciæ Libram, viginti Solidos continentem, efficiunt. Sed veteres Solidum, qui nunc Aureus dicitur, nuncupabant.* Et diu quidem perduravit in Italia Solidorum, ſive Aureorum nomen & uſus. An & ipſi Langobardi Reges in ſuis Legibus ad infligendam pœnam Legum contemtoribus paſſim Solidorum nomine uſi, *Aureos* ſignificarint, incertum eſt mihi. Certum contra arbitror, Langobardis quoque regnantibus fuiſſe Solidos ex auro in Italia uſurpatos. Cujus rei teſtem habeo nobilem Chartam, quam ego olim ex inſigni Archivo Lucenſis Archiepiſcopii deſcribebam, ubi (quod eſt in tanta antiquitate rarum apud Italos) autographa membrana adſervatur. Ibi verò fit mentio *Walperti glorioſi Ducis*, cujus auctoritas incertum eſt, num in Urbe & Comitatu Lucenſi concluderetur, an etiam ſe protenderet ſuper univerſam Tuſciam Langobardorum, cujus caput Luca fuit. Hac de re vide Diſſertationem V. *de Ducibus*.

Venditio domus ac terrarum facta Walperto Duci Urbis Lucenſis a Lupo Viro Honorabili, Anno 736.

IN nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Regnante Domno noſtro Liutprand viro excellentiſſimo Rege Anno Regni ejus Vicenſimo Quarto, & precellentiſſimo Nepote ejus Domno noſtro Hilprand Rege Anno Primo, Menſe Martio, Indictione IV. Conſtat, me Lupo Vir Honorabilis vinditor, filio quondam Audoald, habitatore Caſtello Urſi, ideo hac die vendidiſſit, tradedit & tradidiſſit & tradedit vobis Domo Walpert glorioſo Duci *per Miſſo veſtro Fuſio, ideſt Caſa ubi manere videor, res . . . . . ancillas, vineis, campis, ſilvis, cultum adque incultum, mobile vel inmobile, omnia & ex omnibus, de quantam ad manum mea habere viſus ſum in integrum vobis tradedit & ſuſcepit ad vos Domno Walpert glorioſo Duci pro Miſſo veſtro Fuſio pretium placitum & definitum* Auri Solidos vigenti, ... *in dominio & in veſtra, cui ſupra tradedimus eſſe poteſtatem poſſedendum . . . . . abeas, teneas, atque poſſedeas, ed ad tuos poſteros derelinquendum liveram habeas poteſtatem. Et quod non credo, ſi ego Lupo Vir Honorabilis vinditer,*

tor, seu heridibus . . . . . aliqua soposita persona vobis ipsa vinditionem subtragere voluerit, vobis eam menime defensare non potuerimus seu heredibus meis, componet vobis vel ad heredibus vestris dubla conditionem meliorata rem & cartula vinditionis in sua permaneat firmitatem. Quam verò cartula vinditionis mee Deodati Notario rescrevendam rogavi, & super manum meam proprium Sancte Crucis signum fecit, & testes ut subscriverent vel signum facerent conrogavit . . . . . in Mense suprascripto per Indictione suprascripta.

✠ *Signum Lopi . . . . vinditori qui . . . .*

✠ *Signum manus Teupertum filio quondam Rachis de Luca testis.*

Ego Deodatus Notarius hanc cartulam vinditionis post traditam complevit & dedit.

Uti jampridem Florentinius in Monument. Comitissæ Mathildis animadvertit, & post eum Pagius in Critic. Baron. ex hisce notis Chronologicis elucet, *Hilprandum*, sive *Hildeprandum*, *Liutprandi Regis Nepotem*, non Anno DCCXL. (quod Sigonius tradidit) sed quidem Anno DCCXXXVI. seu potius DCCXXXV. consortem Regni fuisse datum Liutprando Regi. Quæstionem hanc fusius a me agitatam habes in Dissertatione XIV. *de Servis*. Heic autem memoratos videmus *auri Solidos viginti*. Testantem quoque habeo Grimaldum infra laudandum, in Vaticana Bibliotheca Instrumentum adservari antiquissimum in papyro Ægyptiaca scriptum, qui Clarissimum Virum Marchionem Scipionem Maffejum fugit, ubi commemorantur *aures Solidi, dominici, probati, obrizati, optimi, pensantes, integri ponderis, singulares numero, super venditione sex unciarum fundi Geniciani. Actum Ravennæ per Julianum Forum Civitatis Ravennæ Scriptorem. Testes Eusebius Adinscutarius, Florentinus ex Præfectis* (aut Expræfectus) *Pistorum, Odriscus Probus ex Primiceriis Nomenclatorum* (vel Exprimicerius), *Petrus Collictar. ante custodiam carcerum*. Ita in aliis papyris ab eodem Marchione Maffejo editis legimus *auri Solidos dominicos, probatos, obrizatos, optimos, pensantes*. At nunc peto ego, si præter Aureum nullus alius Solidus agnoscebatur, hoc est si nondum erant Argentei Solidi: cur *Solidos Auri* heic memoratos vides, quum Solidos tantùm nominare satis fuisset? Quoties nunc dicimus *una Dobla, uno Zecchino, un' Unghero*, non addimus *d'oro*, quia non nisi ex Auro Nummi isti cuduntur. Et certè quo tempore in usu fuere Solidi dumtaxat Aurei, uno *Solidorum* nomine mos fuit uti. *Omnes Solidi, in quibus Nostri Vultus ac veneratio una est*, inquit Constantinus Magnus in Lege primâ, Tit. 22. Lib. 9. Codic. Theodosiani. Ita in Lege 13. Tit. 6. Lib. 12 ejusdem Codicis legimus: *Quotiescumque Solidi ad largitionum subsidia perferendi sunt* &c Ita in aliis Legibus, & apud Gregorium Magnum variis in locis, ut alios Scriptores prætermittam. Quid est ergo, quod in Chartis Seculorum subsequentium non *Solidos* tantùm commemorare veteres consueverunt, sed *Solidos Aureos*, aut *Auri*? Accipe & alterum documentum, ex eodem Archiepiscopali Archivo Lucensis Urbis depromtum, ubi primigeniam pergamenam ego olim legebam.

Emphiteusis, seu usus domus, quam a Walprando Episcopo Lucense Auselmus Vir Devotus se tenere agnoscit, Anno 746.

IN Dei nomine. Regnante Domino nostro Ratchis vir excellentissimus Rege, Anno Regni ejus Secundo, in ipsa Kalendas Septembri, Indictione XV. feliciter. Manifestus sum ego Auselmi Vir devotus, quia reprometto & isprondeo, atque manus meam faceo tivi Domno *venerabili* Walprand Episcopus, *ut in casa tua in loco Wano, tui quondam bone memorie genitor meus avitave visus fuerat, & ividem natus est, ut in ipsa casa usque in diebus vite mee ividem residere deveamus & consuetudo ipsejus casæ, quas parentis nostris ficerunt per singulos annus perexolvere deveamus tam ego quam & filius meus, & ipsi suprascripta casa, & res bene laborare & conservare, si dorrectum fuerit. Et si ego qui supra Auselmi, vel meus eredis, ipsa suprascripta casa & res ejus bene non conservaremus, & angaria, quis usum habuit ipsa casi, minime perexolserimus, componamus tivi Domno Walprando Episcopus, vel ad tuos erides* auri Solidos numero sexagenta, *& exeat inanis & vacuus foris. Quam meis repromessionis cartula, & Perteradu Clericus scrivere rogavi, & subter signa sancte Crucis feci.*

Actu in Domo sancte Ecclesie, Regnum & die suprascripta feliciter.

✠ *Signum manus Auselmi Viri devoti repromessori & conservaturi.*

✠ *Signum manus Juvacimi Clerici testis.*

✠ *Signum manus Luci venerabili Presbiteri testis.*

✠ *Signum manus Mauriperti Presbiteri testis.*

✠ *Signum manus Auriperti de Guamo testis.*

✠ *Signum manus Abamundi Clerici testis.*

Ego

Digitized by Google

Ego Perterada Clericus & dictator Gaudentio Presbitero magistro meo iscripsi . . . . . dedi .

Gaudentius Presbiter pro suprascripta manus meas supscripsi & confirmavi .

Et heic habemus *auri Solidos numero sexaginta*, quod, uti nuper ajebam, indicare videtur, tunc etiam in usu fuisse *argenti Solidos*. Ego nihil decerno, id tantùm moniturus, saltem usurpatos Seculo subsequenti *Solidos Argenteos*. En Chartam autographam, quam ego olim exscripsi ex eodem Tabulario Archiepiscopii Lucensis, ubi hæc sunt verba.

Ubertus Diaconus ab Ambrosio Lucensi Episcopo Ecclesiam in beneficium accipit, eique censum pollicetur, Anno 847.

IN Dei nomine. Regnante Domno nostro Lothario Imperatore Augusto, Anno Imperii ejus, postquam in Italiam ingressus est, Vigesimo Quinto, Nonas Madias, Indictione X. Manifestu sum ego Uppertus Diaconus filio bone memorie Fratelli, quia tu Ambrosius *gratia Dei hujus sancte* Lucane Ecclesie *humilis* Episcopus *per cartula ad censum vobis persolvendum dedisti mihi, idest Ecclesia, cui vocabulum est beati Sancti Gervasii, sita in loco Verriana, quod est Plebe Babtismalis pertenentes ipsis Domui Episcopatui vestri Sancti Martini ipsa Dei Ecclesia Sancti Gervasii cum casis domnicatis sive massariciis cum fundamentis, curtis, ortis &c. quantum ad ipsa Ecclesia Sancti Gervasii ubicumque est pertenentes in integrum, exceptato exinde ille Case massaricie cum rebus suis, quas Ebruarda Vassallo tuo in beneficio abere videtur, quas mihi menime dedisti. Nam aliis omnibus Casis & rebus ad ipsa Ecclesia pertenentes, ut supra dixi, & mihi dedisti, in integrum habere diveat a presenti die jam dicta Ecclesia cum Casis & rebus, quas mihi dedisti, in mea sit potestate abendum, regendum &c. & in ipsa Ecclesia officium & luminaria usque ad Missarum solemnia recto moderamine fieri debeam per me aut per meam dispositionem, & pro omni censum & justitia exinde tibi vel ad successoribus tuis per me aut per Misso meo vobis vel ad loco posito vestro . . . . . ad ipso Domo per singulos annos in Mense Martio censum dare & persolvere debeam* Argentum Solidos Viginti bonos denarios expendiviles de *tertio in tertio annos*. Quando circatas ad consignationes faciendum de Pleve in Pleves vestras feceritis, *si ibidem ad ipsa Pleve Sancti Gervasii . . . . . ego vos, & homines vestros, quem vos ibi conduxeritis, recipere & pascere, seo mansione dare debeam tantum. Et si a me vobis hec omnia suprascripta capitula per singulos annos sic non fuerit adimpleta, vel si ego predicta Ecclesia cum Casis & rebus, quas mihi dedisti, relaxavero, vel si pejorata adparuerit, spondeo ego qui supra Uppertus Diaconus componere tibi, qui supra Ambrosius Episcopus, vel ad successoribus tuis penam* Argentum Solidos tricentos, *quia taliter inter nos convenit, & duas Cartulas Adalfridi Notarius scribere rogavi .*

Actum Luca .

Ego Uppertus Diaconus in ac cartula a me facta manu mea subscripsi .

Ego Teudimundus rogatus ab Uppertu me teste subscripsi .

Ego Petrus Clericus Notarius rogatus ab Upperto Diacono me teste subscripsi.

Ego Teudilascius Archidiaconus subscripsi &c.

Ego Adalfridi Notarius post tradita complevi & dedi .

Verba illa heic animadvertenda: *Quando Circatas ad Consignationes faciendum de Plebe in Plebes vestras feceritis*. Nomine *Circatæ* significantur Visitationes ruralium Parœciarum, tunc ab Episcopis factæ. Inde Italicum *Cercare*. *Consignationis* autem appellatione *Confirmationis* Sacramentum, cujus conferendi causâ Episcopi per rura suæ Diœcesis peragrabant. Sed quod ad argumentum nostrum attinet, commemoratos heic videmus *Argentum Solidos viginti bonos denarios expendibiles*, & infra *Argentum Solidos trecentos*. Ita videbis infra Anno DCCCVII. commemoratos *Solidos Argenteos*. Quodnam verò Aurei Solidi pretium olim foret, nunc breviter inquirendum. Jacobus Gothofredus, vir inter Eruditos Legum Interpres celeberrimus, illustraturus Legem unicam Tit. 24. *de oblat. votorum*, Lib. 7. Cod. Theodos. ad argumentum hoc plura congerit, quæ describere supervacaneum puto. Illud solùm meminisse juvat, sub Costantino Magno (si fides Gothofredo) octoginta quatuor Solidos, sive Aureos, constituisse Libram Auri; & Solidos septem Unciam auri: quæ tamen sententia a Gronovio improbata fuit. Quod certum est, Valentinianus senior septuaginta duobus Solidis constare Libram voluit, non Aureorum pondere imminuto, sed eorum tantùm numero imminuto in libram, ac proinde extrinseca eorum æstimatione auctâ. Quot autem Denarii ærei olim Solidum Aureum constituerent, Cassiodorius nos docet Lib. prim. Epist. 10 scribens: *Sex Millia Denariorum Solidum esse voluerunt*: quod & ex Codice

Theodosiano confirmari potest. Memorantur etiam apud veteres *Siliquæ*, earumque mentio occurrit in Lege 158 Rotharis inter Langobardicas, ubi jam adnotavi ex Gregorio Magno, *Solidum Aureum* constare apud Romanos *ex viginti quatuor Siliquis*. Isidorus ex *viginti* tantummodo Solidum constituit. Verum non minus olim quam nunc, auro & argento bellum indicebatur à Principibus, atque a Populis singulis curantibus ex eorum pretio adaucto captare lucrum. Ac propterea instabilis eorum semper æstimatio fuit, & arduum propterea negotium nobis foret rite materiem hanc pertractare. Ingentem sane pretii monetarii mutationem necesse est invexerit tempus & hominum cupiditas. Videtur enim Libra auri redacta tantummodo ad Solidos XX. aureos. Id Carolus Magnus indicat in Lege 23. *de Heribanno* inter Langobardicas, ubi hæc habet: *Qui verò non habuerint amplius in suprascripto pretio, valente nisi Libras III. Solidi XXX. ab eo exigantur, ideſt Libra una & dimidia*. Supra quoque audivimus Anonymum testantem, Libram auri completam fuisse XX. Solidis. Ad hæc novimus ex altera ejusdem Caroli Lege, quæ est 76. *de omnib. debit.* inter Langobardicas, quot Denariis olim Solidus aureus constaret, nempe XL sed procedente tempore pretium redactum ad XII. Denarios dumtaxat fuit. *De omnibus* (ita ibi legitur) *debitis solvendis*, ideſt de pœnis Fisco debitis persolvendis, *sicut antiquitus fuit consuetudo, per XII. Denarios Solidi solvantur per totam Salicam Legem, excepto si Leudes, ideſt Saxo aut Frixo Salicum occiderit, per LX. Denarios Solidi solvantur*. Uti animadverti in Notis, Codex Estensis diserte habet per *XL. Denarios*, non verò per *LX.* quod & Baluzius adnotarat, MStos alios sequutus. Animadverte etiam, quid habeat Synodus Francofordiensis Anno Christi DCCXCIV. quò confluxere etiam Episcopi Italici, confidente eodem Carolo Magno. Ibi statutum fuit Canone IV. ut annona carius non væniret tempore caritatis, quàm abundantiæ, eaque *ad modium publicum, & noviter statutum venumdaretur. De modio de avena, Denarius unus. Modio hordei, Denarii duo. Modio sigali, Denarii tres. Modio frumenti, Denarii quatuor. Si verò in pane vendere voluerit, duodecim panes de frumento, habentes singulos libras duas, pro Denario dare debeat: sigalatios quindecim æquo pondere pro Denario: ordeaceos viginti similiter pensantes: avenaceos viginti quinque similiter pensantes*. Tum Canone V. aperte proditur, Denarios illos *ex mero argento* fuisse. In Lege Salica Tit. 57. Cap. 5. *sexcenti Denarii* reddunt *Solidos quindecim*. Et Tit. 2. Cap. prim. *centum viginti Denarii faciunt Solidos tres*, ita ut singuli Solidi constituerentur ex Denariis XL. Neque mutatio illa pretii Solidorum tantummodo facta fuit, ut pœnæ delictis impositæ, quæ ex Solidis indici solebant, minuerentur, imminutâ extrinsecâ Solidorum æstimatione: sed etiam in publicum commercium idem usus pertransiit. Opportuna ad id ostendendum erit Charta, quam ex supralaudato Lucensi Archiepiscopii Archivo, ubi ejus autographum adservatur, ego descripsi.

Traditio Ecclesiæ Sancti Terentii ab Alberto Clerico facta Walprando Presbytero, cum reservatione pensionis sive census, annuente Jacobo Episcopo Lucense, Anno 807.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Carolus serenissimus Augustus a Deo coronatus, magnus & pacificus Imperator Romanorum gubernans Imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum & Langobardorum, Anno Regni ejus, quo Langobardiam cepit, Trigesimo Quinto, & filio ejus Domno nostro Pippino Rege, Anno Regni ejus Vigesimo Octavo, Mense Augusto, Indictione Prima. Manifestum est mihi Alperto Clerico filio bonæ memorie Ilprandi Abbati, quia per hanc cartulam ad continendum & meliorandum dare videor tibi Walprando Presbytero, filio quondam Agiprandi Clerici, Ecclesiam beati Sancti Terentii sita in vico Elingo, quas in mea potestate per cartulam confirmavit Domnus Jacobo Episcopo *ipsa Dei Ecclesia una cum casis & omnibus rebus ad eam pertinentibus, qualiter mihi ab ipsa Domno Episcopo obvenit, in tua sit potestate regendi, gubernandi, laborandi, & meliorandi, atque usufructuandi, & in ipsa Dei Ecclesia per te aut per alium Sacerdos officium & luminaria ibidem die noctuque fieri debeat secundùm Deum; & pro justitia exinde per singulos annos in natale Sancti Reguli tu mihi reddere debeas* decem Solidos argento de bonos Denarios mundos, grossos, expendibiles, una duodecim Denarios pro Solido tantum. *Et sive mihi hæc omnia suprascripta capitula per singulos annos sic fuerint adimpleta & conservata, tu qualiter superius legitur, & ego tibi predicta Dei Ecclesia, & rebus ejus retollere quæsierimus, aut amplius justitia super im-*

Digitized by Google

impossurimus, vel qualibet invasum tibi idem facere, promitto ego qui supra Alpertus Clericus componere tibi jam dicto Walprando Presbiter pena argento Solidos centum. *Unde inter nos duas Cartulas qualiter convenit Richiprandum Presbiterum Notarium scribere rogavimus.*

Actum Luca.

Ego Alpertus Clericus in hanc cartula a me facta manu mea subscrisi & . . . . .

Ego Jacobus *humilis* Episcopus *licentiam dedit, manu mea subscripsi.*

Ego Filippus Presbitero rogatus ut Alpertus Clericus me teste subscripsi &c.

Ego Richiprandus Presbiter Notarius post tradita complevi & dedi.

Heic ergo habemus *decem Solidos argenteos de bonis denariis mundos, grossos, expendibiles, una XII. Denarios pro Solido tantum.* Quare quum considero, Solidos argenteos memorari duodecim Denariis constantes, eamque notitiam compono cum superius allata Lege Caroli Magni, ubi ad poenas a Salicis hominibus persolvendas Solidus taxatur tantùm *XII. Denarios*: aliqua mihi subboritur dubitatio, num Solidi in Longobardicis Legibus toties nominati potius *argentei*, quàm *aurei* fuerint, & potissimùm quod illic interdum gravissimae apparerent poenae, si ex annuis inflgebantur; mites verò, si ex argenteis. Ego rem in medio relinquo, uti & an Denarii illi, unde Solidus Aureus componebatur, Argentei fuerint, ut Clarissimus Du Cangius arbitratur. Certe credibile est, Solidum Aureum Caroli Magni ævo ex auro revera constatum, parum superasse nummos, quos nunc *mezze Doble*, & *Scudi d'oro*, aut *Ducati di Camera* appellamus. Attamen sunt, qui putant, Solidos eosdem Aureos quarta dumtaxat parte minores fuisse Nummis Aureis, quos nunc nuncupamus *Doble di Spagna*, & *Luigi*. Solidos autem in Lege Salica memoratos Wendelinus in Glos. Salico censuit æquasse pretium Floreni Rhenensis. Interea e paucis, quæ hactenus attuli, justus nobis sese offert locus suspicandi, fuisse olim Solidos etiam imaginarios ex veris Denariis compositos, quemadmodum nostris quoque temporibus sunt aliæ nummorum species, ideales tantum, uti apud Britannos nunc est Libra Sterlingorum, quæ olim species pecuniæ fuit. Apud nos quoque Solidus, sive ut dicere solemus Bononinus aut Bolognimus, dividitur in XII. Denarios, qui tamen Denarii olim in usu fuere, nunc in sola hominum opinione consistunt. Quod si quis scire adhuc cupiat, quot Denarii Libram argenti constituerint, ego quid usus haberet Seculo X in hisce regionibus patefaciam. Chartam proferens ex Historia Ecclesiastica Regiensi Fulvii Azarii, quæ autographa in Estensi Bibliotheca adservatur. Spectat instrumentum hoc ad Proavum celeberrimæ Comitissæ Mathildis, simulque prodit lineam aliam Familiæ ejusdem, Parmæ commorantem, quam etiam innuit Donizo Lib. I. Cap. I. Vitæ Mathildis. In hanc rem etiam videndus Bacchinius in Histor. Monaster. Padolironensis.

Atto filius quondam Attonis Massaritias sex vendit Adalberto, qui & Atto, Comiti consobrino suo & Proavo Comitissæ Mathildis, Anno 958.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Berengarius & Adalbertus Filio ejus gratia Dei Reges, Anno Regni eorum Deo propicio Octavo, Mense Novembris, Indictione Secunda. Constat me Atto filius quondam idemque Attoni de Comitatu Parmense, *qui ex Natione mea professus sum Lege vivere Longobardorum, accepisse, sicut in presentia testium accepi a te* Adalbertus, qui & Atto, Consobrino meo, filius quondam Sigefredi de Comitatu Lucensi, argentum per Denarios bonos Libras sexaginta, habentes ducenti quadraginta Denarii Libra, *finitum precium, pro Casis & rebas territoriis illis omnibus, que sunt Massaricies sex juris meis, qui esse videntur in fundo & loco Serzana, & Valle Brumani, cum suorum pertinentiis, que rectis & laboratis fuerunt vel fiunt per Johannem, & Serzano, & item Serzano, seu item Johanne, atque Benedicto, & Rubiano Massariis, una cum Montes duos pertinentes de ipsas Massaricias, ubi jam antea Castris edificatis fuerunt, in integrum. Seu pro Sortes tres similiter juris meas, que rejacent in loco, ubi Silva-plana, & Veriano dicitur, similiter cum suis pertinenciis, que rectas & laboratas fuerunt vel fiunt per Rubiano & Ariunto seu Alperto Massariis, in integrum omnia & ex omnibus, sicuti ad me in predictis locis Serzana, Valle Brumani, Silva-plana, Veriano sum possessis & defensatis pertenuerunt per quamvis ordinem, & sicuti per suprascriptis Massariis rectis & laboratis fuerunt vel fiunt in integrum. Et sunt rebus ipsis in predictis locis Serzana, Valle Brumani, Reviano, Silva-plana, super votis per mensuram & rationem ad perticam legitimam de pedes XII. mensuratam, juges centum quadraginta, inter sedimenas & areis, ubi vitis estant, seu terris arabilis,*

lis, atque pratis, silvis, atque buscaleis, seu gerbidis juges quadraginta. Et si plus rebus juris meas & fundas & loca Serzana, Valle Brumani, Reviano, Silva-plana cum suorum pertinenciis inventum fuerit, omnia in tua, qui supra Adelberti Comes vel de tuos heredes, aut cui vos dederitis, persistant potestatem, vel proprietatem in integrum cum Casis, Curtis, ortis, areis, elusuris, campis, pratis, pascuis, vineis, silvis, astellareis, insolis, ripis, rupinis, montibus, asentibus & desentibus, usibus aquarum, aquis, aquarumque ductibus, & fontaneis, ac paturibus, coltis & incoltis, divisas & indivisas, omnia & ex omnibus predictis Casis & rebus territoriis vel massariciis in predictas locas, sicuti ad me, & ad suprascripto quondam idemque Atto Genitor meus fuerunt possessis & defensatis, & nobis pertinuerunt juri, & sicuti per ipsos Massarios fuerunt rectis & laboratis in integrum. Quæ autem suprascriptis Casis & rebus territoriis & massariciis in predictis Sarzana, Valle Brumani, Silva plana, Reviano, vel inibi per circum circa locis & vocabulis abentibus vel pertinentibus, seu aspicientibus, qualiter mensura legitur, & insertum est, cum accessiones & ingressoras earum rerum, seu cum superioribus & inferioribus, una cum finibus & terminibus, & cum omni juris asse habentibus, vel pertinentibus, tibi qui supra Adelberti Comes ab hac die & ora per suprascripto argento vendo, trado, emancipo, liberisioque ab omni nexu publico privatove, & nulli venditis, donatis, alienatis, obnoxiatis, vel traditis, nisi tibi hodie; & facias exinde a presenti die tu Adelbertus Comes, & heredes tuis, vel cui vos dederstis, aut abere statueritis, proprietario nomine sine ullius contradictione. Quidem exspondeo atque promitto me ego qui supra Atto vel meos heredes tibi, qui supra Adelberti Comes, vel ad tuis heredibus, vel cui vos dederitis, suprascriptis casis & rebus in predictis locis cum suis juris pertinenciis, qualiter superius venumdavi, ab omne contradicentis homine defensare. Quis si defendere non potuerimus, aut si vobis aliquid per eovis ingenium subtrahere quesierimus, tunc in duplum suprascriptis casis & rebus, sicut dictum est, vobis restituamus, sicut pro tempore melioratis, aut valuerint sub extimatione in consimilibus locis, & nihil mihi ex ipso precio aliquid amplius reddebitis. Dixi.

Actum in loco Insula Judiciaria Parmensis.

Signum manibus suprascripti Attoni, qui anc Cartam vindicionis ad omnia ut supra rogavi, & suprascriptum argentum accepi. Et ei relecta est.

Signum manibus Wiberti filio quondam idemque Wiberti de Baniolo, seu Lamberti, qui & Lanzo de loco Monticlo, rogati testes.

Signum manibus Teuzoni de Carolio, & Iselprandi filio quondam Madelberti, rogati testes.

Signum manibus Albuini de loco Carubio, & Eriberti de Foczano, seu Gauselmi de Montealto, rogati testes.

Ansprandus Judex Domnorum Regum rogatus me teste subscripsi.

Ego Gerardus Notarius Domnorum Regum rogatus testis subscripsi.

Scripsi ego Petrus Notarius Domnorum Regum, post tradita complevi & dedi.

Quidem ego Aimericus Notarius sacri Palatii hoc exemplum autenticum vidi, & legi, & scripsi, & sicut in eo continebatur, ut in hoc legitur, neque junxi, neque minui, & exemplavi.

Ego Gerardus Notarius Domini GVELFONIS DVCIS *hoc exemplum autenticum vidi, & legi, & sicut in eo continebatur, ut in hoc legi & subscripsi.*

Scripsi ego Ubaldus GVELFONIS DVCIS, *hoc exemplum autenticum vidi, legi, & scripsi, & sicut in eo continebatur, ut in hoc legitur, & subscripsi.*

Jam animadvertisti verba illa, *argentum per denarios bonos Libras sexaginta, habentes ducenti quadraginta denarii Libra.* Ergo tunc argenti Libram constasse videntur aut X. Solidi, qui e Denariis XXIV. singuli constabant, aut ex Solidis XX. quorum singuli Denarios XII. æquabant. Veri videtur similе, per reliquum Italicum Regnum tunc eamdem obtinuisse consuetudinem. Quod tamen difficile statuere possis; neque enim iis temporibus officinæ monetariæ omnes concordes erant in æstimatione Nummorum. Nam uti Gregorii Magni Papæ ætate Solidi Gallici minoris pendebantur quam Romani, ita subsequutis Seculis, ac præcipue postquam multiplicatæ in Italia fuerunt ejusmodi officinæ, suspicari licet, non idem pretium fuisse Solidis ac Denariis, qui in diversis locis cudebantur. In Chronico Vulturnensi pag. 414 part. II Tomi I. Rer. Italicarum invenio ad Annum DCCCLXX *Solidos numero centum quinquaginta Siculos*. Et infra, *Solidos octoginta Siculorum*. Uti & *auri Libram unam Beneventanam*, quæ propterea non ejusdem ponderis aut æstimationis fuisse videtur, atque aliarum Civitatum. Ita procedente tempore memoratam invenio *Libram Denariorum Papiensium*, uti ex subsequente Charta constabit, cujus autographum adser-

Digitized by Google

adſervant Sanctimoniales Regienſes in Aſceterio Sancti Thomæ.

Wolmari Epiſcopi Regienſis Decretum, quo Monialibus Sancti Thomæ confirmat Plebem Sancti Michaëlis, Anno 1063.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Wolmarus *divino reſpectu ſancte* Regienſis Eccleſie Epiſcopus. *Cum predeceſſorum noſtrorum aliqua juſta ſtatuta ſcriptis vel aliquo indicio ad utilitatem Eccleſie reperimus, decet Epiſcopalem vigilanciam cum omni diligentia conlaudare & corroborare, ut paterno affectu ſubditos regat, & in Dei ſervitio ſtabiles reddat. Audivimus quidem, & pro certo ſcripto cognovimus, anteceſſorem noſtrum* Adalberium *tempore Domni Henrici junioris Imperatoris, pro devaſtatione Eccleſie injuſte facta ex tantillis bonis Eccleſie, que remanſerant, plurima dando deſſudaſſe, ut Imperiali ſuſidio Eccleſia ad nichilum reddacta ſublevaretur ..... Clericos & Monachos & familiam Eccleſie unde aleret, haberet. Hac de cauſa nimia coactus penuria Liuze Monaſterio Sancti Thome Apoſtoli Abbatiſſe, cum non haberet, unde tanta perſolveret,* decem Libras Denariorum Papienſium, *quas ipſa ex paterno predio adquiſierat, peciit. Quibus acceptis Corticellam ..... Vico Martini, que ex parte noſtri Epiſcopii erat, & ex parte Monaſterii Sancti Thome, habendam & in perpetuum tenendam eidem Monaſterio Sancti Thome ſuo decreto conceſſit. Sed cum predictam Corticellam propter violentorum moleſtacionem tenere non pouit, quidquid de Plebe Sancti Michaëlis Archangeli ſibi pertinebat, predicto Monaſterio Sancti Thome ſcripto dedit, eo videlicet tenore, ut ſi ipſe, vel aliquis ſucceſſorum ſuorum predictam Corticellam Monaſterio Sancti Thome tenere fecerit, jam dicta Plebs Sancti Michaëlis ad jus & dominium Epiſcopii redeat: ſin autem non poterit, Monaſterium Sancti Thome predictam Plebem ſine omni moleſtacione alicujus Epiſcopi, donec prefata Corticella de manibus violentorum eripiatur, teneat & habeat. Hoc vero ſcriptis corroboratum, hac noſtrorum fidelium, Clericorum videlicet & Laicorum teſtimonio firmatam cum vidimus, & ſub anathematis vinculo a noſtro anteceſſore factum cognovimus, preſentibus noſtris fidelibus, ſcilicet Archipresbitero & Archidiacono, & relico Clero noſtre Eccleſie .... berto Comite & Rodulfo de Caſule & pluribus aliis, prefatam Plebem Monaſterio Sancti Thome ſecundum predictum tenorem conceſſimus & largiti ſumus, ac ſub anathematis vinculo, & pena viginti Librarum dampnacione a nobis noſtriſque ſucceſſoribus obſervari decrevimus. Si quis hoc infringere temptaverit, maledictionem Dei Patris omnipotentis & Filii & Spiritus Sancti incurrat, & cum omnibus maledictis maledictionis ſententiam percipiat, & predictam penam perſolvat; quod ut verius credatur, & firmius habeatur, noſtra manu ſubter firmavimus, & noſtro Clero obtulimus roborandum.*

Actum eſt Anno Dominice Incarnacionis MXLIII. Pontificatus verò Domni Wolmari Preſulis Anno Primo, VIII. Kalendas Julii, Indictione Prima.

Ego Wolmarus Epiſcopus ſupſcripſi.
Bernardus Archidiaconus ſubſcripſi.
Argicardus Archipresbiter ſubſcripſi.
Albertus Prepoſitus, & Cuſtos ſubſcripſi.
Joannes Scolarum Magiſter ſubſcripſi.
..... nericus Clericus ſubſcripſi.
Eurardus Subdiaconus ſubſcripſi.
Everardus Acolitus .....
Romanus ſubſcripſi.
Ubertus Comes ſubſcripſi.
Tetelmus interfui.

Celebris præterea, multoque in uſu fuit *Lucenſis* Pecunia. Ejus mentio eſt ſub Langobardis & Francis Regibus; eademque familiaris eſſe perrexit etiam ſubſequentibus Sæculis. *Argentum denarios bonos Lucenſium Libras centum* reperias in Charta Padolironenſi Anni MXCVI. Ejuſdem monetæ mentionem exhibet altera Charta, quam mihi ſuppeditavit Sereniſſimi Ducis Mutinæ Archivum, ubi occurrunt *Solidi octo Lucenſis denariorum bonorum, & denarii XXI. Lucenſis denariorum bonorum.* Digna autem mihi viſa eſt eadem Charta, quæ evulgetur, quòd memoriam nobis ſervarit illius *Alberti Marchionis* ex natione Salica, & *Garſendæ Nobilis Comitiſſæ*, de quibus mihi fuit ſermo Par. I. Cap. 30 pag. 263. Antiquitat. Eſtenſium. Hæc autem ibi leguntur.

Charta commutationis factæ ab Alberto Marchione & Garſenda ejus uxore cum Petro filio Baroni de Mundevilla, Anno 1129.

ANno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Centeſimo Vigeſimo Nono, XV. die exeunte Menſe Marcii, Indictione VIII. Breve commutationis, ſecuritatis, ac firmitatis, qualiter commutaverunt inter ſe Albertus Marchio & Garxinda Nobilis

Digitized by Google

Comitiſſa, & Petrus filius quondam Baroni de Mundevilla, ſicut & a preſenti dederunt inter ſe proprietario nomine, inter ſe ad invicem commutaverunt. Videlicet in primis dedit ac tradidit Petrus Ode ad . . . . . predictis Marchioni & Comitiſſa, ſcilicet rebus territoriis juris Petri, que eſſe videntur in Villicha, que regere . . . . . per Gerardo & Alberto de . . . . . cum ſuis pertinentiis penſionem Solidorum VIII Lucenſis denariorum bonorum. Quidem & ad invicem recepit . . . . . ab eidem Marchioni & Comitiſſa in cauſa commutationis nomine, ſcilicet terra, qui nominatur terra . . . . . quibus eſſe videntur in Billelio, que recta laborata fiunt per Dominicum & filium Lieulli de Bellellio penſione Denarii XXI. Lucenſis denariorum bonorum. Et ad invicem inter ſe defendere omni tempore, & orum heredibus ſibi uni vel alteri in duplum in conſimilibus locis.

Actum in Palatio Carpenete feliciter.

Hec eſt vel confirmatio teſtium Mel . . . . . Mazzolinus de Filina, Dominicus . . . . . ſcereto, Radaldus de Çarpene . . . . . qui interfuerunt, & teſtes rogati.

Ego Ingo Notarius ſacri Palatii hunc Brevem . . . . . ſcripſi & dedi.

In antecedente etiam Diſſertatione oſtendi, antiquum fuiſſe jus cudendæ Monetæ Ducibus Venetis. Proinde in Charta Ferrarienſi, quam his adjunctam volo, expreſſos videas denarios Venetos Libras mille. Eam ego deſcripſi ex Collectaneis MStis Peregrini Priſciani, qui circiter Annum MCCCCXC. inter Ferrarienſes rarâ eruditione claruit, uti alibi non ſemel animi grati cauſsâ ſum teſtatus. Heic autem Otto Archiepiſcopus Ravennas ſe tantummodo Electum vocat, quòd ab Henrico inter Auguſtos Tertio intruſus in Sedem Ravennatem, nondum ab Eccleſia Romana fuerat confirmatus atque conſecratus: quod & Hieronymus Rubeus in Hiſtor. Ravennat. adnotavit.

Otto Archiepiſcopus Ravennas vendit Landulpho Epiſcopo Ferrariæ, ejuſque Eccleſiæ, Maſſam Firminianam cum Plebe Sancti Stephani, Anno 1104.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Dominicæ Nativitatis Milleſimo Centeſimo Quarto, Imperante Enrico Henrici Imperatoris Filio, Anno Nono-decimo, die Secundo exeunte . . . . . Indicione XII. in Caſtro Argentee. Quamquam omnis promiſſio ſolis verbis firma & immobilis teneri debeat, tamen ne ea, que promittuntur, oblivioni tradantur, dignum fore duximus, quatenus ſecundùm oris dicti Carta monſtretur inſcripta. Quapropter ego Otto Dei gratiâ Electus Archiepiſcopus Ravennatis Eccleſie beati Apollinaris, per hanc refutacionis & tradicionis, atque perpetualis finis & tranſactionis paginam refuto & reddo atque perpetualem finem & tranſactionem facio & ab omni jure & dominio & poteſtate atque virtute noſtra & predicte ſancte noſtre Eccleſie beati Apollinaris alieno tibi preſenti Joanni, qui vocaris de Fir . . . . . Landulfi Dei gratia Electi Epiſcopi de Epiſcopio & Eccleſia Ferrarie Sancti Georgii, & per vos in prefata Eccleſia Sancti Georgii in perpetuum ad habendum, tenendum, & poſſidendum rem inferius legendam, ſecundum quod per precepti paginam a Papa Adriano in tempore Caroli Imperatoris in prefacta Eccleſia noſtra Sancti Georgii conceſſam & largitam & emancipatam & traditam eſſe dicitur. Totam & integram ſcilicet Maſſam & fondum Firminianæ cum omnibus fundoris & . . . . . poſitam infra . . . . . Comitatum veſtrum Ferrarie infra hec latera. A primo latere alius fundus, qui vocatur Sabloncellus, & flumine Padi percurrente. A ſecundo latere Ocuparius. A tertio latere Finale Rerre, & Cornacervina. A quarto latere . . . . . Et ſimiliter refuto & finem atque perpetualem facio tranſactionem vobis & per vos in prefata Eccleſia Sancti Georgii, totam & integram Plebem & Eccleſiam Sancti Stephani, que ſita & edificata eſt in prefato fundo & Maſſa Firminiane, cum omnibus ſibi inter pertinentiis ſuis, ſicut ſupra legitur. De quibus omnibus, ſicut ſupra dictum eſt, facio finem, & imperpetualem tranſactionem, de omni ſcilicet jure, & pertinencia, & in uſu, ſeu dominio vel ſubjectione & poteſtate atque virtute, quod Eccleſia noſtra Sancti Apollinaris, & noſtri Anteceſſores Archiepiſcopi, & nos quondam uſque ad hunc noſtram habuimus & tenuimus, de tota & integra ſcilicet prefata Maſſa & fundo & Plebe Firminiane, & in Eccleſia Sancti Stephani cum omni jure & pertinentia & uſu & poteſtate & ſubjectione, oſpitatione, dacione & diſtrictu, cum collecta & fodro, & cum omni reſponſione, cum Eccleſiis ſimiliter & Villis, que in prefato fundo Firminiane & Maſſa ſunt edificate & ordinate, cum terris &c. ſimiliter & cum inveſticione, conſecratione, ordinatione & Sinodo & diſtrictu, & cum omnibus Eccleſiaſticis & Secularibus nobis, noſtreque Eccleſie de prefata tota Maſſa & fundo & . . . . . atque Eccleſia Sancti Stephani de Firminiana pertinentibus tam

ab

ab una ripa Padi, quàm ab alia. Nulla scilicet aput nos, & aput noſtram Eccleſiam Sancti Apollinaris permanente &c. Pro quibus omnibus ſcilicet quia de bonis veſtre prefate Eccleſie Sancti Georgii dediſtis mihi denarios Venecie Libras mille, *hanc prefatam finem & perpetualem translationem feci vobis, Ingelardum Nuncium meum vobis dedi inveſtitorem, qui vos in nomine prefate veſtre Eccleſie Sancti Georgii in omnibus ſupradictis rebus corporaliter inveſtiat, ad habendum &c. Hec quidem omnia promitto ego prefatus Otto Dei gratiâ Electus Archiepiſcopus cum meis ſucceſſoribus Archiepiſcopis prefato Landulfo Epiſcopo Ferrarienſi, ſuiſque ſucceſſoribus prefate Eccleſie Sancti Georgii in perpetuum conſervare. Quod ſi non fecerimus &c. hec refutationis & tradicionis ſeu tranſactionis paginam, quam ſcribere rogavi Bonumvicinum Notarium & manu mea coram teſtibus inferius legendis firmavi, in die & Indictione prefata ..... Henricus, Rodigerius, Henricus, Bernardus Presbiter, Legelardus .....*

Sed quoniam in antiquis Chartis, contracti buſque præcipue initis poſt Annum Chriſti Milleſimum, complura Nummorum genera ac nomina occurrunt, quorum æſtimatio incomperta eſt, quid mihi in hanc rem animadvertere contigerit, nunc in gratiam minus peritorum prodendum eſt. Jacobus Grimaldus mihi ſupra memoratus, Baſilicæ Vaticanæ Clericus Beneficiatus fuit, ac circiter Annum MDCXXI. Librum conſcripſit adhuc luce carentem *de Sudario Veronicæ*, in Bibliotheca Vaticana, ſimulque & in Ambroſiana adſervatum. Ego inde nonnulla, quæ ad præſens argumentum pertinent, excerpſi, futura, ut ſpero, & ipſa quidem non ingrata amatoribus Italicæ, immo & univerſalis Eruditionis. Si quis præterea complures variaſque veteris Pecuniæ ſpecies colligere velit, Libellum adeat Cencii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis & Camerarii, qui Anno MCXCI. Cenſus Apoſtolicæ Sedi debitos literis conſignabat. Hunc a me evulgatum Lector infra accipiet in calce Diſſertationis LXIX. *de Cenſibus*. Nimirum illic diverſarum gentium Nummi commemorantur, quorum pretium notiſſimum tunc (non ſecus ac noſtris temporibus ſit pretium vulgarium Nummorum) quum nunc in multa nocte ſedeat, a me lucem, quam poſſum, petit. En Grimaldi verba: *Johannes de Cabroſpino Decretorum Doctor, & Apoſtolicæ Sedis Nuntius ad partes Poloniæ & Hungariæ, ſedente Innocentio VI. Papa, hoc eſt circiter Annum MCCCLVI. Pontificiæ Cameræ ſchedam exhibuit, indicantem, quænam tunc foret variorum Nummorum æſtimatio:*

Florenus cenſualis debiti valet X. Solidos, Denarium I. Denariorum Turpitiorum antiquorum.

Groſſus unus XII. Denarios Turpitios.

Libra auri XCVI. Florenis.

Marcha auri LIX Florenis.

Uncia auri in auro VIII. Florenis.

Uncia auri in argento V. Florenis.

Marcha auri valet duas partes Libræ auri.

Marcha argenti valet duas partes Libræ argenti.

Libra argenti valet LXXV. Groſſos.

Marcha argenti ex conventione antiqua in Anglia IV. Florenis.

Marcha argenti in aliis partibus quantum valet communiter tempore ſolutionis.

Libra argenti puri, vel *duæ Marchæ argenti* VIII Florenos.

Libra argenti de Anglia ..... IV. Groſſos; & Romanæ Curiæ VII. Florenos, X. Groſſos; & medium Groſſum.

Libra argenti de Aragonia, Tuſcia, Sardinia, & hujuſmodi, VII. Florenos, & medium Florenum.

Uncia argenti VII. Groſſos, & medium Groſſum.

Marabotinus argenti unum Florenum minus XII. Denarios Turonenſibus.

Duodecim Malgurienſes unum Groſſum.

Obolus aureus unum Florenum.

Maſſatratius auri duas partes unius Floreni.

Duodecim Denarii Sipionum I. Malachinum.

Malachinus VIII. Groſſos.

Biſuntinus XV. Groſſos, & medium Groſſum.

Tullenus VIII. Solidi, & IV. Denarii valent I. Florenum.

Manteſinus & X. Solidi valent I Florenum.

Manteſinus IX. Solidi, & V. Denarii valent I. Florenum.

Friguentum & XII. Denarii valent I. Groſſum antiquum & medium.

Tarenus valet, ut infra ſequitur.

Carlenus XVI.

Libra X.

Marabitius auri valet XXIV. Marabitios argenti, ſive unum Florenum, minus XII. Denarios.

In Regno Siciliæ citra Pharum maxime, *Uncia* eſt LX. Carlenorum Liliatorum.

Tarenus eſt duorum Carlenorum.

Carlenus valet X. grana.

Granum valet VI. Denarios.

Aliæ verò pecuniæ, ut Floreni, ſunt ad hu-

jus

Digitized by Google

jus pecuniæ pretium æstimatæ.

Cosins seu *Salma grani* est IV. Tumulorum.

Item in Regno Castellæ & Legionis sunt usuales Monetæ, videlicet *Coronati* valoris V. Obolorum.

Marabitius X. Denariorum; & Sex Coronati valent unum Marabitium; & XXV. Marabitii valent *duplam Maroquitanam*. Et XXII. Marabitii valent *Sciliatum* veterem *Panalhon* ..... *Mutonem*, vel *Cathedram*. Atque XXV Marabitii valent *Agnum*. Atque XX. VIII. Marabitii valent *Regalem*. Et XXIV. Marabitii valent *duplam Castellanam*. Necnon & XXX. duplæ valent *duplam* magnam & latam Saracenorum.

Et sciendum, quod *Marcha Grossorum argenti Bohemiæ* valet communiter XLVIII. Grossos Pragenses, vel XXIV. *Scotos*.

Item in qualibet Marcha sunt IV. Fertones.

Item *sex Scoti* valent unum Fertonem.

Item *unus Scotus* valet duos Grossos Pragenses.

Item *unus Grossus Pragensis* valet XVI. Denarios.

Item sciendum, quod in Marcha prædicta sunt XVI. *Lothones*.

Item *Lotho* valet unum Scutum & medium, vel tres Grossos, quod idem est.

Item quilibet *Ferto* habet IV Lothones.

Pro *Bisantio* solvuntur duæ partes unius Floreni.

Pro *Massamutino* solvuntur duæ partes unius Floreni.

Pro *Marabottino* solvitur unus Florenus, minus X Denarios.

Pro *Milachino* VIII. Grossi argentei.

Ista Cabrospinus in schedâ illâ MStâ. Ex hisce Nummis quidam Aurei, quidam Argentei fuere. Quidam etiam, quamquam idem gererent nomen, non tamen ex eodem metallo fabricati erant, scilicet aliqui ex auro, alii ex argento conflati. Et primo de *Marabotinis* dicendum, Nummis videlicet in Hispania cusis, & olim celebratissimis. Erant enim procul dubio Aurei. Eorum pretium indicatur a Hieronymo Rubeo Lib. V. Histor. Ravenn. ad Annum MLXXVI cujus sunt verba: *Gerardus quotannis pensionem solveret duodecim Maraboſinorum* (scribendum *Marabotinorum*): *ita in vetustissimis tabulis hujus locationis, quas nos legimus in Bibliotheca Ursiana, scribitur; qui ejus essent ponderis, ut septeni unciam conflarent*, ideſt auri. Sunt & alia veterum monumenta, e quibus evincitur, aureos fuisse Marabotinos. Verum quidem est, si Grimaldus supra laudatus recte scripsit, alteram quoque pecuniæ Marabotinæ speciem, hoc est, argenteam in usu fuisse. Ut enim ille tradit, *in Libro Magistri Marini de Ebolo, centum quadraginta Marabotini sunt decem Marchæ argenti*. Sed minime hæc sufficiunt ad hujusmodi opinionem statuendam. Tu interea commemoratos animadverte *Marabutinos aureos Anfusinos*, hoc est a Rege *Anfus* (qui nunc *Alphonsus* dicitur) percussos, in Charta mihi suppeditata a Codice MSto Cencii Camerarii.

Census *trium Marabutinorum auri Anfusinorum* pro Castro de Agantico Magalonensis Diœcesis, Anno 1247.

IN Dei nomine. Amen. Anno Domini Millesimo Ducentesimo Quadragesimo Septimo, die XI. exeunte Majo, Indictione V. Pontificatus Domini Papæ Innocentii Anno IV. In præsentia Magistri Boëtii Cameræ Domini Papæ Clerici, & mei Basſi Notarii, ac testium subscriptorum, Nobilis vir Raymundus Petri, Dominus Castri de Agantico Magalonensis Diœcesis, asserit, quod annuum Censum trium Marabutinorum Anfusinorum, *quem postulavit ab ipso ex parte Domini Papæ Frater Blancus de Ordine Fratrum Minorum, Nuntius Domini Papæ pro Ecclesia Romana, pro Castro prædicto numquam persolvit, nec umquam scit hujusmodi censum Ecclesiæ Romanæ deberi. Sed pro devotione, quam idem Nobilis habet ad Romanam Ecclesiam, promisit pro se, heredibus & successoribus suis dicto Magistro Boëtio, recipienti nomine Ecclesiæ Romanæ, solvere decetero Ecclesiæ Romanæ, & Cameræ Domini Papæ pro ipsa Ecclesia Romana quolibet anno pro dicto Castro, nomine Census, dictos* tres Marabutinos aureos Anfusinos, *quando dictus Nobilis a Nuntio Romanæ Ecclesiæ fuerit requisitus. Et super his omnibus præfatus Nobilis præstitit corporaliter juramentum. Quo facto idem Nobilis dicto Magistro Boëtio nomine Romanæ Ecclesiæ pro isto præsenti quarto Anno Domini Innocentii Papæ, tres Marabutinos Anfusinos persolvit. Insuper prædictus Nobilis pro dicto Censu integre persolvendo, se, heredes & successores ac bona sua omnia perpetuò obligavit.*

Actum Lugduni, præsentibus Domno Paulo Canonico Lucano Cameræ Domini Papæ Clerico, Magistro Johanne de Manso Canonico Biterrense, Guillielmo de Agantico Burgense, Stephano de Sancta Maria Clerico Biterrense, Bertrando de Urganicis, & aliis.

Ego

Digitized by Google

Ego Baſſus, filius quondam Domini Roberti, Apoſtolica auctoritate, & nunc Cameræ ejuſdem Notarius, quia iis omnibus prædictis interfui, rogatu utriuſque partis ſcripſi & publicavi.

Redeo nunc ad ſupra memoratam Cabroſpinii ſchedam, in qua *XXII. Marabitii*, ideſt *Marabotini*, ſeu *Marabutini valent Sciliatum veterem*. Num ibi ſcribendum *Liliatam*, an *Scyphatum*, ſive *Schifatum*? Horum Nummorum ſpecies ſæpe occurrit in Chronico Caſinenſi Leonis Oſtienſis, ac in aliis veterum Chartis. *Scyphatorum* quidem curſus præſertim fuit in Apulia & Calabria. Mentio quoque pecuniæ hujus occurrit in Charta, quam ex Archivo Monaſterii *de Patiro*, in Calabria ſiti, deſcripſit Sebaſtianus Paulius e Congregatione Clericorum Matris Dei, Theologus Auguſti noſtri CAROLI VI. vir ex Eruditione non minus, quàm Eloquentiâ ſacrâ in Italia Clariſſimus: Ibi Caſalis venumdati pretium ſunt *quingenti Schifati, & tres Deſtrerii*, ideſt equi. Ibi memmorantur W. ideſt *Willelmus Dux Apuliæ*, celeberrimi Ducis Roberti Guiſcardi nepos, & ejus mater, ſcilicet *Adela* Comitiſſa, & ejus filius *Rogerius Comes*, quem Camillus Peregrinius, & Rocchus Pirrus ignoraſſe videntur, quòd patri præmortuus fuerit, & *Riccardus Seneſcalcus Ducis*, & *Valuvius* illius, ideſt *Balivus*, ſeu *Bajulus* Willelmi Ducis.

Caſalis Sancti Apollinaris venditio facta Chriſtadoro Admirato Willelmi Ducis Apuliæ a Fulcone de Balungerio, ut in jus Monaſterii Sanctæ Mariæ de Patiro transferatur, Anno 1112.

✝ *IN Nomine Domini eterni Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, atque Spiritus Sancti. Ego Fulco de Balungerio notum facio, quoniam Domnum Chriſtadorum Ammiratum & preco nobiliſſimum me requiſiſſe de Caſale, quod alias fuit Kiccini Porcelli, quod dicitur Sancti Apollinaris, & eſt ſecus fluvium Conchilis in iis manſis, quos habeo cum Feudo meo de Braala, ut eum ſibi darem ac concederem pro de ſuis rebus, quum ipſe mihi dare volebat, quum ipſe offerre & tradere illum volebat Monaſterio Sancte Marie de Patiro. Quapropter ego requirens voluntatem* Domini Ducis W. & Comitiſſe ejuſque filii Roggerii Comitis, atque Riccardi Seneſcalchi Ducis ipſi Valivi, *quorum quippe conſe ſſu do & concedo ſupradicto Ammirato ipſum jam dictum Caſalem cum villanis, ac ſilvis, terris, aquis ac paſcuis, cunctiſque Caſalis ipſius pertinentiis, ſicut ego illum melius tenui per unam diem & unam noctem. Ita ut ipſe jam dictus Ammiratus jure habeat prefatum Caſalem, ac poſſideat, ac poteſtatem habeat eundem ipſum offerre, dare & tradere ſupernominato Monaſterio, ac ipſum Monaſterium, ac pars ipſius Monaſterii habeat atque poſſideat ipſum Caſalem, ut ſupra dictum eſt, cum villanis ac ſylvis, terris & aquis & paſcuis, ſuiſque pertinentiis, neque a me, meiſque heredibus vel ſucceſſoribus, neque a qualibet magna, privataque perſona quicumque tempore aliquam ex ejuſdem contrarietatem habeant conceſſionis. Quicumque tempore violator extiterit, ſciat ſe compoſiturum auri puriſſimi Libras decem: & hec mea conceſſio ſemper firma & inviolabilis remaneat. Quod ut verius credatur, & firmius omni tempore obſervetur, Joannem Ducis Notarium ſcribere rogavi Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Centeſimo Duodecimo, Ducatus autem ſupradicti Ducis Anno Primo, Menſis Novembris, V. Indictione. Preterea manifeſtum facio, quia propter hanc conceſſionem recepi a ſupradicto Ammirato* quingentos Schifatos, & tres Deſtrerios, *& idcirco me, meoſque per ſupradictam compoſitionem obligo heredes, ſi huic conceſſioni quicumque tempore contraire tentaverimus.*

✠ *Signum Crucis proprie manus Fulconis de Balungerio.*

✠ *Signum Crucis proprie manus de Riccardo Seneſcalco.*

✠ *Signum Crucis de propria manu W. Piſcionis.*

✠ *Signum Crucis proprie manus Petri de Factoroſa.*

Ideo verò *Scyphati* appellati videntur ejuſmodi Nummi, quòd ad formam Scyphi cuſi forent, uti Du Cangius eſt opinatus, qui propterea *Caucios* Nummos pari de cauſsâ ejuſdem ſpeciei fuiſſe cenſet cum *Scyphatis*, quum *Caucum* Græce ſignificet *Scyphum*, ſeu vas potorium. An ita ſe res habuerit, decernere ego non auſim. Illud quidem fidenter ajo, ejuſmodi Græcos Nummos, ſi quidem figuram *Cauci* ſeu *Scyphi* prætulere, Scutellam potius ac pateram fuiſſe imitatos, ſimileſque fuiſſe Mediolanenſium Nummorum argenteorum, Ottonis Magni ævo percuſſorum, qui paululum concavi in medio, aliquantulum in circuitu prominent. De hiſce mihi ſermo fuit in præcedenti Diſſertatione XXVII. *Scyphatos* autem Aureæ monetæ genus fuiſſe oſten-

Digitized by Google

dit idem Du-Cangius, ac post eum prælaudatus Pater Paulius in Additamentis ad Beverini Syntagma de Ponderibus. Doërdelinus quoque in Comment. Historic. de Nummis Germaniæ mediæ, multa habet de *Civis* in ea regione percussis. Rursus Nummi Aurei, appellati *Augustales*, cusi fuere jussu Friderici II Augusti, atque in Apulia & Sicilia disseminati. In Chronico Richardi de Sancto Germano dicuntur hi Nummi expensi pro quarta *unciæ*. Vulgo autem reputantur ita appellati ab ipso Friderico II. *Augusto*. Verùm uti me monuit Cl V. Apostolus Zenus, cui veterum Nummorum est insignis peritia atque supellex, ab *Augusto Cæsare*, cujus vultum in numismate Fridericus expressit, nummi illi *Augustei*, sive *Augustales*, immo *Agustal s* sunt nuncupati. Audi Johannem Villanium Lib 6 Cap 21 Historiar. *L' Agostaro d'oro* (inquit ille) *valea l'uno la valuta d'uno Fiorino e quarto d'oro; e dall' uno lato dello Agostaro era improntato el viso dello Imperadore, e dall' altro un' Aquila, al modo de' Cesari antichi, e era grosso di carati venti di fine oro a paragone*. Istius pecuniæ mentio est in Charta Romana, quam ex Regesto Cencii Camerarii excerpsi.

De concessione Castri de Arsa in feudum sub annuo censu, facta ab Innocentio IV. Papa, Anno 1253.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri . . . . . Episcopo Castrensi salutem & Apostolicam benedictionem. In negotio Fidei, quod tibi contra Hæreticorum perfidiam in Patrimonio beati Petri in Tuscia duximus committendum, fidei tuæ zelum, & devotionis fervorem experti, personam tuam congruo libenter honore persequimur, & in iis, quæ a nobis pro tuis, & Ecclesiæ tibi commissæ postulas incrementis, favorabiliter annuere volumus votis tuis. Hinc est, quod fraternitatis tuæ precibus inclinati, Castrum de Arsa cum Rocca, & aliis pertinentiis suis, in tua situm Diœcesi, ad Romanam spectans Ecclesiam, sub annuo Censu Duorum Augustariorum auri, *vel viginti Solidorum denariorum Senatus, nostræ Cameræ persolvendo, tibi, tuisque successoribus, de consilio Fratrum nostrorum, præsentium auctoritate concedimus Feudi nomine perpetuò possidendum: ita tamen quod guerram, pacemque exinde facietis ad nostram, & successorum nostrorum beneplacitum & mandatum. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

Datum Laterani, Kalendis Februarii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Richardus de Sancto Germano in Chronico, Tomo VII. Rer. Italicar tempus adnotat, quo cudi cœpti sunt *Augustales*: scribit enim ad Annum MCCXXXI. *Nummi aurei, qui Augustales vocantur, de mandato Imperatoris in utraque Sicilia Brundusii & Messanæ cuduntur*. Eorum autem pondus ac pretium, immo & fabricam longe antea adinventam, discimus ex additamento ad Chronicon ejusdem Richardi, primùm edito a Cæsare Vergara in Lib. de Numm. Regni Neapolit. Hæc ibi verba: *MCCXXII. Mense Junii, quidam Thomas de Bando civis Scalensis, novam Monetam auri, quæ Augustalis dicitur, ad Sanctum Germanum detulit, distribuendam per totam Abbatiam, & per Sanctum Germanum, ut ipsâ Monetâ utantur homines in emtionibus & venditionibus suis juxta valorem ei ab Imperatore constitutum, ut quilibet Nummus aureus recipiatur & expendatur pro quartâ unciæ, sub pœnâ personarum & rerum in Imperialibus Literis, quas idem Thomas detulit, annotatâ. Figura Augustalis erat ab uno latere caput hominis cum media facie, & ab alio Aquila*. Sed alios Nummos deterioris materiæ, immo falsos, Fridericus II. procudisse dicitur in Vita Gregorii IX. Papæ, Tomo II. Rer. Italicar. pag 584 En verba *Novus Monetæ falsarius, dum æra cudit diverso charactere, argenti tenui superinductâ cuticulâ.* Præterea *Byzantii*, sive *Bysantii* olim fuere Aurei Nummi a Græcis Imperatoribus Constantinopoli percussi, quorum pretium parùm abludebat a Ducatis aureis Venetis, sive ab Hungaris, ceterisque Aureis Germanicæ nationi familiaribus, & a Florenis aureis Florentinis. *Solidos Byzantios* simpliciter, atque interdum *auri Solidos Bisantios* reperimus in antiquis Chartis, præsertim Regni Neapolitani & finitimarum regionum, eorumque frequens mentio est in Chron Vulturnensi, Part. II. Tomo I. Rer. Italicar Ibi etiam vide commemoratos in Charta Anni DCCCLXXXII *centum auri Solidos Constantinianos*, quos non alios a Byzantiis fuisse puto. *Solidi Constantini* non semel occurrunt in Episcop. Salernitan apud Ughellium. Sed fortasse scribendum *Constantiniani*, aut *Constantinopolitani*. Iidem *Constantinati*, nescio an Librarii errore, appellantur in Charta, cujus archetypum adservatur in Cavensi

Mo-

Monaſterio. Hanc exerere juvat in omnium Eruditorum commodum.

Donatio facta Eccleſiæ Sancti Felicis in Lucania a Guaimario IV. Principe Salernitano, Anno 1051.

IN nomine Domini. Trigeſimo Tertio Anno Principatus Domni noſtri Guaimarii glorioſi Principis, & Duodecimo Anno Ducatus ejus Amalfie & Surrenti, & Decimo Anno Principatus & ipſorum Ducatuum Domni Giſulfi eximii Principis & Ducis fili ejus, Menſe Martio, Quarta Indictione. Dum coram preſentia ſupraſcripti Domni noſtri Guaimarii ſereniſſimi, & a Deo conſervati Principis & Ducis, eſſemus nos Amatus & Johannes Judices, & plurima ſuorum more ſolito circum adeſſet turba fidelium, ipſe Domnus Princeps & Dux ſemper ſolitus placidum Deo exhibere famulatum, & cupidus in ſanctis Locis de ſuis rebus dare, per hanc cartulam dedit in Eccleſia beati Confeſſoris Felicis, que intra res ſuas, que ſunt in finibus Lucanie, conſtructa eſt, de terris ſuis campeſtribus, & cum vineis, que ſunt propinque ipſi Eccleſie, & ex omnibus partibus terris ipſius conjuncte, per menſuras juſto paſſu hominis menſuratas. A parte Occidentis finis Via, & paſſus centum octoginta. A parte Meridiei eſt finis, ſicut aliquantulum Valitellum diſcernit, & paſſus centum. A parte Orientis ſunt paſſus centum octoginta, & revolvit in ipſam partem Orientis per Vallonem paſſus octoginta ſex. Ab ipſa parte Septentrionis finis ſicut aliquantum Vallone diſcernit, & paſſus ducenti triginta. Cum omnibus que intra ipſis terras ſunt, cunctiſque earum pertinentiis, & cum vice de ipſa Via. Ea ratione, ut ſemper ſint in poteſtate cuſtodum ipſius Eccleſie, & ipſis terris utantur, fruantur, & de uſufructu earum faciant quod voluerint. Et ipſe Domnus Princeps, & Dux obligavit ſe & ſuos heredes ſemper defendere cuſtodibus ipſius Eccleſie ſupraſcriptam dationem ab omnibus hominibus, quibus per ipſos Domnum Principem & Ducem, & illius heredes illud vel ex ipſo quodcumque datum aut obligatum aut alienatum paruerit, & qui pro illorum parte & dato quaſcumque cauſationes de eo ipſis cuſtodibus jam dicte Eccleſie prepoſuerint, & ſicut ſuperius ſcriptum eſt, ipſe Domnus Princeps, & Dux & ejus heredes ipſis cuſtodibus jam dicte Eccleſie non adimpleverint, & ſupraſcripta vel ex eis quidquam removere aut contradicere preſumſerint, obligavit ſe & ſuos heredes componere cuſtodibus ipſius Eccleſie ducentos auri Solidos Conſtantinatos. *Et duas cartulas unius tenoris, hanc, quam ipſi Eccleſie emiſit, & alteram, quam ipſe Domnus Princeps retinet, te Romoaldum Notarium ſcribere precepimus, qui interfuiſti.*

✠ *Ego qui ſupra Amatus Judex.*

✠ *Ego qui ſupra Johannes Judex.*

Adeo autem uſus *Byſantiorum* invaluit, ac tamdiu perduravit, ut Sæculo etiam XIV. in Italica Lingua familiaris ejus pecuniæ appellatio foret; & quum quis dicebat, ſibi in votis eſſe *l'aver de' buoni Biſanti*, quid ejus verba ſignificarent nemo ſaltem in Tuſcia ignorabat. Eadem ratione in ore Italicæ gentis fuit olim familiaris vox *Torneſe*, quo nomine *Turonenſes* Nummi deſignabantur. Nulla autem dubitatio eſt, ut dixi, quin *Byzantii* ex auro fuerint: quod etiam ediſcere poteris ex Judicato autographo, mihi viſo apud Monachos Benedictinos Arretii in Cœnobio Sanctarum Floræ & Lucillæ. Ibi Conſtantinus Epiſcopus, & Hugo Comes pœnæ nomine indicunt *duo millia Biſancios* auri. Accipe nunc ipſam Chartam.

Placitum Arretii habitum coram Conſtantino Epiſcopo illius Civitatis & Hugone Comite, in quo Guido Abbas Monaſterii Sanctarum Floræ & Lucillæ evincit Curtem de Seſto, Anno 1079.

DUm in Dei nomine, in Palatio Epiſcopatus Aretini in judicio reſiderent Conſtantinus Aretinus Epiſcopus, & Ugo Comes *ad juſticias faciendas ac deliberandas, reſidentibus cum eis Arderico, Gerardo, Johanne Judicibus, Nordilo, Rodulfus, Sigiſmundo ..... Ildevrando Cauſidicis*, Walfredus Comite, *Pagano de Corſena*, Ugone Vicecomite, *Uberto filio Bucci, Ildebrando Ugonis filio, Rodulfo filio Maſcari Saracino .... Urſone, Grifone, Wilielmo, Rainerio filio Grifi, & reliquis pluribus ibidem adſtantibus. Ibique in eorum preſencia proclamaverunt Rainerius de Porano, & Teudicius de Hereditate Rainerii filio quondam Fuſcerii, quam dicebant ſuis uxoribus pertinere ex ſucceſſione predicti Rainerii fratris earum ab ..... defuncti, quod averſus Monaſterium Sancte Flore, quod de hereditatis illius partem poſſidebat, cujus Monaſterii* Wido Abbas *cum Pagano ſuo Avogatore ..... hujuſmodi fecerunt reſponſionem, quod prefatus Rainerius in quadam ſua infirmitate teſtamentum fecerat, in quo cuncta ſua bona diſtributa ..... partem hereditatis, de qua contro-*

troverſia erat, predicto Monaſterio Sancte Flore judicavit, ſcilicet terciam porcionem de Curte, quod nominatur Seſto. Et teſtibus productis, in eorum præſencia jam dictus Rainerius ſuam voluntatem auſtenderat. De teſtamento legiptime reddiderunt teſtimonium, & ita vero eſſe, ut Abas Egleſie Sancte Flore cum Pagano Avogato ſuo affirmaverat. His peractis & juſſione Conſtantini Aretini Epiſcopi, & Ugonis Comitis, & predictorum Judicum, predictus Rainerius & Teudicius pro ſe ſuiſque heredibus, & pro eorum uxoribus refutaverunt ſupraſcriptas res predicto Monaſterio, & obligaverunt ſe, quod nec ipſi, nec eorum uxores, vel eorum ac earumque heredes predicto Abati, ejuſque ſucceſſoribus de prefatis Curte nullam controverſiam in poſterum moturos ſub pena centum Librarum Denariorum Lucenſium. *Inſuper predictus Epiſcopus & Ugo Comes miſerunt in bannum ſupradictum Abatum & ſuum Avogatum, & ſupra prefatas res, ut nulla magna parvaque perſona, eos, eorumque ſucceſſores de predictis rebus diſveſtire aut moleſtare preſumat ſine legali judicio. Qui vero oc facere preſumpſerit, ſit ſe compoſiturum* duo millia Biſancios auri, *medietatem Parti Publice, & medietatem eidem Abati ſuiſque ſucceſſoribus.*

Unde quidem & ego Ardericus Notarius ex juſſione Domni Epiſcopi & Ugoni Comi & Judices & Cauſidicorum amonicione ſcripſi Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Septuageſimo Nono, Pridie Nonas Decembris, Indictione Tertia.

☧ *Ego Conſtantius Epiſcopus ſubſcripſi.*

✠ *Ego Ardericus Judex interfui & ſubſcripſi.*

✠ *Rodulfus Cauſidicus interfui & ſubſcripſi.*

✠ *Gerardus Judex ſacri Palatii ſubſcripſi.*

Fuere nihilominus procedente tempore *Byſantii* quoque *albi*, uti Du-Cangius animadvertit, atque ideo ex argento conflati. Atque hi Byzantii poſteriorum temporum, ejuſdem pretii fuere, atque Scuta Romana, quorum ſingula decem Juliis conſtant; valebant nempe iidem argentei Byzantii duas partes e tribus Floreni aurei valentis olim Julios quindecim. Præterea uſurpatos olim invenimus *Mancoſos*, ſive *Mancuſos auri*, uti & *Mancoſos argenti*. In Gloſſis Florentinis ab Eccardo editis reperio *Philippos* (*nummos*) *Maneuſa*. Lege *Mancuſa*. Quaſi a Philippo, aut Philippico Auguſto *Mancuſi* percuſſi fuerint. Apud Anglos olim *Mancuſa* idem fuit ac *Marcha*, ut pluribus oſtendit Du Cangius: ac proinde quum in Chartis quoque noſtris *Mancuſos* oſtendimus, argenti, aut auri Marcham deſignatam illic exiſtimare licebit, ſi ejuſdem Du Cangii ſententiam amplectimur, immo & Voſſii, & Hickeſii, qui idem ſenſere. Ego tamen, quod eſt ad Italos, dubitare de ea cogor. Quippe in Italicis Chartis video ingentem copiam *Mancuſorum* pro pœna ſtatui. Quod fieri non facile ſolebat quum de Auro ſermo erat. Exempla nonnulla dabo. Scilicet in tabulis, quas authenticas legi in Chartophylacio Monaſterii Mediolanenſis Ambroſiani, *mille Mancoſi auri* memorantur.

Ludovicus II Imperator Anſperto Diacono Mediolanenſi quaſdam res ab ipſo non ſemel in judicio evictas confirmat, Anno 857.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Hludovicus . . . . . & noſtris, preſentibus ſcilicet & futuris notum ſit, quia vir venerabilis Engilbertus *ſanctæ* Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus *ſuggeſſit celſitudini noſtræ pro quodam ſuo Diacono nomine Anſpertus, qui quaſdam res ſuper quemdam hominem nomine Anſprandum vicerat pro interfectionis ſcelere, quod in germanum ſuum exercuerat; ſuper quibus rebus etiam poſt adquiſitionem, noſtri Genitoris ſerenitate, preceptum adipiſci promeruit. Verumtamen adquiſitione adepta, & Imperiali precepto roborata, non valuit quorumdam hominum factioſa & ſubdola quieſcere conqueſtio, quin in noſtri preſentia prefatum Diaconem propter quandam cautionem, quaſi injuſte retineret, eorum exorta cepit compellare conclamatio: ſuper quibus & denuo compos & victor exiſtens legaliter in ſe jure perpetuo res predictas debere reſpicere etiam ſcriptionis robore per judicii certi definitionem prenotavi. Petiit quoque idem venerabilis Archiepiſcopus, ut iterum nos noſtra corroboraremus quod eſſe eorum auctoritate. Idcirco hoc noſtrum preceptum fieri juſſimus, per quod confirmamus eidem Diacono illas res, unde ſuperius mentionem habuimus, ſicuti in preceptis Domni & Genitoris noſtri illi confirmata & roborata eſſe dinoſcuntur. Precipientes quoque jubemus, ut nemo deinceps audeat ei de ipſis rebus aliquam injuſtam inferre calumpniam, ſed neque aliquam minorationem facere preſumat. Quod ſi quis hoc agere temptaverit, & noſtrum Privilegium violare temptaverit, noverit ſe pœna dam-*

Digitized by Google

damnandum Mille Mancoſos auri, *medietatem Palatio noſtro, medietatem vero predicto Diacono, ſuiſque heredibus. Et ut hoc quod jubemus, quodque concedimus, ab omnibus verius credatur, & in Dei nomine diligentius obſervetur, anulo noſtro ſubter juſſimus adnotari.*

(Non adeſt ſubſcriptio Imperialis.)

Werimboldus Notarius rogatus ad vicem Druclemiri.

Data XII. Kalendas Julii, Anno Imperii Domni Hludovvici piiſſimi Auguſti VIII. Indictione V.

Actum .....ariola, in Dei nomine feliciter. Amen.

Placitum ſubſequitur, luce plane dignum, quod hauſi e vetuſtiſſimo Regeſto Epiſcopii Cremonenſis, ubi pœna *duum millium Mancoſorum auri* indicitur.

Otto Dux & Miſſus Ottonis III. Imperatoris in Placito Cremonenſi coram ipſo Imperatore Privilegium Imperiale, ab Olderico Epiſcopo Cremonæ productum contra Cives Cremonenſes, germanum recognoſcit, & bannum pro ejus tutela emittit, Anno 998.

DUm in Dei nomine Civitate Cremona, in Domo ipſius Civitatis, in Laubia majore ipſius Domus, ubi Domnus Otto glorioſiſſimus Imperator preeſſet, in judicio reſidebat, per ejuſdem Domni Olderici licentiam, Otto Dux & Miſſus Domni ipſius Ottonis Imperatoris, *unicuique juſtitias faciendas ac deliberandas, reſidentibus cum eo* Henricus Dux, *ſeu* Nothecherius, Vivdraldus, & Petrus Epiſcopi, *Gribertus Muſicus, ſeu Leo qui Warinus Capellani ipſius Domni Imperatoris, Autecherius, Adelbertus, item Adelbertus, Marco, Radaldus, Johannes Judices ſacri Palatii, Rogerius de Bariano, Odelricus de Colonie, Albericus de Mauringo, Vaſſi ipſius Domni Oderici Epiſcopi, & reliqui plures: ibique eorum veniens preſentia ipſe* Domnus Odelricus *ipſius ſancte* Cremonenſis Eccleſie, *& Lanfrancus ejus Advocatus, & oſtenſerunt Preceptum unum, continente in eo ab ordine, ſicut hic ſubter legitur.* In nomine ſancte & individue Trinitatis. Otto divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Notum ſit omnibus noſtris fidelibus, preſentibus ſcilicet ac futuris, ſub noſtre dominationis culmine degentibus, Epiſcopis, Marchionibus, Comitibus, ceteriſque in inferiori ſtatu viventibus, Cremonenſes Cives nefanda deceptionis fraude nos circumveniendo decipientes intra dive memorie Avi, Patriſque mei veneranda, incunvulſe & intemerate permanſura Precepta de Cremone diſtrictione infra Civitatem & extra, per quinque miliariorum ſpatia, curatura videlicet, teloneo, ripaticoque, certis redibitionibus, ſive negotiis, que in eiſdem Preceptis leguntur & continentur, que univerſa nos remeante beati Petri Apoſtolorum Principis Corpus, per noſtri Precepti paginam manu propria in Sinodo jam antea roboravimus & conformavimus; ex noſtri parte nobis neſcientibus, apud nos amodo falſum, & ideo ..... ac deſtruendum inlegitime ac ſubdole acquiſiviſſe Preceptum; quod cum noſtre certitudinis majeſtati per venerabilem Odelricum ejuſdem Civitatis Epiſcopum revelata fraude intimatum fuiſſe, quia dignum nobis & rectum viſum eſt, ut per ea, que juſtificatione prefate Cremonenſis Eccleſie data & confirmata fuerat, hoc injuſte factum & rite abolendum Preceptum, depoſita fronte verecunde tacere ſilentio, ne forte, quod Deus avertat, juſtitia & rectitudo, obviante mandato Dei ..... pura mente, firmoque conſilio ſtatuentes decrevimus, quatenus ex noſtri Præcepti pagina quaſi grave jugum predicto callide acquiſto Precepto imponeretur; cujus juſto pondere ad nichilum omnimode redigatur & annuletur, vigore careat, virtutem non habeat, ſilens tacitumque permaneat, atque in nullo omnino valeat, ſed quod Avus, & Genitor noſter jam dicte Curtis Cremonenſis Eccleſie dederant & confirmaverant, & nos, ut diximus, confirmando roboravimus, incunvulſa & intemerata omni tempore maneat, hoc ſuperaddito Imperialis noſtre ſecuritatis Precepto. Eo nimirum ordine, ut nullus Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdaſcius, Gaſtaldio, Decanus, ſeu quislibet Regie aut Imperialis potentie Procurator noſter, noſtrorumque militum miles, ſive cujuſcumque ordinis &c Signum Domni Ottonis ſereniſſimi & invictiſſimi Imperatoris Auguſti. Herimbertus Cancellarius vice Petri Comani Epiſcopi & Archicancellarii recognovi. Data III Nonas Auguſti Anno Dominice Incarnationis DCCCCXCVI. Indictione IX. Anno vero Tertii Ottonis regnantis XIII. Imperii autem ejus ..... Actum Papie feliciter. Amen. *Preceptum ipſum oſtenſum ab ordine lectum, interrogati ſunt ipſi Domnus Odelricus Epiſcopus & Lanfrancus ejus Advocatus, per quod Preceptum ipſum ibi oſtenderat: qui dixerunt:* Vere ideo Precep-

Digitized by Google

tum istum hic ostensimus presentia, ut ne scilens appareat, si ullus homo versùs nos &c. Et quod plus est, querimus, ut dicant iste Domnus Otto glorioſissimus Imperator, & Liuzo Judex ejus Advocatus esse constitutus, si Preceptum ipsum, quem hic ostensimus, bonum & verum est, aut ipse Domnus Otto glorioſissimus Imperator eum fieri rogavit, & ab ejus anulo in calce jussit sigillare. *Ad hec responderunt ipse Domnus Otto glorioſissimus Imperator, & Liuzo ejus Advocatus & Judex dixerunt & professi sunt.* Verum Preceptum ipsum, quem vos ostensistis, bonum & verum est: & ego ipse Domnus Otto glorioſissimus Imperator eum fieri rogavi, & meum anulum in calce jussit sigillare, & de hoc, quod per ipsum Preceptum parte ipsius Episcopii concessit habere, & in eo . . . . . omni tempore firmum & stabilem ita jubeat permanere. *Tunc ipse Domnus Dux Otto per ejusdem Domni Ottonis glorioſissimi Imperatoris licentia, per fuste, quem in sua tenebat manu, super eundem Domnus Oldericus Episcopus & Lanfrancus ejus Advocatus, seu super ipsum Preceptum, bannum ipsius Domni Ottonis glorioſissimi Imperatoris pro Dei amore, & anime sue mercedis, emisit* in Mancosos auri duo Millia, *ut nullum quibuslibet homo de eo, quod in ipsum legitur Preceptum, aliqua violencia aut minuationem seu contraditionem parte ipsius Episcopii facere audeat sine legali juditio. Qui vero fecerit, predicta* duo Millia Mancosos auri *se componsiturus agnoscat, medietatem parte Camare ipsius Domni Ottonis glorioſissimi Imperatoris, & altera medietate parte ipsius Domni Odelrici Episcopi, suisque succesſoribus, seu pars ipsius Episcopii. Hinc notitiam pro securitate ejusdem Episcopii fieri ammonuerunt.*

Quidem & ego Dominicus Notarius sacri Palatii ex jussione prefati Missi & Judicum ammonitione scripsi in nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Tertius Otto gratiâ Dei Imperator Augustus, Anno Imperio ejus Deo propitio II. quartodecimo Kalendas Februarii, Indictione XI.



OTTO DVX ET MISSVS SVBSCRIPSI.

Autecherius Judex sacri Palatii interfui.
Adelbertus Judex sacri Palatii interfui.
Johannes Judex sacri Palatii interfui.
Radaldus Judex sacri Palatii interfui.
Martius Judex sacri Palatii interfui.
Adelbertus Judex sacri Palatii interfui.

Alterum Placitum exero, cujus antiquum apographum se mihi legendum obtulit in Archivo Capituli Canonicorum Patavii. Ibi *duo millia Mancusorum* animadvertas.

Guntherus Cancellarius Henrici Imperatoris II. in Placito Mantuano bannum promulgat pro tutela Decimarum spectantium ad Canonicos Patavinos, Anno 1055.

DUm in Dei nomine, in Civitate Mantua, in Lobia solariata, que fuit Marchionis Bonifacii, *in judicio resideat* Domnus Guntherus Cancellarius & Missus Domni Secundi Henrici Imperatoris, *ad justitias faciendas ac deliberandas, residentibus cum eo Atto, Tolbertus, Burgundius, Gravo, Wezolus Judices sacri Palacii, Liutulfus, Papo, Ingo, Rozo, Gumpo, Joannes, Tiso, Bonifacius, & reliqui plures: ibique in eorum veniens presentia Milo Archidiaconus, & Milo Presbiter, seu Ademarius item Presbiter, & Johannes, & Adam Diaconus, Canonici Sancte Marie matris Ecclesie Patavine, una cum Johanne Advocato eorum, & ceperunt dicere:* Habemus & detinemus ad proprietatem Canonice Sancte Marie nominative totas Decimas de omnibus rebus de Villa, que dicitur Vico Altikerii, & Villa, que dicitur Vico de Arzere, & de Villa, que dicitur Roncone, & de Villa, que dicitur Roncalia & de omnia, que ad Decimas de prædictis Villis pertinet. Et si quislibet homo adversus nos aut adversus pars predicte Canonice aliquid dicere vult, parati sumus cum eo exinde ad racionem standum & legitime finiendum. Et quod plus est, querimus, ut vos propter Deum & anime Domni Imperatoris ac vestri mercedem, mittatis bannum super nos, & super predicta Canonica, ut nullus quislibet homo de predictis Decimis devestire, molestare vel inquietare audeat, sine legali judicio. *Et cum ipse Milo Archidiaconus, & Milo, & Ademarius Presbiteri, & Johannes, & Adam Diaconus, una cum Johanne Advocato eorum taliter postulassent, tunc predictus Domnus Cancellarius & Missus per fustem, quem sua tenebat manu, misit bannum supra predictis Canonicis, ut nullus quislibet homo de predictis Decimis pars predicti Canonici devestire, molestare, vel inquietare audeat sine legali judicio. Qui vero fecerit,* duo mille Mancosos aureos *se componsiturum agnoscat, medietatem parte Kamere Domni Imperatoris, & medietatem parti predicti*

Digitized by Google

cti Cononici . Finita eſt cauſa, & hanc notitia pro ſecuritate parti predicte Canonice fieri ammonuerunt .

Quidem & ego Petrus Notarius & Judex ſacri Palatii ex juſſione predicti Cancellarii, & Judicum admonitione ſcripſi; Regni verò Domni Secundi Henrici Imperatoris Deo propicio Nono, XV. Kalendas Novembris, Indictione IX.

Ego Guntherius Cancellarius confirmavi .

Ego Atto Judex & Miſſus interfui .

Ego Burgundius Judex ſacri Palacii interfui .

Ego Gravo Judex interfui .

Ego Wezolus Judex interfui .

Ex eodem Archivo Capituli Patavini tertium Placitum depromſi, ubi itidem *duo mille Mancoſos aureos* commemorari videas .

Milo Epiſcopus Patavinus litem vincit in Placito coram Liutaldo Duce contra quoſdam uſurpatores bonorum Eccleſiæ ſuæ, Anno 1085.

DUm in Dei nomine, in Civitate Padua, in judicio reſideret Domnus Liutaldus Dux, *ad ſingulorum hominum juſticias faciendas ac deliberandas, adeſſent cum eo Ardricus Advocatus, Johannes &c. Judices, Uberto &c. & reliqui plures . Ibique in eorum preſentia veniens* Domnus Milo Patavenſis Eccleſie Epiſcopus, *una cum Advocato ſuo Uberto, retulerunt & ceperunt dicere, ac poſtulare mercedem* : Petimus vobis, Domne Liutaldus Dux, ut propter Deum, & anime veſtre mercedem faciatis nobis rectum de Ugolino de Cingularia, qui tenet caſam unam in jam dicta Civitate Padua juris jam dicti Epiſcopatus, & dedignatur propter nos diſtringi, aut juſtitiam facere . Et . . . . . nobis de filiis quondam Fuſcoli, qui tenent Molandinum unum in Fluvio Retrone . . . . . ti Epiſcopatus, quem eſterna die vincerunt ſupra quendam Singibaldum . *Cum ipſe Domnus Milo Epiſcopus una cum Advocato ſuo Uberto taliter petiiſſent mercedem : tunc ibi loco per Judicum judicio, qui ibi fuerant, & per lignum, quod in ſua tenebat manu, inveſtivit jam dictum Milonem Epiſcopum & Advocatum ejus Uberto de jam dicta caſa & molandino ad hactenus ; & inſuper miſit bannum ſuper predictum Epiſcopum & Advocatum ejus, & ſuper predicta caſa & molandino* in duo mille Mancoſos aureos, *ut nullus quislibet homo &c. predictos* duo mille Mancoſos aureos *ſe compoſiturus agnoſcat, medietatem parti publice, medietatem eidem Epiſcopo . Finita eſt cauſa, & hanc notitiam propter ſecuritatem ejuſdem Milonis Epiſcopi & predicti Epiſcopatus fieri ammonuerunt .*

Quidem & ego Olveradus Domni Heinrici ſereniſſimi Auguſti Notarius ex juſſione jam dicti Domini Ducis & Judicum ammonicione ſcripſi .

Factum eſt hoc Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Octuageſimo Quinto, Tercio die Marcii, Indictione VIII.

✠ *Hec Crux ſignum manus Domni Liutaldi Ducis, qui hanc noticiam fieri juſſit .*

Ego Gotefridus Judex interfui .

Tantam irrogare pœnam minime mos fuit, ſi *Mancuſi* nomine *Marcham auri* deſignatam velimus . Ad hæc ſub *Mancuſi*, ſeu *Mancoſi* vocabulo genus quoddam *Solidorum aureorum* aut *argenteorum* invenio . Anaſtaſius in Vita Adriani I. memorat *in auro Solidos Mancuſſos numero ducentos* . Et in Vita Leonis IV. ait : *Multos ei in argento Mancoſos præbuit* . Iſoni Magiſtro *Philippei* appellantur *Mancuſi* : *Philippum* verò Papias Grammaticus, & Gloſſæ MStæ *Solidum* fuiſſe teſtantur . In vetuſtiſſima quoque Papyro Ravennate, Francis in Italia imperantibus, ſcriptâ, quam pag. 175 Diplomat produxit celeberrimus Philologus Marchio Scipio Maffejus, legimus *ſcripto pretio Solidos Mancoſos trecentos* . Neque diſſimulabo, me reperiſſe in Diplomate Henrici I. Auguſti, *Mancuſos viginti* æquivalere *Solidis quinquaginta* . Sed fortaſſe *Mancuſi* illi aurei æquiparantur *Solidis* argenteis . Diploma hoc nondum editum accipiat nunc Lector, quod autographum adſervatur in Chartophylacio Monaſterii Veronenſis Sancti Zenonis .

Henrici II Regis & Imperatoris I. Diploma, per quod Monaſterio Veronenſi Sancti Zenonis omnia illius jura & bona confirmat, Anno 1014.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis . Heinricus divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus . Quia Regalis & Imperialis poteſtas ſupra omnia & pre omnibus divino cultui debet eſſe ſemper intenta, & Eccleſiarum Dei ſarcinam libenter portare ac ſublevare, quatenus id agendo æternæ remunerationis premia percipere mereatur ; idcirco noverit omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtro-

Digitized by Google

ſtrorumque preſentium ſcilicet ac futurorum induſtria Ildeprandum Veronenſem Epiſcopum *humiliter noſtræ ſerenitatis exoraſſe clementiam, quatenus ob amorem Dei omnipotentis, beatique Zenonis Confeſſoris Chriſti reverentiam, omnes proprietates & poſſeſſiones Monaſterii predicti beatiſſimi Zenonis, ubi Corpus ejus ſacrum quieſcit humatum, & ubi nunc* Domnus Rozo *venerabilis* Abbas *preeſſe videtur, que ab anteceſſoribus noſtris Regibus ſcilicet, & Imperatoribus, Epiſcopis, Comitibus, boniſque hominibus delegatæ ſunt, & conceſſæ, per noſtræ munificentiæ Preceptum corroboraremus, modiſque omnibus confirmaremus. Cujus ratas petitiones eſtimantes, miſericordiaque omnipotentis Dei, & ejuſdem beati Zenonis meritis & interceſſionibus nos adjuvari ſperantes, omnia Privilegia ac Precepta ipſius Monaſterio quæ conceſſa & confirmata ac funditus delegata ſunt priſcis temporibus ab anteceſſoribus noſtris Regibus vel Imperatoribus, ſeu omnes ſcriptiones, univerſaſque res cum familiis & ſervis utriuſque ſexus, unde ipſum Monaſterium juſte & legaliter hactenus inveſtitum permanſit, & quicquid inibi legibus pertinere dinoſcitur, tam per commutationes & precarias, quàm per oblationes & offerſiones bonorum hominum, ſive aliquas traditiones & quaſcumque donationes, quæ dici aut nominari poſſunt, per hanc preſentem noſtræ munificentiæ auctoritatem perpetuo confirmamus, modiſque omnibus corroboramus: ideſt in eodem territorio Veronenſi Monaſteriolum conſtructum in honore Sancti Petri, quod dicitur Mauriatica: Villapicta: Caſtellum in Mauriatica, cum Capella in honore Sanctorum Firmi & Ruſtici: Caſtellum Herbetum cum cunctis adjacentiis & pertinentiis ſuis: Trebuntiolum: Vicum Aderis: Capellam Sancti Laurentii, ſitam in ripa Padi, que dicitur Hoſtilia: Campum Walani: Campum Paliarium: Et Novoletum: & in Gajo Villam, quæ dicitur Aſpo: Corticellam in Platone: Capellam Sancti Viti ſitam in Portu: In Lavanio Cortem unam: In Monte Tauri Cortem unam cum Molendinis: Caſtellum Rominianum cum faſticiis Sancti Zenonis: & Montem, qui dicitur Alferia: In Leſinio, ubi dicitur Merlario, campos duos: In Clariano campos tres: in Puaro campos tres: in Laupha campum unum: in Sinevello Cortem unam: in Cavalo in Puiniano Cortem unam: Caſtellum Sancti Viti cum pertinentiis ſuis: Parona: Caſſianum: Cellam Sancti Petri infra Civitatem Veronam cum pertinentiis ſuis: in Laceſis Cortem unam cum Capella in Sancte Chriſtine: in Bardulini Cortem cum Capella Sancti Zenonis: in Cavi Cellam Sancti Andreæ cum pertinentiis ſuis: in Affi Corticellam unam: in Bellune miſſaricias tres: in Valle Trientina Cortem unam: in Lachari Cortem unam: & res in Valle Caprinate, & in Vallepuro: in Venti Capellam Sancti Viti cum pertinentiis ſuis: in Comitatu Brixiano in Puiniaca Corticellam unam: & res in Alfiano conſtitutas, & in Plaſiano: & Cortem in Rivoriola cum omnibus pertinentiis ſuis: in Comitatu Vicentino Cortem unam, que dicitur Cornetum: in Eſculetum Cortem unam: in Comitatu Treviſiano Cellam Sancti Theoniſti, & Sancti Martini cum omnibus adjacentiis ſuis: in Parma Cellam Sanctæ Eugeniæ infra Civitatem cum ſuis pertinentiis: in Civitate Florentia Capellam Sanctæ Mariæ, quæ dicitur Ferleuba, cum pertinentiis ſuis, & cum omnibus rebus ad præfatum Monaſterium pertinentibus: cum Eccleſiis, Caſtellis, Vicis, colonibus, mancipiis, factitiis, & familiis utriuſque ſexus, terris, vineis, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, piſcationibus, paludibus, cultis & incultis, rebus mobilibus & immobilibus, quantumcumque in ſupradictis locis eorum legitimadinoſcitur eſſe poſſeſſio vel dominatio, tam de comparatu quàm & de quolibet attractu, omnia & ex omnibus ad memoratum locum pertinentibus.*

Specialiter tamen concedimus ſecundùm Precepta predeceſſorum noſtrorum, ut in Regalibus ſilvis tam in Gajo quàm in ceteris paſcuis licentiam habeant greges ovium ſuarum, nec non porcorum, jumentorumque vel ceterorum animalium ad ipſam Eccleſiam pertinentium, abſque aliqua datione aut exactione paſcua habere. Precipientes denique jubemus, ut nullus Dux, Marchio, Epiſcopus, Archiepiſcopus, Comes, Vicecomes, Sculdaſcio, Gaſtaldio, nullaque noſtri Imperii magna parvaque perſona predicti Monaſterii Abbatem vel Monachos aut eorum familias, ſervos ſeu liberos de omnibus prefatis rebus inquietare vel moleſtare aut diſveſtire preſumat, nullum fodrum aut cenſum, neque telonaticum perſolvere cogantur. Nullus infra eorum Villas aut Caſtella, ingredi, Placitum tenere, aut eorum liberos ſive famulos diſtringere vel pignorare, neque hoſpitari, ſeu aliquam functionem ſeu exactionem exigere audeat; ſed habeant eorum naves licentiam eundi & redeundi per Padum, vel per Ataſim, ſeu per cetera flumina abſque ulla publica exactione & datione. Sed neque ipſe Epiſcopus aliquid ab eis exquirat, ſeu aliquam moleſtiam inferat, niſi tantum

Digitized by Google

tum quod antiquitus ſtatutum eſt, in feſtivitate Sancti Zenonis aut Mancuſos viginti, *aut* Solidos quinquaginta, *cum ſuis Clericis accipiat. Liceatque ipſis Monachis ex propria Congregatione Abbatem eligere, ſi ibi talem potuerint invenire; ſin autem licentiam habeant cum conſenſu Epiſcopi, undecunque, ſibi bonum paſtorem eligere. Et ſi aliqui hoc Preceptum inrumpere temptaverint, licentiam habeant ipſi Monachi pro hac re aut ad nos, aut ad ſucceſſores noſtros reclamandi. Hoc vero & nos ob æternam remunerationem concedimus, ut Epiſcopus ejuſdem Civitatis nullam umquam poteſtatem habeat aliquid inde abſtraere vel ſibi uſurpare, aut alicui in beneficium dare; ſed poſſint quiete & tranquille Dei miſericordiam jugiter pro nobis exorare. Si quis vero hujus noſtri Precepti violator extiterit, ſciat ſe compoſiturum centum Libras auri obrizi, medietatem Kameræ noſtræ, & medietatem predicti Monaſterii Abbati vel Monachis. Quod ut verius credatur & diligentius ac firmius ab omnibus obſervetur, manu propria roborantes, ſigillo noſtro juſſimus inſigniri.*

Signum Domni Heinrici  *ſereniſſimi & invictiſſimi Imperatoris Auguſti.*

Heinricus Cancellarius vice Everardi Epiſcopi & Archicancellarii recognovi.

Data XII. Kalendas Junii, Anno Dominicæ Incarnationis MXIV. Indictione XII. Anno Domni Heinrici Imperatoris Auguſti regnantis XII. Imperii verò ejus I.

Actum Veronæ, in Dei nomine feliciter. Amen.

Appenſa pendet Bulla plumbea ejuſmodi.



Quæ verò hactenus dixi de *Mancuſis*, in memoriam mihi revocant Caroli Craſſi Auguſti Diploma Anno DCCCLXXXIII. ſcriptum, atque ab Ughellio editum Tom 4. Ital. Sacr. in Epiſcop. Bergomatibus pro Eccleſia Bergomate, ubi tranſgreſſores dicuntur perſoluturi eidem Eccleſiæ *triginta millia Mancoſorum Aureorum.* Tantam indicere multam, minime mos veterum fuit; & quiſnam illam quæſo ſolviſſet? Pauci ſane, & ne ipſi quidem opulentiſſimi: quare vitiatum locum opinor. Sed juvat huc transferre, quæ Hickeſius in Diſſertatione Epiſtolari Tom. 2. Linguar. Veter. Septentrional. habet: *Monetæ percuſſæ argenteæ unum, ut videtur, apud Anglo-Saxones genus fuit: nempe argenteus ille Nummus, quem* Penning, Pennig, Penninc, *& cum ſimplici N* Pening &c. *vocabant. Penning autem, qui a nobis Penningus Latino-barbare nuncupabatur, cuſum nummulum argenteum, quem dicimus hodie* a three pence, *ideſt tres denarios Eſterlingos, quod trutina probat, pondere & valore æquabat. Quinque Penningi pecuniæ argenteæ ſummulam, quæ Anglo-Saxonice*, a enne Scyling, *ideſt unum Scyllingum: & triginta Penningi ſummulam pecuniæ argenteæ, quam* a enne Mancus, *vel* aenne Mancs, *ideſt unam Mancuſam conſtituebant (vel unam Marcam.)* Mearc *enim, ſive* Marc *apud Anglo-Saxones idem argenti pondus, ac Mancus ſignificabat* &c. *Mancuſa pariter argentea, quæ triginta Penningos tales continebat, nonaginta noſtros valebat Penningos, ſeu tres excuſos patriæ noſtræ nummos argenteos, quos vocamus Halferowns. Mancuſa verò, vel Mar-*

Digitized by Google

ea auri, decies valebat Mancusas argenti, secundùm valorem, quo aurum argentum superabat apud Græcos & Romanos. Ita Hickesius. *Folles* etiam mihi commemorandi sunt, antiquissimum pecuniæ genus *Pholles* ab aliis appellantur. Græcæ originis fuerunt, ac de iis eruditionis Græcæ & nummariæ studiosi multa dixere Præterire tamen piaculum ducerem, quid in hanc rem adnotavit Salmasius in Notis ad Lib. Tertulliani de Pallio pag 112. Nempe e Rationali Græco in Regia Parisiensi Bibliotheca adservato educi, quid Græcorum Nummorum species quædam proportionis inter se haberent. *Nummus*, inquit, *Aureus tum duodecim Milliarensibus argenteis valebat. Milliarense* (hujusmodi Solidorum est mentio in Chronico Vulturnensi Part. II. Tom. I. Rer. Italicar.) *viginti quatuor æreis Follibus. In bessem nummi aurei, Dicerati nomine, postulabant exactores Folles sexdecim pro Hexapholle: sen Folles bes aurei cum Dicerato & Hesapholle, Milliarensia octo colligit, & Folles duo & viginti.* Suidas *Follem* non aliud quàm Obolum fuisse scribit. Ærei plerique Folles fuere; sed & Argenteos non defuisse fortassis ostendi possit. Aureos tantùm agnoscit Gutherius Lib. 3. Cap. 17 de Offic. Dom. August. qua in re deceptum illum puto. Marcellinus Comes in Chronico ad Annum Christi CCCCXCVIII. de Anastasio Imperatore hæc habet: *Nummis, quos Romani Terentianos* (Sirmondus recte suspicatur legendum *Ternuntios* aut *Teruntianos*) *voeant, Græci Follares* (alii Codices habent *Folles*) *Anastasius Princeps suo nomine figuratis, placibilem Plebi commutationem distraxit.* Et hujus quidem Græcæ pecuniæ, hoc est *Follium*, sive *Follarium*, antiquissimus est usus ac nomen: nam & ejus mentio est in Codice Theodosiano, & apud Lampridium, & penes Sanctum Augustinum Lib. 22. Cap. 8. de Civitate Dei, atque alibi, uti & apud Evodium Episcopum Uzalensem Lib. prim. Cap. 14. de Miraculis Sancti Stephani. Idque etiam confirmabit vetusta Inscriptio apud Gruterum pag. 810. 10.

Ad Bucinum Lucaniæ Oppidum.

IN QVEM INDVXI SARCOPHAGVM

IN QVEM DVM RECEPTVM FVERIT CORPVS MEVM

NVLLI VNQVAM LICEAT ACCEDERE NEQVE VEXARE OSSA MEA

NON FILIVS NEQVE NEPOTES NEQVE DE AFFINITATE VLLVS

SI QVIS AVTEM INFRINGERE VEL APERIRE AVSVS FVERIT

IS TVM INFERET POENÆ NOMINE REIPVBLICÆ FOLLES MILLE

SANE NÆVIA PRISCA

SI PERMANSERIT VSQVE IN DIEM FINITIONIS SVÆ

RECIPIETVR IBI JVXTA MARITVM SVVM.

Alteram

Digitized by Google

Alteram accipe e ſchedis meis.

Aquilæ in Civitate Aprutina pro foribus Sanctæ Mariæ de Rojo baſis, ſuper qua ex pedum veſtigiis ſtatua olim collocata fuiſſe dignoſcitur.

DEDICATA III. KAL. IVL

VRSO ET POLEMIO CONS

OB CVIVS DEDICATIONEM

DEDIT PLEBI VRANE

AD AEPVLVM CONVIVII

PANEM ET VINVM TAVROS II. VERBECES XV.

PRÆTEREA ET ARCÆ EORVM FOLLES M .....

EX QVORVM VSVRIS PER SINGVLOS ANNOS CONVIVIVM

DEDICATIONIS SIBI EXSIBEANT.

Poſita eſt Inſcriptio Anno Chriſti CCCXXXVIII Neque præteribo, quæ de his aliiſque Græcis Nummis ſcribit Scholiaſtes Baſilicorum Eclog. 23. *Noſſe*, iniquit, *oportet, Ceratium unum Follibus valere duodecim, ſive Miliariſio dimidio. Valent itaque Ceratia duodecim Nomiſmate medio: nam integrum Nomiſma continet Miliariſia duodecim, ſeu Ceratia XXIV.* Qui plura cupit *de Follibus*, & *Milliarenſibus* adeat Dionyſii Petavii magni viri Diatribam in Sancti Epiphanii Opuſculum de Menſur. & Ponderibus.

Michelatos, ſeu *Michalatos*, aut *Michaëlitas*, Michaëlis Græci Auguſti nomine ſignatos; & *Romanatos* a Romano Græcorum Imperatore ita appellatos, novimus. Occurrunt quoque *Eſmerati* in Charta, quam adſervat Sublacenſis Monaſterii Tabularium. Hanc etiam tenebris ereptam Lector accipiat.

Leonis Sublacenſis Abbatis Charta, per quam agros emit a Marco Archipresbytero &c. Anno 936.

ANno Domino propitio Pontificatus Domni Leonis ſummi Pontificis & univerſalis VI. Papæ in ſacratiſſima Sede beati Petri Apoſtoli Primo, Indictione IX. Menſe Junio die II. Quoniam certum eſt, nos videlicet Marco religioſo Archipresbitero, ſeu Petronia honeſta femina, nec non & Andrea Monetario, Dominicus & Stephania honeſta femina jugalibus, ac die ceſſiſſemus & ceſſimus atque tradidimus, nec non & venumdavimus, nullo nobis cogente neque contradicente vel ſuadente aut vim faciente, ſed propria ſpontaneaque noſtra voluntate, vobis Domno Leone *humilis Presbitero, & coangelico* Abbati *venerabili* Monaſterio Sancti Benedicti, *quod ſitum eſt* in Sublaco, *ſeu Johannis atque Creſcentium venerabilibus Diaconis & Monachis ex eodem Monaſterio, cunctamque Congregationem ſervorum Dei, ſucceſſoribus veſtris, vel cui eas vobis largire & concedere placueritis, ideſt terra ſementaricia in integrum capacitatis modiorum plus minus XXV. cum parietinis deſertis, & cum omnibus ad eas generaliter & in integrum pertinentibus: poſita foris juxta Porta Majore in fundum, qui vocatur ..... juris venerabilis Scole Cantorum, que appellatur Orfanotrophyo; & inter affines a tribus lateribus Via publice circumdant, & a quarto latere Arco marmoreo majore ante ſupraſcripta Porta, unde & Charta tertio genere nomine noſtro facta eſſe videtur. Cum hanc ceſſio venditionis charta vobis contradidimus charta ſecuritatis ad nomen de me ſupra ſcripto Andrea facta, quas facere viſa fuit Anna germana mea, & ceſſio venditionis charta ad nomen Johanni ſupraſcripto quondam Monetario genitore meo facta. Cum alias moniminas novas ac vetuſtas apud me meoſque heredes & ſucceſſores rogarunt ad conſer-*

Digitized by Google

ſervandum & ſalvas faciendum pro alia terra, que meas eſſe continere videtur, & pro hoc eas vobis min me tribuere potuimus; ſed quandoque vobis veſtriſque ſucceſſoribus neceſſe fuerit pro veſtra defenſione, oſtendere & demonſtrare ſpondeo gratis & abſque omni pecunia in omni tempore. Et ſi ex predicta terra qualiſvis charta a nos noſtroſque heredes & ſucceſſores contra vos veſtriſque ſucceſſoribus litigandum (quod abſit) oſtenſa fuerent; tunc vacuam & inanem & abſque omni robore firmitatis decernimus permanere. Pro qua etiam ſupraſcripta terra ſementaricia in integrum ad modiorum plus minus XXV. cum parientinis deſertis, & cum omnibus ad eas pertinentibus, ut ſuperius legitur, accepimus nos ſupraſcripti venditores a vobis ſupraſcripti emptores in preſentia ſubſcriptorum teſtium, videlicet in argento bono optimo Eſmeratos Libram *juſtoque penſantem, novoque placabiles. In omnem veram deciſionem, & ab odierna die licentiam habeatis in ſupraſcripta terra, ut ſuperius legitur, de preſenti introëundi, utendi, fruendi, poſſidendi, vendendi, donandi, commutandi, etiam chartam renovandi, & quicquit exinde facere ſive peragere volueritis, in veſtram, veſtriſque heredibus & ſucceſſoribus ſit poteſtate. Et numquam a me, neque ab heredibus & ſucceſſoribus noſtris, aut a nobis ſummiſſa magna parvaque perſona contra vobis veſtriſque ſucceſſoribus aliquam aliquando abeatis queſtionem, onus aut calumniam, ſed in omni tempore ab omni homine, in omni loco, ubi & ubi vos veſtriſque ſucceſſoribus neceſſe fuerit, ſtare nos una cum heredibus & ſucceſſoribus noſtris, & defendere promittimus vobis veſtriſque ſucceſſoribus. In qua & juramento dicimus per Deum omnipotentem, ſanctaque Sedis Apoſtolice, ſeu ſalutem beatiſſimi, & Apoſtolici Domni Leoni ſanctiſſimi Sexti Pape, hec omnia, que hujus ceſſio venditionis chartam ſeriem textus eloquitur, inviolabiliter conſervare atque adimplere promittimus. Si vero (quod abſit) & quoquo tempore nos vel heredibus & ſucceſſoribus noſtris vobis veſtriſque ſucceſſoribus, aut contra hanc ceſſio venditionis charta, quam ſponte fieri rogavimus, agere aut cauſare preſumpſerimus, pro quovis modi ingenio, quod ſenſum humanum intelligere vel capere poteſt, & minime defendere potuerimus aut noluerimus, vel amplius pretium vobis veſtriſque heredibus ſucceſſoribus queſierimus, tunc non ſolum perjurii reatum incurramus, verum etiam daturi nos promittimus una cum heredibus & ſucceſſoribus vobis veſtriſque ſucceſſoribus ante omne litis initium pene nomine ſupraſcriptum argentum in duplum, & poſt penam abſolutionis manente hanc ceſſionis venditionis charta ſeriem in ſua nichilominus maneat firmitate. Quam ſcribere rogavimus Leonem Scriniarium & Tabellionem Urbis Romæ, in qua & nos ſupraſcripti ſubtus manu propria ſubſcripſimus, & ſigna ſancte Crucis fecimus, & teſtes qui ſubſcriverent, rogavimus, & vobis ſupraſcripti contradidimus in Menſe & indictione ſupraſcripta IX*

✠ *Marco Archipresbiter huic ceſſio venditionis charta in venerabili Leone Abbate a me facta manu propria ſubſcripſi, & teſtes qui ſubſcriberent, rogavi.*

✠ *Signum manu ſupraſcripta Petronia venditrice ſignum Crucis feci.*

Andrea in Dei nomine Conſul in hanc ceſſio venditionis charta teſtis ſignum ✠ *feci, & teſtes, qui ſubſcriberent, rogavi.*

Signum manu Stephania ſignum ✠ *feci, & teſtes, qui ſubſcriberent, rogavi.*

Nycolaus in Dei nomine Conſul & Dux, teſtis rogatus ſignum ✠ *feci.*

Baduaro in Dei nomine Conſul & Dux, teſtis rogatus ſignum ✠ *feci.*

Petrus in Dei nomine Conſul & Dux, teſtis rogatus ſignum ✠ *feci.*

Leo in Dei nomine Conſul & Dux, teſtis rogatus ſignum ✠ *feci.*

Romanus in Dei nomine Conſul & Dux, teſtis rogatus ſignum ✠ *feci.*

Ego Leo Scriniarius & Tabellio Urbis Romæ complevi & abſolvi.

Vide quot Conſules & Duces hiſce tabulis ſubſcripſerint. Verùm in notas Chronologicas hujus Chartæ irrepſiſſe mendum videatur, quum Leo *Sextus* appelletur, qui in Hiſtoria Eccleſiaſtica *Septimus* inſcribitur. Nil tamen immutare volui: fortaſſis enim Leo VI. Papa Anno DCCCCXXVIII electus, uti verus Pontifex poſt ejus mortem non eſt agnitus. Ceterum quod eſt ad *Eſmeratos* in Charta hac memoratos, nullum puta peculiaris pecuniæ genus hoc nomine deſignari, ſed tantummodo Solidos *Eſmeratos* fuiſſe nuncupatos, qui ex argento *mero*, ſive bene purgato conſtabant. In Capitulari Caroli Calvi apud Baluzium Tom. 2. pag. 178. legitur: *Quorum argentum ad purgandum acceperint, ipſum argentum Exmerent.* Ubi *Exmerare* pro *bene purgare*. Singularis contra nummorum ſpecies *Perperi* fuere (Græca pecunia), quorum frequens eſt mentio in Chronico Veneto Danduli, atque in Orientalium Populorum monumentis. Marino Sanuto juniore teſte in Hiſtor. Venet.

Tomo

Digitized by Google

Tomo XXII. Rer. Italicar. duo *Perperi* æquabant unum *Ducatum aureum* Venetum. Hi etiam appellati *Hyperperi* sive *Hyperpera*. De his post Du-Cangium egit Clarissimus Vir Sebastianus Paulius in Additamentis ad Beverini Syntagma de Ponderibus. Græcorum quoque Nummi argentei vocati fuere *Aspri*, aut *Albi*, de quorum nomine & æstimatione consule nuper laudatum Du-Cangium in Dissertat. de Nummis Græcorum. Attamen Sanutus junior indicare videtur *Aspros* non alios fuisse a *Perperis*; dum scribit, unum Ducatum aureum Venetum (nunc *Zecchino*) duobus *Aspris* pretio suo respondisse. *Melichinos*, seu *Malachinos* valentes octo Grossos supra commemoratos a Cabrospino in sua scheda vidimus. Hos Centius Camerarius in Ceremoniali Romano *Meloquinos* appellat; eosque *Monetæ Italicæ* speciem fuisse opinatur Du-Cangius. Arabicæ sive Saracenicæ originis vocem hanc extitisse censeo, a *Melech*, idest Rex, deductam, quòd essent Nummi ab illius gentis Rege percussi. *Tareni* verò cudebantur in Apulia & Sicilia. Sed & *Tareni Africani* a Leone Ostiensi memorantur. *Imperialium* Denariorum, sive Solidorum mentio in Italia occurrere incipit Sæculo XII. (fortassis etiam vetustior est) sive illi Nummi forent in Imperiali Ticinensi Moneta percussi, sive a Friderico I. Augusto, Cæsarei nominis in Italia propagatore, adinventi. In Charta Gerardi Archiepiscopi Ravennatis Anno MCLXXVI. scriptâ, quidam Emphyteuta pollicetur, se quotannis persoluturum *Imperialem unum*. Fridericus II. a Ricardo de Sancto Germano ad Annum MCCXXXVI. *novos Imperiales* cudisse dicitur. *Imperialium* verò Libra quanti foret, innuit Matthæus Paris ad Annum MCCXLIX. commemorans *octodecim millia Librarum de Moneta Imperialium, quæ tantum fere valet, quantum Esterlingorum*. Et celebres quidem tunc in Italia quoque fuere denarii *Sterlingi*, ex quibus vario modo pro temporum diversitate apud Gallos & Britannos Libra conficiebatur. De iis consulendus laudatus Du-Cangius in Glossario Latino. Mihi satis est in hanc rem producere Chartam unam, ex MSto Centii Camerarii Codice descriptam, in qua *Sterlingorum* est peculiaris mentio.

Confessio facta a Johanne de Columna Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, de pecunia sibi persoluta nomine Gregorii IX. Papæ, Anno 1232.

IN nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Ducentesimo Trigesimo Secundo, Pontificatus Domini Gregorii Papæ IX. Anno Sexto, Indictione V. Mense Aprili die II. Nos Johannes de Columna, divina miseratione titulo Sanctæ ... Presbyter Cardinalis, confitemur & recognoscimus hac presenti die recepisse a te Caponigro Provenzano Mercatore Senensi, socio Bobonis Johannis Bobonis Camsoris Domini Papæ, solvente vice & nomine Domni Gregorii Papæ IX, septuaginta Marcas bonorum novorum & Legalium Sterlingorum, scilicet XIII. Solidis, & IV. Sterlingis pro Marca qualibet computatis. Item & viginti Uncias boni & legalis auri Tarenorum Regni Siciliæ ad pondus Romanum. *Item &* ducentas & viginti Libras bonorum Provenienſium Senatus. *Item &* octo uncias & unam quartam boni auri pulveris ad pondus Romanum. *De quibus omnibus vocamus nos bene quietos & pacatos integre, exceptioni non numeratæ vel non solutæ pecuniæ, aut non ponderati auri renuntiando. Quæ omnia pro nobis & successoribus nostris promittimus tibi dicto Caponigro recipienti pro Domino Papa præscripto firmiter observare, & contra nullo modo venire.*

Actum præsentibus his testibus ad hoc specialiter rogatis, scilicet Magistro Dicibile Camerario, Johanne Barario Jumentario ab aug ... Oddone Adulterino, Radulfo de Zagarola, Dayneſe Octonello, Gracia de Sena testibus.

Ego Johannes Fortibrachius, Dei gratiâ sacri Romani Imperii Scriniarius, quia his omnibus interfui, scripsi rogatus.

Sed quando heic *Libræ Provisinorum*, sive *Provisiensium Senatus* commemorantur, earumque sæpe occurret mentio in aliis Contractibus, quos in hoc eodem Opere evulgavi, aliquid heic mihi de iis differendum est. Blancus in Tractatu Historico de Monetis Francicis, multos varioſque Nummos indicat sub Carolo Calvo percussos, atque inter cetera subdit: CASTIS PRVVINIS. *idest Provins en Brie. Ejus ager in Capitularibus Caroli Calvi appellatur Pagus Provinisus & Provinensis. Apud Auctores, atque in Chartis sub tertia Regum Francorum Stirpe, sæpe fit mentio Solidorum ac Librarum Provinensium. Ego de iis fusius loquar in Tractatu de Monetis Prælatorum ac*

Digitized by Google

Baronum : quem Librum an is umquam confecerit, edideritque, incompertum eſt mihi. Du-Changius monetam Ducum Campaniæ ita appellatam cenſet. Equidem ſæpe vidi in Contractibus Romæ ſcriptis Sæculo XII & ſæpius Sæculo XIII. in publico uſu ibidem fuiſſe *Libras Proviſinorum Senatus*, hoc eſt Libras ex denariis ſive Solidis Romæ percuſſis, quarum, ut puto, æſtimationem Senatus Romanus decreto ſuo firmarat. Petrus Manlius, qui Anno Chriſti MCLVII. floruit, in Hiſtor. Baſilic. Vaticanæ, Tom. 7. Actor. Sanctorum Menſis Junii a V. Cl. Patre Conrado Janningo Soc. Jeſu editâ, pag. 38. ſcribit, datos Canonicis *tres Solidos Provinienſes pro claureto*. Apud Turrigium Part. 2. Cap. 3. de Crypt. Vatican in pergamena legitur : *XVI. Kalendas Auguſti obiit felicis recordationis Innocentius Papa III. relinquens Baſilicæ noſtræ inter alia ſex Libras Proviſinorum pro anniverſario ſuo*. Mirum certe Lectori videatur, Romanos ab humili Oppido Provinenſi appellationem Monetæ aut Libræ ſuæ fuiſſe mutuatos. Et quamvis Oppidum illud non longe a Pariſiis diſtet, ac fortaſſis olim ab aliquo Francorum Regum ibi verſante edictum quodpiam emanare potuerit ad conſtituendum Libræ currentis pretium ; aut ibi officina monetaria denariis nomen conferre potuerit, quod poſtea in Italiam quoque permearit ; attamen Le Blanci conjecturam, a Du Cangio poſtea probatam, ne ipſe quidem Janningus amplexus eſt, nummoſque Romanos appellatos potius putat a *Proviſionibus*, ſeu reditibus Eccleſiarum. Nihilo tamen ſecius Provinenſe Oppidum in Gallia celebre fuiſſe ob ampliſſimas nundinas reperio ; & apud Rolandinum Bononienſem in Summa Art. Notar. ſcriptâ Sæculo Chriſti XIII. memorantur *decem brachia panni de Pruyn* : quæ omnia famam loci illius apud Italos propagare potuerunt. Interea erit heic locus Chartis tribus, quas e ſupralaudati Cencii Codice MSto deſumtas evulgare congruum puto : non parum enim præſidii hæ conferent ad dignoſcendum, quanti olim penderetur Libra *Proviſinorum*, ſive *Provenienſium*, vel *Provenientium*.

Chartula refutationis factæ a Guidone Sanctæ Mariæ Trans Tiberim Presbytero Cardinali, & Johanne Guidonis de Papa, & Petro Romano, & Henrico fratribus & filiis quondam Cencii de Papa, ſuper Civitate Caſtellana : Anno 1195.

IN nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Quinto, Anno IV. Pontificatus Domni Cœleſtini III. Papæ, Indictione XIII. Menſe Februario, die VII. Nos quidem Johannes Guidonis de Papa pro medietate ſubſcriptæ rei, & nos Guido Dei gratiâ titulo Sanctæ Mariæ trans Tiberim Presbyter Cardinalis, nec non & Petrus, Romanus, & Henricus germani fratres & filii quondam Domini Cencii de Papa. Sed ego Petrus pro me & nepotibus meis, ſcilicet Bonaventura & Romano filiis olim Bonaventuræ fratris mei, quorum tutor ſum, eis a manibus Domni Saiſſonis Primicherii Judicis datus, ſicut per inſtrumentum Inventarii manu Romani de Rubia Scriniarii ſcriptum apparet. Et ego Petrus Bonaventuræ nepos prædictorum fratrum una cum prædicto Domino Petro patruo meo & curatore in hoc mihi a manibus Dominorum Judicum, ſcilicet Saiſſonis Primicherii, & Johannis Saiſſonis Arcarii dato, in eorumdem Judicum præſentia, & per eorum auctoritatem atque decretum, quantum ad dictos Minores pertinet, pro altera medietate, pro portione tamen unicuique noſtrum & ipſorum Minorum competente ; in præſentia Domini Petri de Judice Cauſidici, & ſubſcriptorum teſtium ; Omnes ſimiliter, ut dictum eſt, pariter propria noſtra voluntate renuntiamus, & generaliter refutamus vobis Domino Cinthio Dei gratiâ Eccleſiæ Sanctæ Luciæ in Silice Diacono Cardinali, & Domni Papæ Camerario, mandato quoque & Procuratori præfati Domni Papæ Cœleſtini ad hoc ſpecialiter conſtituto, ad opus & utilitatem ipſius Domni Papæ, & ſucceſſorum ejus, ac totius Eccleſiæ Romanæ perpetuo : ideſt omnem litem & petitionem, quam ipſi Domno Papæ & Eccleſiæ Romanæ fecimus, petivimus, petere vel facere potuimus, videlicet de univerſa portione quondam Petri Præfecti, illarum ſcilicet mille Marcarum argenti, quas ei & ſuis conſortibus olim Domnus Papa Adrianus IV. debuit. Pro quibus ei Civitatem Caſtellanam & univerſum Comitatum ejus, ac Montem Altum obligavit, & jure pignoris tradidit, ſicut per Privilegium ipſius Domni Papæ Adriani appa-

Digitized by Google

ret; & ad præſens vobis pro dicto Domno Papa reddimus, & publice reinveſtientes, corporalem traditionem transferimus, & ex eis jam traditam confirmamus omnes res & poſſeſſiones, videlicet domos, caſalinos, terras & vineas, hortos, canapinas, atque oliveta, Molendinum, & Viam Molarum, cum arboribus fructiferis, & infructiferis, & omnibus ſuis pertinentiis. Quæ res & poſſeſſiones nobis pertinent, vel pertinere videntur, & eas uſque modo jure obligationis tenemus & tenuimus, & in corporibus vel in actionibus habuimus in dicta Civitate Caſtellana intus & de foris & toto Comitatu; quæ ut dictum eſt, nobis pertinent pro duabus partibus centum Librarum Denariorum Papienſium, quas olim Domina Purpura Amita noſtra prælibato Petro Præfecto viro ſuo nomine dotis dedit, ſicut per dotalia Inſtrumenta apparet, quæ ad majorem Eccleſiæ Romanæ cautelam vobis damus. Quodcumque itaque jus & quamcumque actionem perſonalem & in rem, ſive hypotecariam tam etiam ad agendum, quàm excipiendum, quod, quamve in omnibus prædictis rebus Civitatis Caſtellanæ intus & de foris, & totius Comitatus ejus, & in omni patrimonio Eccleſiæ Romanæ, & ſpecialiter in omnibus bonis in corporibus vel in actionibus conſtitutis, quæ fuerunt olim prædicti Petri Præfecti, habemus; & ſpecialiter adversùs modernum Petrum Præfectum, & ejus fratres, atque adeo adversùs aliam quamcumque perſonam habere quoquo modo poſſemus, reſpectu vel jure duarum partium præfixæ dotis centum Librarum Denariorum Papienſium & fructuum, uſurarum vel acceſſionum earum pœnæ, vobis pro dicto Domno Papa & ejus ſucceſſoribus, ut dictum eſt, procuratorio nomine cedimus & mandamus, & quantùm ad ipſum Domnum pertinet refutamus, & ut utili poſſitis & directa actione intendere, vos in re prædicti Domni Papæ & Eccleſiæ Romanæ procuratores facimus.

Hanc autem refutationem, reſtitutionem, conceſſionem, & mandatum vobis, ut dictum eſt, facimus pro octoginta duabus Marcis argenti & dimidia, quas nobis, ut dictum eſt, pro omni jure noſtro duarum partium prædictæ dotis centum Librarum Denariorum Papienſium pro dicto Domno Papa, & tota Romana Eccleſia, & ex ejus pecunia, ut dictum eſt, procuratorio nomine datis atque perſolvitis pro ducentis ſex Libris Provenienſium Senatus, & quinque Solidis, eo quod Denarius Papienſis ſecundùm ſtatutam formam a Judicibus, & Mercatoribus Urbis, duodecim Denarii pro viginti Provenienſibus veteribus nunc computantur: & habita portione Provenienſium veterum ad Provenienſes Senatus, qui nunc duodecim Provenienſes veteres pro ſex Provenienſibus & dimidio Senatus cambiantur. Unde uſque ad prædictam ſummam argenti extenduntur dictæ duæ partes prælibatæ dotis. *Quas autem argenti Marcas nobis Johanni Guidoni pro medietate, & nobis prædictis fratribus una cum dictis Minoribus pro altera medietate, videlicet mihi Petro pro me & dictis impuberibus, quorum tutor ſum, & mihi Petro Bonaventuræ cum dicto patruo & curatore meo, & pro portione mihi competenti, decreto prædictorum Judicum, quantùm ad portionem mei Petri & prædictorum impuberum pertinet, datis & ſolvitis. De quibus omnibus, & de omni noſtro jure, quantùm ad dictam dotem pertinet, bene nos quietos vocamus, & non ſolutæ pecuniæ, ſeu non redditæ dotis exceptionem in omnibus & per omnia refutamus. Ideoque amodo dictus Domnus Papa & tota Romana Eccleſia ex hac cauſa quiete ſemper & pacifice maneat. Inſuper promittimus vobis hoc noſtrum jus, vel partem nemini alii conceſſiſſe, obligaſſe, nec aliter alienaſſe. Et ſi aliquando, quod abſit, ex hac cauſa per Petrum nunc Præfectum, vel per ejus fratres, ſeu per aliam quamlibet perſonam, ſeu etiam per alienationem, vel conceſſionem a nobis factam, dictus Domnus Papa & ſucceſſores ejus, vel Eccleſia Romana damnum aliquod de jure patientur, quantum ad dictam ſummam argenti pertinet, quanti erit damnum, tantum auctoritate propria ſine juris offenſa & alicujus Curiæ proclamatione, & noſtra contradictione, in noſtris bonis eis placentibus jure pignoris vendicent: & ſi contradicere voluerimus, a jure, quod in eiſdem bonis habebimus, cadamus, & ipſum damnum duplum emendare modis omnibus teneamur. Præterea ego Petrus Cencius de Papa, ſciens me legibus adjuvari, eo quod pro Minore intercedo, illud juris vel legum auxilium, quod pro me in hac cauſa introductum eſt, omnino refutans, vobis pro dicto Domno Papa & ſuis ſucceſſoribus promitto, ſi aliquo in tempore dictus Domnus Papa & ſucceſſores ejus, vel Eccleſia Romana per prædictum Petrum nepotem meum, cujus Curator ſum, occaſione minoris ætatis, vel aliter quoquo modo damnum aliquod patientur, quanti erit damnum, tantum in meis bonis eis placentibus jure pignoris vendicet. Noviſſime autem nos omnes prædicti pro nobis, & noſtris heredibus & ſucceſſoribus, & ego ſpecialiter Petrus pro me & dictis impuberibus, quorum Tutor ſum, tutelari officio vobis pro dicto Domno Papa & ſuis ſucceſſoribus, ac tota Romana*

Digitized by Google

mana Ecclesia, quæ dicta sunt, omnia observare, defendere, & adimplere promittimus sub pœna totius suprascriptæ summæ argenti duplæ; & solutâ pœnâ hæc Chartula firma permaneat: quam scribere rogavimus Johannem Leonis Scriniarium in Mense & Indictione suprascripta XII.

Petrus de Cencio, Viserius Domni Papæ, testis.
Petrus Malagromus, Viserius Domni Papæ, testis.
Johannes Gregorii a Coliseo, testis.
Curtesius, testis.
Paschalis, Cambitor, testis.
Andreas, Custos Cameræ, testis.
Leonardus, Janitor Cameræ, testis.
Bartholomæus Insulæ, testis.
Bartholomæus Proponis, testis.
Ego Johannes Leonis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarius, habens potestatem dandi tutores & curatores, emancipandi etiam, decretum interponendi, & alimenta decernendi, complevi, & absolvi.

Altera Charta refutationis factæ a filiis Cencii Romani de Papa de facto Civitatis Castellanæ; Anno 1195.

IN nomine Domini: Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo Nonagesimo Quinto, & Anno IV. Pontificatus Domni Cœlestini III. Papæ, Indictione XIII. mense Februario, die XXV. Nos quidem Tederada uxor Andreæ Stephani Rainerii de Stephano, & Romana uxor Gentilis Fortivoliæ, germanæ sorores, filiæ quondam Cencii Romani de Papa, una cum Stephano Johannis Crassi Curatore nostro, in hoc nobis a manibus Domini Johannis Saissonis Arcarii, & Henrici Dativi Judicis dato: & nos Stephanus Johannis Crassi Tutor Gattæ & Bonæ filiarum olim dicti Cencii, eis & sic patrimonio a dicto Henrico Dativo Judice datus pro ipsis impuberibus, in præsentia eorumdem Judicum, & per eorum auctoritatem atque decretum, in præsentia Domni Octaviani Dei gratiâ Ostiensis & Velletrensis Episcopi, atque Domni Cencii titulo Sancti Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis, & Domni Fidancii titulo Sancti Marcelli Presbyteri Cardinalis, atque Domni Gregorii Dei gratiâ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Porticu Diaconi Cardinalis, & Petri de Judice Causidici, & subscriptorum testium: propria nostra voluntate renuntiamus, & generaliter refutamus vobis Domno Cencio gratiâ Dei Ecclesiæ Sanctæ Luciæ in Silice Diacono Cardinali, & Domni Papæ Camerario, mandato quoque & Procuratori præfati Domni Papæ Cœlestini ad hoc specialiter constituto, ad opus & utilitatem ipsius Domni Papæ & successorum ejus, ac totius Romanæ Ecclesiæ perpetuò: idest omnem actionem & petitionem, quam ipsi Domno Papæ & Ecclesiæ Romanæ fecimus, petivimus, petere, vel facere potuimus pro portione olim prædicti Cencii Romani de Papa patri nostro competenti; videlicet ex universa portione quondam Petri Præfecti, illarum scilicet mille Marcarum argenti, quas ei & suis consortibus olim Domnus Adrianus Papa IV. debuit: pro quibus eis Civitatem Castellanam, & universum Comitatum ejus ac Montem Altum obligavit, & jure pignoris tradidit, sicut per Privilegium ipsius Domni Papæ Adriani apparet; & ad præsens vobis reddimus & tradimus omnes res & possessiones in corporibus & actionibus constitutas, quas in dicta Civitate Castellana intus & de foris, & in toto Comitatu ejus habemus. Quæ res nobis & dictis impuberibus pertinent, vel pertinere videntur jure obligationis pro tertia parte quinquaginta Librarum ejusdem Monetæ, nomine donationis propter nuptias; quam idem Præfectus prædictus Dominæ Purpuræ fecit, atque pro portione nobis, ut licitur competenti centum aliarum Librarum Provenienſium, vel Inforciatorum, quas prædictus Præfectus ipsi Dominæ Purpuræ in suo testamento reliquit. Quodcunque itaque jus & quamcunque actionem personalem & in rem, sive hypothecariam, tam etiam ad agendum, quàm excipiendum, quod, quamve in omnibus rebus Civitatis Castellanæ intus & de foris, & totius Comitatus ejus, & generaliter in omni patrimonio Ecclesiæ Romanæ, & specialiter in omnibus, in corporibus, vel in actionibus constitutis, quæ fuerunt olim prædicti Præfecti, habemus, & specialiter adversùs modernum Petrum Præfectum, & ejus fratres, atque adversùs aliam quamcumque personam habere quoquo modo possemus, respectu vel jure totius portionis nostræ, & dictarum sororum nostrarum præfixæ dotis & donationis atque legati, fructuum, usurarum, vel accessionum eorum, & pœnæ, vobis, ut dictum est, pro dicto Domno Papa & suis successoribus, ac tota Romana Ecclesia procuratorio nomine refutamus, cedimus, & mandamus, & ut utili possitis & directa actione intendere vos in re prædicti Domni Papæ procuratores facimus.

Pro quadraginta Marcis argenti, quas nobis præ-

Digitized by Google

prædictis sororibus, una cum dicto Curatore nostro, & mihi Stephano Johannis Crassi pro dictis impuberibus, quorum Tutor sum, pro omni jure nostro præfixæ dotis centum Librarum Denariorum Papiensium, pro dicto Domno Papa & ex ejus pecunia procuratorio nomine, decreto prædictorum Judicum, datis atque persolvitis: & pro aliis undecim Marcis argenti, quas nobis pariter, ut dictum est, datis pro omni jure nostro præfixæ donationis atque legati: eo quod habita ratione Denariorum Papiensium ad Provenienses veteres, & Provenienſium veterum ad Provenienſes Senatus, ſecundùm ſtatutam formam a Judicibus & Mercatoribus Urbis, dicta portio noſtra dotis prædictæ, donationis & legati, uſque ad dictam ſummam quinquaginta unius Marcarum argenti extenditur. *De quibus omnibus, & de omni noſtro jure prædictæ dotis, donationis, & legati, nos bene quietos vocamus, & non ſolutæ pecuniæ, ſeu non redditæ dotis exceptionem omnino refutamus. Ideoque amodo dictus Domnus Papa & ſucceſſores ejus, ac tota Romana Eccleſia de hac cauſa quietè ſemper & pacificè maneat. Inſuper promittimus vobis, hoc noſtrum jus, totum, vel partem, nec nos, nec olim patrem noſtrum alii obligaſſe, conceſſiſſe, nec aliter alienaſſe, & ex quo nos ſpecialiter prædictæ ſorores legitimam vigintiquinque annorum ætatem habebimus, ſi a Romana Eccleſia erimus excitatæ, quæ dicta ſunt, omnia confirmare promittimus. Ad hæc autem nos Stephanus Rainerii de Stephano, & Stephanus Johannis Craſſi vobis pro dicto Domno & ſucceſſoribus ejus, ac tota Romana Eccleſia procuratorio nomine, fidejubemus & legitime promittimus, ſi aliquando, quod abſit, de hac cauſa per Petrum nunc Præfectum, vel per ejus fratres, ſeu per eorum ſucceſſores vel heredes, ſive per aliam quamcumque perſonam, ſeu etiam per conceſſionem, obligationem, vel alienationem a dictis minoribus & impuberibus, ſive a patre quondam earum factam, vel etiam per ipſas minores, dictus Domnus Papa & ſucceſſores ejus & Eccleſia Romana damnum aliquod de jure patietur, quantùm ad dictam ſummam argenti pertinet, quanti erit damnum, tantum ſine juris offenſa & alicujus Curiæ proclamatione, & ſine noſtra contradictione, in noſtris bonis & poſſeſſionibus eis placentibus auctoritate propria jure pignoris vendicent. Et ſi aliquo modo contradicere voluerimus, a jure, quod in eiſdem bonis habebimus, omnino cadamus, & ipſum damnum duplum emendare teneamur. Pro quo damno, ſi, quod abſit, acciderit, vobis pro dicto Domno Papa & ſuis ſucceſſoribus procuratorio nomine pignori ponimus & obligamus omnes res & poſſeſſiones noſtras ruſticas & urbanas, quas, quantùm ad ipſum damnum, ſi acciderit, pertinet, pro nobis & noſtris heredibus & ſucceſſoribus a dicto Domno Papa & ſuis ſucceſſoribus ac Romana Eccleſia precario & eorum nomine poſſidemus. Et huic promiſſioni & obligationi ſcientes nos legibus adjuvari, eo quod pro minoribus intercedimus, illud omnino juris vel legum auxilium, quod pro nobis in hac cauſa introductum eſt, refutamus, & omnem exceptionem, ſi qua uti poſſemus ad infirmanda quæ dicta ſunt, pariter refutamus. Noviſſime autem nos prædictæ ſorores pro nobis & noſtris heredibus & ſucceſſoribus, & ego Stephanus Johannis Craſſi pro me & dictis impuberibus, quarum Tutor ſum, & meis, & earum heredibus & ſucceſſoribus, & ego Stephanus Rainerii de Stephano pro me & meis heredibus & ſucceſſoribus vobis, ut dictum eſt, pro Domno Papa & ſuis ſucceſſoribus, quæ dicta ſunt, omnia obſervare, defendere & adimplere promittimus ſub veræ pacis & Chriſtianæ fidei vinculo a nobis ſpecialiter Theodora & Romana præſtito, & ſub pœna ab omnibus compromiſſa totius prædictæ ſummæ argenti duplæ: & ſolutâ pœnâ hæc Chartula firma permaneat; quam ſcribere rogavimus Johannem Leonis Scriniarium in Menſe & Indictione ſupraſcripta XIII.*

Henricus Lombardus, teſtis.

Stephanus Petri Romani Arcoli, teſtis.

Paulus Malagruma, Domni Papæ Viſerius, teſtis.

Paſchalis, Cambiator, teſtis.

Curteſius, teſtis.

Ego Johannes Leonis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Scriniarius, habens poteſtatem dandi tutores & curatores, emancipandi etiam, decretum interponendi, & alimenta decernendi, complevi & abſolvi.

Altera confeſſio facta a Johanne de Columna S. R. E. Cardinali de pecuniâ ſibi perſolutâ nomine Gregorii IX. Papæ, Anno 1232.

IN nomine Domini. Amen. Anno Incarnationis Chriſti Milleſimo Ducenteſimo Triceſimo Secundo, Pontificatus Domni Gregorii Papæ IX. Anno VI. Menſis Julii die XVI. Indictione V. Nos Johannes de Columna titulo Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis, hac die præſenti confitemur, nobis plene ſolutum eſſe ac integre ſatisfactum a te Caponigro de Senis, no-

mine Domini Papæ & Romanæ Eccleſiæ perſolvente, centum & octo uncias auri Regis & dimidiam ad pondus Romanum, & centum ſeptuaginta quatuor Libras & quatuor Solidos bonorùm Provenienſium Senatus, *pro quibuſdam pignoribus noſtris, quæ tempore guerræ in ſervitio Eccleſiæ pro ſolidis militum & ſervientium aſſignavimus. Unde nos de prædictis denario & auro nobis pro pignoribus ipſis a te nomine Domini Papæ & Romanæ Eccleſiæ perſoluto bene quietos vocamus, exceptioni non numeratæ pecuniæ, & non ſoluti vel ponderati auri renuntiando. Renuntiantes etiam omni juri & actioni utili & directæ & exceptioni tacitæ & expreſſæ, quod quaſve occaſione prædictorum pignorum noſtrorum contra Romanam Eccleſiam vel Dominum Papam habere poſſemus. Promittentes pro nobis noſtriſque ſucceſſoribus hanc refutationem & omnia ſupradicta rata & firma ſemper habere & non contravenire ſub pœna dictæ pecuniæ duplæ, & pœnâ ſolutâ hoc Inſtrumentum refutationis nihilominus firmum permaneat.*

Actum Spoleti præſentibus teſtibus ſubſcriptis ad hoc ſpecialiter rogatis, ſcilicet Magiſtro Johanne Caparono de Anagnia, Magiſtro Johanne Anglico, Clerico Domini Cardinalis, Johanne de Furcono Clerico, Fratre Johanne Converſo Saxivivii, & Martino Fulginate, teſtibus.

Et ego Ricardus, Imperialis Aulæ Scriniarius, hanc Chartam mandato prædicti Cardinalis ſcripſi & complevi rogatus.

Proviſinæ quoque pecuniæ mentio eſt apud Grimaldum ſupra laudatum, cujus propterea eruditum ſermonem, per alias etiam Nummorum ſpecies excurrentem, audire juvabit. *Provenientium* autem *Librum* is appellat. Mihi tamen attente veteres Codices perluſtranti dubitatio nata eſt, an legendum potius eſſet *Proviſienſium*, aut *Proviſinorum*. Sed rem decernere non audeo, nam in Chartis antiquis breviata eſt eadem vox, & non unam admittit lectionem. Hæc autem ſunt verba Grimaldi:

Libra Proveniens Senatus valoris erat .... 2-50. Libra parva Proviſinorum Senatus valoris erat Bol. 15. & 20. Solidi Proviſinorum conficiebant Libram. Solidus Provenientium Senatus argenteus valoris erat Bol. 12. ſemis. Solidus Proviſinorum Senatus valoris erat quatuor quadrantum. De differentia Solidorum Provenientium & Proveſinorum exſtat memoria in Inſtrumento Anni MCCXCV. in Archivo Sancti Petri, faſcicul. 356. capſulâ 66 De Libra verò Proveſinorum Senatus docent Libri Cenſuales dictæ Baſilicæ ab Anno MCCCLXXVIII. uſque ad MCCCCL. Florenus aureus valoris erat Scuti unius Bol. 25. Hic namque aureus erat, & ponderabatur, ut liquet ex Inſtrumento venditionis octo petiarum vineæ in coſtis Montis Mali Anno MCCCXIX. pretio XLIX Florenorum boni & puri auri, & juſti ponderis, *ex dicto Archivo, capſulâ 66. faſcicul 189. & in Libro Tranſumtorum fol. 253. Anno MCCCLXXVII.* quinquaginta Floreni boni auri & recti ponderis, *præter alia exempla brevitatis cauſâ omiſſa. Florenus Romæ currens tempore Eugenii IV. multo etiam ante & poſt ex Lib. Inſtrument. Lælii Petronii in dicto Archivo, & in Libris Cenſualibus, valebat Bol. 35. & quadrantem unum. Et 47. Solidi Florenum conficiebant. Tempore Innocentii III. uti ex ejus Vita habetur*, valida fames invaluit, ut rubium frumenti a 20. ad 30 Solidos venderetur: *hoc eſt ad 24. & 36. Julios aſcendit frumenti rubium. Ex Cæremoniali Gregorii X. in Bibliotheca Vaticana fol. 7.* in Coronatione Pontificis proceſſio a Sancto Petro ad Lateranum. Fiunt Domino Papæ arcus: & Clerici Romani occurrunt eidem in Via ſacra, ubicumque poſſunt, cum thuribulis & incenſo. Et in remuneratione dantur Romanis Libræ XXXV. Provenientium. Et Clericis pro thuribulis XIV. Libræ & dimidia Provenientium. *Item fol 62. de mandato faciendo.* Miſſâ igitur ſolemniter peractâ aſcendit Palatium, comitantibus eum tam Epiſcopis, quàm Presbyteris & Diaconibus, omnibus paratis ſecundùm ordinem ſuum. Pontifex verò ingreditur Baſilicam Sancti Laurentii de Palatio, vel Capellam Sancti Martini, ſi eſt ad Sanctum Petrum, & exuit planetam, & aſſumit ſibi mantum in ſcapulis, impoſito ſuper caput ſuum finone cum mitra, & facit mundatum, XII. Subdiaconibus roquetum cum ſuperpelliceo portantibus. (Hodie ſunt duodecim Pauperes, quibus Papa lavat pedes), Cubicularii ponunt conchiam ante eum: ipſe verò præcinctus linteo, habens ante ſe linteum mundum, quo unus Diaconus ei ſervit, ſecundùm Dominum Jacobum Gaytani ipſum Papam præcingit, bracheolam ad hoc paratam habens in brachiis, & linteum mundum ante ſe tenens. Quæ omnia debent parari per Theſaurarium, vel Fratres de Pagnotta. (*Fratres de Pagnotta Ordinis Sancti Benedicti Eccleſiam Sancti Blaſii in Via Julia incolebant; curabant etiam Corpus Pontificis defuncti. Hodie hujuſmodi curam habet Sacriſta Papæ Ordinis Sancti Auguſtini.*) Et duodecim Subdiaconi manent foris Baſilicam diſcalciati. Duo verò Oſtiarii accipiunt Priorem in ulnis, & portant eum ante

Pon-

Digitized by Google

Pontificem. Pontifex verò cum aqua calida, quam infundere debent Cubicularii, lavat pedes ejus, & tergit linteo, & deosculatur pedem ejus dextrum, & dat ei duos Solidos Provenientes. Et sic facit unicuique Subdiaconorum, & dat ei XII. denarios &c.

Addere etiam juvat, quæ Innocentius III. Papa habet in Constitutione sua ad Rectorem & Fratres Hospitalis Sancti Spiritus, quæ typis edita est inter ejus Opera. Hæc ille ait: *Jubemus, ut pro mille pauperibus extrinsecus adventantibus, & trecentis personis intus degentibus, decem septem Libræ usualis Monetæ (ut singuli accipiant tres denarios, unum pro pane, alterum pro vino, aliumque pro carne) ab Eleemosynario summi Pontificis annuatim vobis in perpetuum tribuantur.* Idem etiam Innocentius imperat, ut Canonicis, *qui effigiem Salvatoris processionaliter deportabunt, singulis duodecim Nummi de oblationibus Confessionis beati Petri præstentur.* Hæc autem quum sibi illustranda proposuisset Grimaldus supra memoratus, hisce rem expedit, inquiens: *Supra dictæ decem & septem Libræ usualis Monetæ erant Scuta auri in auro 34. ut colligitur ex pluribus observationibus a me factis ex Scripturis Archivi prædictæ Basilicæ. Solidi, de quibus infra, valoris erant Bononeorum, sive Obolorum duodecim semis pro quolibet. Decem Solidi argentei conficiebant Nummum aureum Juliorum decem & Bonon. 25. Quatuor Nummi argentei erant unus Solidus. Nummus valoris erat trium obolorum seu denariorum. Triginta Solidi valebant Marcham unam argenti puri: sunt Scuta tria, Bonon. 75. Ita habetur fol. 71. in Libro antiquissimo MSto in membranis Callisti II. Papæ. Ex Vita ejusdem Innocentii III. colligitur, Marcham majorem esse Scutorum trium, Bol. 75 atque etiam Scutorum quinque, Bol. 75.* Libræ XXXV. Provenientium Senatus *sunt Scuta auri in auro LXX. Idem etiam Innocentius pro subsidio Terræ Sanctæ fecit novam navem, in qua cum armamentariis suis* mille trecentas Libras *expendit. Sunt Scuta in auro 2600. Hinc colligitur, Libram hanc esse magni valoris.* Pro mille *igitur* & trecentis personis, *largiendo singulis tres denarios seu obolos, conficiebant Summam Scutorum* 39. *Monetæ. Et supradictæ Libræ XVII. sunt auri in auro Scuta* 34. *ad Julios duodecim semis pro Scuto. Sic satis superque erat hujusmodi eleemosyna, & sufficiebant illis temporibus dicti tres Denarii seu Oboli ad panem, vinum, & carnem prædictas emendas. In Cæremoniali Gregorii X. in Bibliotheca Vaticana de electione novi Pontificis, hæc legun-*

tur: Recipit Papa de manu Camerarii denarios argenteos valentes decem Solidos Provenientes, & projicit super Populum, dicens singulis vicibus: *Dispersit, dedit pauperibus &c.*

Occurrunt etiam in Chartis antiquis Romanæ Civitatis *Libræ Affortiatorum*, de quibus actum est in Dissertatione præcedenti. Earum pretium non aliud fuisse videtur, quàm *Libra Lucensis* monetæ. Atque ad idem nobis persuadendum fortasse proderit Charta ex Regesto MSto Cencii Camerarii depromta. Confer textum, ut ajunt Leguleji, cum Rubrica

De Rocca Sancti Stephani, & medietate Perceni & Repesini, pignori obligata Domno Papæ pro *centum Libris Afforciatorum, & quinque Solidis*, Anno 1159.

IN nomine Domini. Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Centesimo Quinquagesimo Nono: Anno V. Pontificatus Domni Adriani Papæ IV. Indictione VII. Mensis Januarii die II. Ego Aldebrandinus Comes de Calmaniare pro me, & procuratorio nomine pro Bernardino fratre meo, coram Willelmo Presbytero Cardinali titulo Sancti Petri ad Vincula, & Raimundo Diacono Cardinali Sanctæ Mariæ in Vialata, & Gregorio Corano Judice, obligo & in pignus pono tibi Domino Bosoni venerabili Cardinali Diacono Sanctorum Cosmæ & Damiani, Domni Papæ Camerario, procuratorio nomine pro ipso Domno Papa & pro Ecclesia Romana; idest Roccam Sancti Stephani, & medietatem Perceni, & medietatem Ripesseni, cum omnibus eorum usibus, utilitatibus & pertinentiis, sicut inter suos concluduntur fines, posita in territorio Orbevetano; qualiter nobis competunt, taliter obligamus, & in pignus ponimus pro centum quadraginta octo Libris Lucensium & quinque Solidis, *quos nobis pro ipso Domno Papa mutuasti. Insuper in unoquoque mense pro* sexdecim Solidis Lucensium, *quos pro custodia Arcis Dominus Papa expendere debet, prædictum pignus obligatum, sicut pro ipsa sorte tenebitur. Et sic in unoquoque anno, donec pecunia soluta fuerit, & pignus liberatum, accrescit summa sorti* novem Librarum, & duodecim Solidorum Lucensium. *Quacumque vero hora prædictam pecuniam vobis, vestrisque Catholicis successoribus solvemus, pignus hoc sit vacuum, & hæc Chartula ad nos revertatur. Nos autem & nostri heredes defendere promittimus ab omni homine, si necesse fuerit. Quod si contra hæc, quæ dicta sunt, quolibet modo venire tentaverimus, tam*

nos

Digitized by Google

nos quam noſtri hæredes componamus Donno Papæ, ſuiſque Catholicis ſucceſſoribus pro pœna ſupraſcriptum pretium duplum: & ſolutâ pœnâ hæc Chartula firma permaneat; quam ſcribendam rogavi Andream Scriniarium in Menſe & Indictione ſupraſcripta VII.

✠ *Signum manus ſupraſcripti Aldebrandini Comitis de Calmaniare pro ſe & Bernardino fratre ſuo, hujus chartulæ rogatorum.*

Docibilis, teſtis.
Bobo de Petro, teſtis.
Urſo filius ejus, teſtis.
Stephanus de Marta, teſtis.
Petrus Buticularius, teſtis.
Rogerius de Letulo, teſtis.
Johannes Ritius, teſtis.

Ego Andreas Scriniarius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & ſacri Lateranenſis Palatii, complevi & abſolvi.

Sed aliquid tamdem mihi dicendum eſt de celebratiſſima ſpecie Italicæ pecuniæ, hoc eſt de *Florenis*. Anno MCCLII. teſte Ricordano Malaſpina Cap 152 & Johanne Villanio Lib. 6. Cap. 53. Hiſtoriar. cœpit Populus Florentinus percutere Nummos aureos, quos *Florenos*, alii verò *Ducatos* appellarunt, eâ de cauſâ, quod in altera parte Nummi *Lilium* inſcriptum foret, atque in altera effigies Sancti Johannis Baptiſtæ. Hæc prima inſtitutio *Floreni* aurei, ita ut Borghinii ſententiam in Lib. de Numm. Florent. probare neſciam, ubi videlicet ſcribit: *Queſto nome di Fiorino fu innanzi alcuni Secoli* (ideſt antequam Carolus I. Comes Andegavenſis Apuliæ ac Siciliæ regno potiretur) *e tutta la coſa della Moneta noſtra era prima ferma, che queſto Carlo aveſſe che far nulla, o pur penſaſſe al Regno di Napoli*. Quod certum eſt, Anno Chriſti MCCLXVI Carolus I. Regnum Neapolitanum arripuit. Quum verò Florenus primum percuſſus fuerit Anno MCCLII. ubinam ſunt tot Secula a Borghinio excogitata? Porro *Florenorum* nomen & decus ita deinde propagatum eſt per univerſam Europam, ut fere omnes alii Principes ad eorum imitationem ſimiles Nummos procuderint, eoſque ipſo nomine donarint. Uti fidem facit prælaudatus Johannes Villanius Lib. 9. Cap 48 Henricus VII. Auguſtus Anno MCCCXIII. contra Florentinos iratus ſtatuit: *Che i Fiorentini non poteſſono battere moneta d'oro, nè d'argento; e conſentì per privilegio a Meſſer' Ubizino Spinoli da Genova, & al Marcheſe di Monferrato, che poteſſero battere in loro Terre, Fiorini d'oro contrafatti ſotto il ſegno di quegli di Firenze.* Id alii Principes imitati ſunt, ſive ſuo jure, ſive ex privilegio. Atque inter alios, teſtante eodem Villanio Lib. 9 Cap. 169. Johannes XXII. Romanus Pontifex Anno MCCCXXII. *fece fare in Avignone una nuova Moneta d'oro, fatta del peſo e lega e conio del Fiorino d'oro di Firenze, ſanza altra inſegna, ſe non che dal lato del Giglio diceano le lettere il nome di Papa Giovanni.* Eadem repetit Villanius Lib. 9. Cap. 278. addens: *E non vi avea altra differenza, ſe non che dal lato della impronta di Santo Giovanni diceano le lettere* Papa Giovanni; *e per intraſegna, di coſta a Santo Giovanni una Mitra Papale, e dal lato del Giglio diceano le lettere Sanctus Petrus, Sanctus Paulus.* Præterea ſcribit, anathema ab eodem Pontifice indictum iis, qui Florenos aureos ad æmulationem Florentinorum cuderent. Sed & Francorum Reges ſub *Florenorum* nomine aurum ſignarunt, non tamen eo tempore, quo Le Blancus eſt opinatus. Is enim Florenos aureos tribuit Philippo Auguſto, & Ludovico Sexto, Septimo, aut Octavo Francorum Regibus: immeritò ſane, quum ii ante Annum MCCLII. floruerint, quo primùm Floreni e Florentinorum Moneta prodierunt. Quare ii credendi ſunt pertinere ad Ludovicum Nonum, aut Decimum, & ad Philippum Pulchrum. Neque cum *Florenis* confundendi *Liliati*, ſive *Gigliati*, aurei nempe Nummi a Carolo I Siciliæ & Apuliæ Rege eodem Sæculo XIII percuſſi, & ſic appellati, quod & ibi *Lilium*, Francorum Regum inſigne, fuiſſet inſcriptum. Non tamen erepta mihi omnis dubitatio, quin & Floreni Florentini ſub eadem appellatione apud aliquos olim venerint. Quænam verò comparatio foret valoris Floreni ad Libras Romanas Proviſinorum, a ſubſequente Charta ediſcere licebit, quam ex ſupra laudato Codice Cencii Camerarii deſcripſi.

Solutio debiti Hominum de Fruſinone facta filiis Domini Matthiæ de Papa, Anno 1295.

IN nomine Domini. Amen. Anno Nativitatis Dominicæ Milleſimo Ducenteſimo Nonageſimo Quinto, Indictione VIII. Menſis Aprilis die III. intrante, Pontificatus Domini Bonifacii Papæ VIII. Anno Primo. In præſentia mei Notarii & teſtium ſubſcriptorum Nobiles viri Atenulfus & Nicolaus filii quondam Domini Matthiæ de Papa, Cives Anagnini, coram venerabili viro Domino Theodorico Domini Papæ Camerario perſonaliter conſtituti, confeſſi ſunt & recognoverunt, ſe habuiſſe ac recepiſſe

ab

Digitized by Google

ab eodem Domino Camerario dante & ſolvente eis nomine ac vice ſanctiſſimi Patris Domini Bonifacii divinâ providentiâ Papæ VIII. Romanæ Eccleſiæ & Cameræ ſuæ, octingentos ſexaginta ſex Florenos, & duas partes unius Floreni auri pro ſexcentis quinquaginta Libris Proveſinorum, *quas idem Dominus Mathias pater eorum, dum viveret, mutuaverat Hominibus Caſtri de Fruſinone, pro liberatione & abſolutione hominum dicti Caſtri a reſtitutione ſive ſolutione debiti ſeu mutui pecuniæ ſupradictæ. Dicti quoque Adenulphus & Nicolaus recognoſcentes libere & expreſſe eis fore de hujuſmodi mutuo integre ſatisfactum, nomine ſuo, heredum & ſucceſſorum ſuorum promiſerunt eidem Domino Camerario recipienti & ſtipulanti nomine ac vice Domini Papæ, Romanæ Eccleſiæ, & Hominum prædictorum, non inquietare vel moleſtare de cetero Homines ejuſdem Caſtri de Fruſinone ſuper reſtitutione pecuniæ, ſeu mutui prædictorum: ſed ipſos abſolverunt & liberaverunt præciſe a debito memorato, ita quod occaſione hujuſmodi mutui eis vel eorum heredibus in nullo de cetero teneantur. Renuntiantes in iis exceptioni non numeratæ, non traditæ, vel ſolutæ eis prædictæ pecuniæ quantitatis, beneficio reſtitutionis in integrum, omniſque alterius actionis & juris canonici & civilis auxilio, per quod huic Inſtrumento vel facto poſſet aliquatenus objici vel opponi.*

Actum Laterani in Camera præfati Domini Camerarii, præſentibus Lanfranco Clarenti de Piſtorio, Lando Sigoli, & Dino Orlandi de Florentia Mercatoribus Cameræ, & Gabriele Damaſi, Serviente Domini Papæ, & aliis.

Et ego Jacobus Piſani de Viterbio, Apoſtolica auctoritate, & nunc Cameræ Domini Papæ Notarius, præmiſſis interfui, & ea rogatus ſcribere, fideliter ſcripſi, & in publicam formam redegi, meoque ſigno ſignavi.

Octo aurei Floreni Florentinæ officinæ pondus unius unciæ auri æquabant, & ſinguli pro Solidis XX. computabantur. Teſte etiam Guilielmo Venturâ in Chronico Aſtenſi, Floreni Aurei Anno MCCXC *valebant Solidos XX. Aſtenſes*. Contra Johannes Villanius Lib. 7. Cap. 89. ſcripſit *Cento mila Libre di Genovini* (ideſt Genuenſis pecuniæ) *erano più di cento venticinque migliaja di Fiorini d'oro*. Apud Brixianos verò circiter Annum MCCLXX. Jacobo Malvecio teſte in Chronico ejuſdem Urbis, *mille Aurei ſexcentis Libris æquivalebant. Nam tunc in Civitate hac Brixia duodecim Soldi tantùm pro Floreno Aureo dabantur*. Ita verò ſubſequenti Sæculo XIV. percrebuit fama & nomen *Florenorum*, ut ſuprà ceteros Aureos Nummos ii in curſu eſſent longe lateque per Italiam, immo & ultra Italiam. In Libro MSto Decretorum & Privilegiorum exſiſtente in Archivo Communitatis Mutinæ, vidi ego tria Diplomata Johannis Bohemiæ Regis, data Anno MCCCXXXI. quo is tot progreſſus in Italia fecerat *Nobili viro Andreæ de la Molza*, in quorum uno ipſum conſtituit *Domus noſtræ Domicellum & familiarem domeſticum*, in altero ei donat Caſtrum Leonis, quum XVII. Kalendas Majas Anni ejuſdem e ſacro Fonte ſuſcepiſſet Gerardinum illius filium. Ibi quoque libellus legitur ab Andrea ipſo oblatus Carolo IV. Auguſto ejuſdem Johannis Regis filio, in quo Privilegia nonnulla petit, eumque rogat, ut ſibi rependatur pecunia a ſe mutuo data ipſi Carolo, ejuſque Auguſti patri Johanni annis retroactis. Neminem puto pigebit legere poſtremam partem petitionis, quam iiſdem verbis, quibus concepta fuit, exerere ſtatui. *Imprima preſtà eo Andrea al meo Signore Miſſer lo Re de Boemia, ſiando in Modena, li quae ello fe dare a Miſſer Euſilmaro Todeſcho, li qual elloge donò, e foe a dì X. d' Aprile in MCCCXXXI. in preſentia de Miſſer Loyxe de Savoja, e de Miſſer Zim da Caſtione, e de Miſſer Raynero da Monte Pulzano ſoe Cancellero*, Fiorini CCC. d'oro. *Item preſtà eo Andrea al deto meo Signore, ſiando in Bologna in caſa del deto Andrea, e recevelli Miſſer Nicolò, ch'era alora ſoe Cancellero, e da poi foe Veſcovo de Trento, & haveli per pagare l'algergo là, ove era ſtae molti Cavaleri e Famia del deto Re, e per vari drapi, che comprò lo deto Miſſer Nicolò, per veſtire lo deto Miſſer lo Re, e li Conti de Namurco ſoe Cuxini, e foe a dì XV. d' Aprile MCCCXXXIII. in preſentia de Miſſer Guido de Scali da Fiorenza Factore e Donzello de Miſſer lo Legato Cardinale de Hoſtia e Signore de Bologna* &c. Fiorni DCC. d'oro. *Item preſtà eo Andrea al dicto Miſſer lo Imperatore a dì XXIII. d' Aprile MCCCXXXIII. ſiando lo deto Re a Modena in caſa di Frà Predicatori, e ricevelli Miſſer Nicolò alora ſoe Cancellero, per pagare ſpeſe, che havea facto Miſſer lo Re in Modena, non poſſindone havere neſuno da Miſſer Manfrè di Pii, nè in Comune, & queſto in preſentia de Miſſer Guido de Pii da Modena, e de Fra Jacomo da Collegarola Priore di Frà Predicatori de Modena* &c. Fiorini MDC. d'oro: *di quali lo deto Imperatore ne ricevè Cartha, ſiando in Modena in caſa di Frà Predicatori*. Sed integrum Tractatum *de Florenis* ſperare nos propediem facit doctiſſimus vir Franciſcus Victo-

rius, Eques Sancti Stephani, qui Romæ tum ex eruditione, tum ex Muſeo ſuo illuſtris nominis famam ſibi comparare pergit.

Nunc autem eſt animadvertendum, ex quo Civitatibus Italicis una cum Libertate jus auri atque argenti ſignandi ab Auguſtis conceſſum eſt, tunc non paucas ex iis curſum pecuniæ ſuæ fuiſſe moderatas ad normam Nummorum a ſe percuſſorum, ita ut alius non rarò in una, alius in altera eſſet ordo ac nomen pecuniæ. In Chartâ, quam obtulit mihi Archivum Canonicorum Mutinenſium, ſcriptâ Anno MCCXII. *Honeſtus Dei gratiâ Abbas Monaſterii Sancti Benedicti de Lene* (hoc eſt ad Leones) *in Diœceſi Brixiæ, ex præcepto Domini Sicardi Cremonenſis Epiſcopi, & Apoſtolicæ Sedis Legati* (hoc munus, quo functus fuit Sicardus, ignorabam, quum Tomo VII. Rer Italicar. ejus Chronicon evulgavi) nonnulla prædia venum dat, ac præcipue *Curtem Sancti Vincentii, quæ eſt poſita prope caſtrum de Badiano* (nunc Bazzano) *Pretio CCCLI. Librarum Imperialium in Bologninis, vel Ferrarinis, vel Parmeſinis, tribus Solidis per unum Imperialem*. Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad Annum DCCLIX. Leonenſe Monaſterium commemorat, illudque ait, a *Conrado II. Imperatore ſolo æquatum*. En illud vigens adhuc Anno MCCXII. In altera Charta Anno MCLXXIX. exaratâ occurrit mihi *Donnus Erizo Monachus venerabilis Monaſterii Sancti Benedicti de Leune Prior de Panzano*, Cella videlicet, ſive Monaſteriolum ſitum in Vico Panzano, Mutinenſisne an Bononienſis Comitatus, neſcio. Sunt enim duo ejuſdem nominis Vici. Panzanum autem illud ſuberat eidem Leonenſi Cœnobio. Vidimus ergo Solidos *Bononienſes, Ferrarienſes*, & *Parmenſes*, & adhuc durat *Bologninorum* appellatio non Bononiæ tantùm, ſed & Mutinæ, ac in aliis locis. In vetuſtiſſimo Codice Statutorum Ferrarienſium Lib. 2. Rubrica 341 titulus eſt *de valore Bagatinorum*. Scilicet, *quod quilibet teneatur recipere quatuor Bagatinos pro tribus Ferrarinis*. Apud Ticinenſes verò olim fuit duplex *Libra*, uti eruitur ex Chronico Majori MSto Gualvanei de la Flamma Ordinis Prædicatorum, in Ambroſiana Bibliotheca adſervato. Scribit enim Cap. 286. *Ex hoc poſtea Communitas Papienſis ſolvit decem & octo mille Libras illius groſſæ Monetæ, cujus Libra valebat Florenum*. Hæc Gualvaneus circiter Annum Chriſti MCCCXXX ſcribebat, quo tempore Florenus Aureus intra & extra Italiam ſupra ceteros Nummos celebratiſſimus erat. Audi etiam Anonymum Auctorem Chronici Mediolanenſis, cujus partem evulgavi Tomo XVI. Rer. Italicarum. Scilicet in parte a me neglecta hæc ille habet (an optimis fundamentis nixus, alii videant) *de Moneta ab Archiepiſcopis Mediolanenſibus cuſâ: Prima Moneta dicebatur Marca auri, & valebat XIV. Florenos* (ſcilicet aureos). *Alia fuit Marca argenti, quæ valuit quatuor Florenos cum dimidio. Tertia Moneta dicebatur Auguſta, habens Imperatoris imaginem, & erat ex puriſſimo argento. Et erat groſſa in tantum, quod decem Auguſti valebant unum Florenum. Quarta dicebatur Imperialis, habens Imperatoris imaginem, & ſuprascriptionem, & erat de argento puriſſimo. Decem Solidi Imperialium valebant unum Florenum. Quinta Moneta dicebatur Tertiolus, quia ejus tertia pars erat tantùm argentea, & XX. Solidi valebant unum Florenum*. Neque omittenda eſt mentio *Ducati Aurei Veneti*, quem nunc *Zecchino* appellamus. Nummum iſtum primo Venetiis percuſſum ſub Johanne Dandulo Duce, auctor eſt Marinus Sanutus in Hiſtor. Venet. Tomo XXII. Rer. Italicar. ad Annum MCCLXXXV. Ejuſdem verò ponderis ac formæ fuerunt & *Ducati aurei Germanici*, & *Hungarici*, quorum familiaris eſt uſus.

Verùm ad tempora noſtra ſermonem tandem convertamus. Nulla nunc Provincia eſt, nulla Civitas in Italia, quæ ingens diſcrimen non animadvertat inter pretium Librarum ac Solidorum veteris ac præſentis ævi. Olim paucis, nunc multis Libris Aurei nummi emuntur: olim agri, ædes, ac cetera venum expoſita, paucarum Librarum pretio dabantur, nunc multarum. Ad hæc veterum Contractus ſi attente conſulantur, ubique produnt progreſſum hunc in mutatione pretii pecuniæ, quem noſtris quoque temporibus, immo & in dies ſingulos animadvertimus. Sive tanta inſtabilitas tribuenda eſt numquam ſaturatæ hominum avaritiæ, quibus perpetuum ſtudium eſt, aurum aut argentum ſuum cariori pretio, ſi poſſint, quàm ceteri, quotidie vendere, aut expendere: ſive eadem proceſſerit, ac procedat ex minutorum Nummorum, ſive Denariorum conditione, quæ quotidie deterior ex officinis Monetariis prodit, ſive aliis ex cauſſis; neque enim raritati auri aut argenti tribuendas haſce metamorphoſes affirmare auſim: illud certum eſt, enormem intercedere differentiam inter veteris ac recentis monetæ æſtimationem. Cujus rei exempla aliquot delibavi ex Archivo Communis Mutinæ. Quanti væniret apud majores noſtros panis & vinum, ex hiſce intelliges. *Anno MCCXLIX. Indictione VII. die Mar-*

Digitized by Google

Martis X. intrante Menſe Auguſti, Regnante Domino Imperatore Frederico. Hæc eſt ratio, qualiter vinum vendi debeat ad minutum. Vinum, quod conſtat X. Solidos Mutinenſes quartarium, debet fieri menſura de XXXIII. unciis, & una drama. Item menſura vini de XI. Solidis Mutinenſibus, debet eſſe de triginta unciis & una drama &c. Nota, quod quartarium vini eſt in ſumma CCCXXXIII. Libras. Quando Sextarium frumenti valet XX. Solidos Mutinenſes, debet eſſe panis coctus VIII. uncias & meza pro duobus Denariis Mutinenſibus. Item ad rationem XIX. Soldorum, debet eſſe IX. uncias, minus una drama &c. Pari etiam ratione Anno MCCLXXXIII. tempore regiminis Dominorum Guidocti de Archidiaconis Poteſtatis, & Guidonis de Corrigia Capitanei Communis & Populi Mutinæ, *panis venalis bene coctus, qui fiet de Sextario frumenti, qui valuit XX. Soldos Mutinenſes, vel ultra, fieri debeat tribus Denariis Mutinenſibus XIV. unciarum, & trium tramarum minus quarta parte unius tramæ &c.* Ferrariæ verò, ut habetur in Statutis Anno MCCLXVIII confectis, *Fornaxarii tenebantur dare mill arium lapidum* (ideſt laterum) *pro XX. Solidis Ferrarinis, & milliarium cupporum* (hoc eſt tegularum) *pro XXIV. Solidis Ferrarinis; & milliarium tavellarum* (nempe ſubtiliorum laterum) *pro XV. Solidis Ferrarinis; & modium calcinæ pro XVIII. Solidis Ferrarinis.* Quod eſt ad agrorum pretium, Anno MCCXXI. *Ubertinus Campetia de Spilimberto vendidit per alodium duas petias terræ poſitas in Curte Spilamberti. Prima petia eſt XII. bubulcæ. Secunda eſt VI. bubulcæ: pro XL. & octo Libris.* Anno MCCXXVIII. *Guilielmus Epiſcopus Mutinenſis* emit in agro Porcilis petiam terræ bubulcarum XIV. titulo pretii ſolvens *XLIX. Libras Imperiales ad rationem trium Librarum Imperialium & dimidii pro qualibet bubulca.* Tum eodem Anno aliam terram *ad rationem quatuor Librarum Imperialium.* Aliam quoque *ad rationem quindicim Librarum Parmenſium quamlibet bubulcam.* Anno MCCLX. Guido de Suzaria, celebratiſſimus eorum temporum Jurisperitus, Civis Mutinæ creatus, de quo mihi erit ſermo in Diſſertatione XLIV. *de Literarum fortuna*, duas petias terræ emit poſitas in Silva de la Lama, bubulcarum XCVI. *ad rationem XIII. Librarum Mutinenſium pro qualibet bubulca.* Eodem anno Commune Mutinæ emit petiam terræ laboratoriæ poſitam in diſtrictu Florani pro DCXXI. Libris Mutinenſium, *ad rationem novem Librarum & ſeptem Soldorum Mutinenſium pro qualibet bubulca: quæ petia terræ debet eſſe ſeptuaginta ſeptem bubulcas minus decem tabulis.* Præterea Anno MCCLXIII. eadem Reſpublica Mutinenſis in diſtrictu Sancti Felicis magnam copiam agrorum emit, Monaſterio Nonantulano tradendam gratiâ concordiæ initæ, per quam Monachi renuntiarunt cuicumque juri ſibi fortaſſe competenti in quædam Caſtella, quæ ab immemorabili tempore Communitas Mutinenſis poſſidebat. In hiſce fundis emendis erogatæ ſunt bis mille centum & viginti duæ Libræ Mutinenſium *ad rationem cujuslibet bubulcæ ſeptem Librarum Mutinenſium pro trecentis bubulcis, & ad rationem quinque Librarum Mutinenſium pro quatuor bubulcis.* Alia quoque petia XII. bubulcarum in Sancto Felice poſita emta fuit *ad rationem octo Librarum Mutinenſium & undecim Solidorum Mutinenſium, & quinque Mutinenſium pro qualibet bubulca.* Nunc apud nos quælibet bubulca terrarum quingentis, aut mille & amplius Libris Denariorum currentium vænit.

Eamdem monetæ variationem enormem, in ſingulos pæne annos creſcentem diſcere poſſumus e ſubſequutis temporibus. In domeſticis Libris Monachorum Mutinenſium Benedictinorum Sancti Petri hæc animadverti. Anno MCCCCLXX. pro ſingulis millibus laterum coctorum pendebantur Bononini L. hoc eſt, duæ Libræ & ſemis Solidorum. Nunc XXX. Libræ, atque etiam XXXV. impenduntur. Anno MCCCCLXXI. Libræ 96 Bononini 16. & Denarius unus monetæ Florentinæ valebant Libras 48. Bononinos 12. & Denarios 3. Mutinenſis monetæ. Quo item Anno Bononinis quatuor pro ſingulis diebus conducebatur Librarius, ut *Homiliam Bedæ* deſcriberet Anno MCCCCLXXXII. *Florenus aureus* æſtimabatur Solidis 98. monetæ Mutinenſis. Anno autem MCCCCLXXXVII. quilibet *Florenus largus aureus* Mutinæ emebatur Libris tribus & Bononinis duobus. Anno MDVIII. *Ducatus aureus* valebat Solidos 71. *Scuta* verò 26. *aurea* æquabant valorem Librarum 93. Mutinenſium. Idem *Scutum aureum* Anno MDLX. pretium reddebat Librarum quatuor & ſemis. *Dupla Hiſpanica aurea* Anno MDXCVII. reſpondebat Libris duodecim & Bononinis duodecim monetæ Mutinenſis: *Italica* verò *Dupla aurea* Libris duodecim & Bononinis tribus. *Zecchinus aureus Venetus* æſtimabatur Mutinæ Lib. 7. & Bonon. 6. *Hungarus* verò *aureus* Lib. 7. Bonon. 5. *Ducatonus argenteus*, ſive *Scutum Romanum argenteum* Lib. 5. & Bonon. 2. Tum Anno MDCIII. *Dupla aurea Hiſpanica* conſta-

bat

Digitized by Google

bat Lib 13. *Italica* Lib. 12. Bonon. 10. *Zecchinus* Lib. 7. Bonon. 12. *Ducatonus argenteus* Lib. 5. Bonon. 7 Rursus Anno MDCVIII. *Dupla Hispanica* valebat Lib. 14. *Italica* Lib 13. & semis. *Zecchinus* Lib. 8. Atque ut cetera omittam, Anno MDCXIV. *Dupla* eadem *Hispanica* pendebatur Lib. 16. Anno MDCXXII. Lib. 18. Anno MDCXXXVI. Lib. 22 & semis. Ita perenni fluctuatione pretii eo usque *Dupla Hispanica aurea*, uti & *Gallica* sub Ludovico XIV. Rege percussa, Mutinæ pervenit, ut nuper Libris 50 & ultra Bononinorum Mutinensium, nunc Libris 65. mirabili saltu facto redimatur, & apud vicinos nostros paria in dies æstimationis augmenta patiatur, sive recipiat. Equidem norunt omnes, quàm immanis auri argentique vis in Europam confluxerit, ex quo detectæ Occidentales Indiæ in ditionem venerunt Hispanicorum præcipue ac Lusitanorum Regum, ita ut nunc passim vili pendenda viderentur pretiosa illa metalla. At tamen animadvertendum simul est, quantos auri atque argenti acervos exuberans nostrorum temporum luxus absorbeat & absumat. Quod plus est, occupante jam nimio ære locum argenti in nummis, necesse est, ut pluribus quàm antea nummis aurum & argentum emantur. Accedit & alia (ipsaque longe gravior neque tamen vulgo nota) pecuniæ Europææ vorago, Mercatorum videlicet numquam satianda cupiditas, qui ad Turcarum, Indicique Mogolis, & Sinensium provincias, & in reliquum ferme Orientem, immensam quotidie auri argentique copiam vehunt, ut inde merces Europæis dividendas abducant; neque enim Orientales Populi Europæas merces pecunia emere, aut mercibus suis permutare facile consueverunt. Quod tamen nostris temporibus usuvenit, ne vetustis quidem omnino insuetum fuit. Testatur Johannes Villanius Lib. 12 Cap. 96. Historiar. de Florentinorum argento, *che i Mercatanti per guadagnare, il raccoglievano, e portavano oltre Mare, dove era molto richiesto*. Verùm longe minus olim fuit pecuniæ Europææ detrimentum. Luxum enim non adeo familiarem antiqua sæcula habuerunt, & præter aromata, margaritas ac pannos, vix quidquam aliud ab Orientalibus conquirebant, nondum perviis Europææ genti ulterioribus Indiis ad Orientem & Occidentem positis. Immo hoc ipsum qualecumque commercium in utilitatem non modicam Italicorum cedebat. Verùm ubi luxus Italicorum mentes fascinare cœpit, tunc Orientalium merces majorem in modum exhaurire etiam cœperunt Italicæ gentis thesauros. Vide in Notis Clarisſ. Benvoglienti ad Chronicon Senense Tom. XV Rer. Ital. ad Annum MCCCXXXVII. quot merces Syriacas una Salimbenorum familia Senensis, effusâ ingenti pecuniâ, comparârit. At de his alii opportunius differant.

Ceterum nullo umquam tempore desiderati sunt, qui adulterinam monetam fabricarint, aut legitimam circumciderint, aut collegerint, ut carius divenderent. Adversùs abominandum hoc publicorum furum genus sunt in Godice Theodosiano multæ Leges Lib. 9. Tit. 21. & sequent. Tacitus quoque Augustus, ut est apud Vopiscum, *cavit, ut si quis argento publice, privatimque æs miscuisset; si quis auro argentum; si quis æri plumbum, capital esset cum bonorum proscriptione*. Neque Langobardis & Francis in Italia regnantibus ejusmodi crimen insuetum fuit. Idcirco Rotharis Rex Lege 246 decretum hoc promulgavit: *Si quis sine jussione Regis aurum signaverit, aut monetam confinxerit, manus ejus incidatur*. Quæ verba satis indicare videntur, jam tum Reges Langobardorum Nummos suo nomine signasse, quamquam antiquiores ego exhibere nequiverim. Carolus autem Magnus in Capitularibus, ne *falsa Moneta* cuderetur, nunquam *nisi in Palatio* cudendam jussit. Sed & Ludovicus Pius Lege 27. inter Langobardicas Rotharis constitutionem his verbis renovavit. *De falsa Moneta jubemus, ut qui eam percussisse comprobatus fuerit, manus ejus amputetur. Et qui hoc consenserit, si Liber est, LX. Solidos componat; si Servus est, LX. ictus accipiat*. Sed & præter Nummos aureos & argenteos, quorum familiaris usus fuit temporibus barbaricis, inveniuntur etiam ærei Nummi, seu ex ære & argento mixti. Sed rariores, quàm apud Romanos: ærei enim Romanorum ævo signati plurimi prostant, & quotidie tellure effossâ in Italiâ inveniuntur; rarò autem declinante Imperio ærea, aut mixti æris Numismata occurrunt, eaque fere omnia sub Germanicis Augustis, & sub Civitatibus liberis percussa. Ex his aliquot vidi. Neque fieri aliter potuit, poscente id necessitate humani commercii. Nam ut scripsit Sæculo XIV. Nicolaus Oresmius Episcopus Lexoviensis in Lib de Mutat. Monet. Cap. 3 *Quoniam portiuncula argenti, quæ juste dari deberet pro libra panis, vel aliquo tali, esset minus bene palpabilis propter nimiam parvitatem, ideo facta fuit mixtio de minus bona materia cum argento: & inde habuit ortum Nigra Moneta, quæ est congrua pro minutis mercaturis*. Utique ex hac *Nigrâ Mo-*

Digitized by Google

Monetâ nihil mihi ſe obtulit ſpectans ad Langobardorum Francorumque Regum tempora. Le-Blancus etiam in Tractat. de Monet Franc. Cap. 3. affirmare non audet, num ſub prima & ſecunda Francorum Regum ſerie in uſu fuerit apud Francos Moneta *Billionum*, ideſt ex puro ære, aut ære mixto cum argento. Attamen quæ cauſſa invehendi Nummos æreos ab Oreſmio allata eſt, nobis ante oculos ſemper obverſetur neceſſe eſt. Vix enim intelligamus, quei tunc minutæ merces, multaque victui neceſſaria a paupere vulgo comparari quotidie poſſent, niſi vilis alicujus pecuniæ ſpecies in hunc uſum expoſita fuiſſet. In Apulia præſertim & Calabria Sæculo Chriſti XII. uſitata fuit pecunia *Romeſina* ex nummis vilis metalli, quum teſte Falcone Beneventano ad Annum MCXXXIX Barenſes obſidione preſſi a Rogerio Rege emerent *panem unum ſex Romeſinis*. Vide & Du-Cangium ad hanc vocem. Invexit etiam idem Rogerius Rex Anno MCXL. *Ducatum*, *octo Romeſinas* valentem, qui longe plus æris quàm argenti præferebat. Idem quoque percuſſit *Follares æreos*, *Romeſinam unam appretiatos*: quod pecuniæ iniquiſſimæ genus, teſtante eodem Falcone, calamitatem, ac pauperiem Regni mirum in modum auxit; ut tandem intelligamus, vitia Sæculi noſtri ne vetuſtis quidem temporibus ignota, inſuetave fuiſſe.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
NUMMIS
PATRIARCHARUM AQUILEJENSIUM
P. F. BERNARDI MARIÆ
DE RUBEIS
ORDINIS PRÆDICATORUM
DISSERTATIONES.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

DANIELI

CARDINALI DELPHINO

PATRIARCHÆ AQUILEJENSI

F. BERNARDUS MARIA DE RUBEIS
Ordinis Prædicatorum.

Libellum de nummis Patriarcharum Aquilejenſium, tametſi modicum & exiguum mole, atque argumento ipſo vulgarem exilemque, Te vero, PRINCEPS EMINENTISSIME, tuaque dignitate minus fortaſſe dignum, quamobrem ut Nomini tuo, Te annuente, nuncupatum in lucem proferrem, vehementer optaverim, rationes me plures impulerunt. Pro tua erga literas optima voluntate, non modo erectam publicæ utilitati Bibliothecam, Præceſſoris Dionyſii Patrui conſilia ſequutus, augere pergis atque amplificare: verum etiam tuo ductus conſilio, in antiquis Eccleſiæ tuæ monumentis undique conquiſitis diligentiſſime colligendis, nulli parcens labori & ſumptui, eam cogitationem & curam adhibes, ut & peramplum Tabularium jam e ſolo excitatum, aptiſſimoque ordine conſtitutum egregia monumentorum ſupellectile inſtruxeris; ditiſſimumque Muſæum comparaveris, quod præter alia, omnes ferme majores, minoreſque Aquilejenſium Patriarcharum juſſu cuſos argenteos nummos

mos complectitur. Ex isto quum typi prodeant, quos opusculum nostrum exhibet, perita ac fida manu delineatos, nec minori diligentia impressos, annon Tibi quod tuum utique est, reddendum fuerat? Patriarchali honore præstans, Metropolitanam moderaris Ecclesiam, quam origine claram, finibus longe lateque patentibus amplissimam, præclarissimis Præsulum gestis apprime nobilem, juribus & prærogativis insignem, edito paucis abhinc annis pro virili parte Commentario inlustrare studui, reseratis benevolentia atque imperio tuo Tabulariis, unde postremæ ætatis, atque ævi medii, & si qua forent vetustiora monumenta depromerem. Annon tibi ergo Dissertationem, quæ rem monetariam Aquilejensem, insigne tuis Præcessoribus concessum decus, versat ac exponit, sisterem & nuncuparem? Nativo splendori, quo fulges, & Familiæ Delphinæ, ex qua progenitus es, & Ecclesiæ, quam scite sanctissimeque regis, accedit amplissimum Sacræ Purpuræ ornamentum, quod Tibi abs justissimo meritorum judice & retributore BENEDICTO XIV. *Maximo atque Optimo Pontifice conlatum gratulati nuper sumus, & adhuc effuso lætitiæ sensu gratulamur. Quidni porro in hac tanta pro nupera ista tua dignitate bonorum omnium communi acclamatione præstari munusculum a me potuerit, vel etiam debuerit, quod singularis observantiæ & obsequii erga Te mei qualecumque testimonium foret? Tot itaque nominibus dubio procul jam tuum, quod Tibi sisto,* PRINCEPS EMINENTISSIME, *levidense licet munus, ut benevole excipias, oro: idemque benevolentia tua auctum, atque ornatum, Te ipso, aliqua saltem ex parte, dignum reddas. Vale, & studia nostra, quæ in Ecclesiæ tuæ rebus inlustrandis impendimus, humanitate tua complectere, tuo patrocinio tuere.*

AD

Digitized by Google

AD
LECTOREM BENEVOLUM.

IN Eccleſiæ Aquilejenſis Monumentis, inter Poponis Patriarchæ præclara geſta, factam illi a Conrado Imperatore hujus nominis primo, Germaniæ Rege ſecundo, Monetam cudendi facultatem, Regio diplomate deſcripto, recenſuimus; ibique Diplomatis tenor pro modulo noſtro expoſitus vindicatuſque, actumque paucis, quantum inſtituto ſatis erat, de nummis Patriarcharum, cuſis & arbitrariis, majoribus, & parvulis, quibus illi conſtabant, eorumque valore. Præ manibus erant Tabulæ duæ, juſſu Nicolai & Ludovici Turriani Patriarcharum confectæ, quæ initas cum Monetario conventiones complectuntur, ſignandæque Monetæ argenteæ pondus exhibent, & notam, & examen. Sibillæ foliis obſcuriores, candido fateor animo, mihi tunc videbantur illæ, tametſi lectæ, relectæque, & acriore mentis attentione ſemel atque iterum ac ſæpius ad examen revocatæ. Conſilium ergo incidit, inſeditque, ut eaſdem inter inſignis Metropolitanæ Patriarchalis Eccleſiæ monumenta, quæ vulgabam aptis commentariolis illuſtrata, prorſus præterirem: ſuppreſſaſque vellem, donec ſplendidior mihi lux affulgeret, quæ difficultatum tenebras omnes diſpelleret, fugaretque. Pro data occaſione Tabulas eaſdem, cum venirent ſub oculos, diligentius excutiebam: cum rei nummariæ peritis, atque cum ipſis Monetariis dubia conferebam, quæ menti obverſabantur, ut germanum & vocum, & ſententiarum, (ſi quidem alii probe intelligerent,) ſenſum perciperem: varieque ſubductis ratiociniis, modo hanc, modo illam veluti aptiſſimam ſequebar methodum, qua poſtea me falli, minimeque duci quo eundum erat, certo noveram. Factum denique, ut ſilice frequentius pertinaciuſque excuſſo, ignis (ut puto) proſilierit, quem optabam; veramque Monetæ in officina Aquilejenſi cudendæ rationem ex dubiis obſcuriſque vocibus, implicatiſque loquendi modis, quibus ipſæ Tabulæ memoratæ ſcatent, ni mea me fallat opinio, elicuerim. Laborem noſtrum, qualiſcumque ille ſit, Forojulienſium Antiquitatum cupidis, aliiſque benevolis offero Lectoribus: corrigere paratus, ſi quæ in argumento implexo errata ſunt: ac meliora ſequi geſtiens, ſi quæ alius quiſque in re nummaria peritior noverit, ac docuerit. Vale.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

Tabulæ duæ, altera Nicolai Patriarchæ, altera Ludovici successoris, quæ initas de cudenda Aquilejensi moneta conventiones continent. Monetam eamdem cudendi jus in alios quandoque translatum pro annua pecuniæ pensione. Pag. 143

CAPUT II.

Facultas Poponi Patriarchæ facta a Conrado Imperatore primo, nummos argenteos cudendi, Veronensis monetæ denariis pares, vel meliores. Denarios majores, quatuordecim parvulis constantes, cudebat officina Aquilejensis, ipsosque parvulos: qui Veronenses vocabantur. Diplomatis a Conrado dati sensus exponitur. 146

CAPUT III.

Communis in Aquilejensi provincia etiam solidorum usus, qui duodecim parvulis nummis constabant. An eos cuderet Monetaria Aquilejensis Officina? Videntur nummi fuisse, in officinis Marcæ Veronensis, & alibi cusi, signatique. Quid solidus Furlanus, & Aquilejensis, & usualis? 149

CAPUT IV.

Frisachenses nummi, & Frexachenses, Frixachi, vel etiam Frixerii, iidem omnino cum denariis Aquilejensibus parvulorum quatuordecim. Cur eo nomine appellati? 152

CAPUT V.

Denariorum Aquilejensium communis valor, itemque solidorum in Provincia. Extraordinarius aliquando, & excedens. Communis comparatus cum hodiernæ Monetæ Venetæ solidis. Idemque cum mercium quantitate, quæ vendebantur, & emebantur. 154

CAPUT VI.

Marca, nummus arbitrarius. Alia denariorum Aquilejensium, alia solidorum: ac utraque centum & sexaginta nummis conflata. Præter hanc communem Marcam, alia ad usum Curiæ dicebatur: cujus valor inquiritur. 157

CAPUT VII.

Ferto, sive Forto, nummus itidem arbitrarius, & quarta pars Marcæ. Libra denariorum, & libra solidorum. Marcæ hodiernæ valor. 159

CAPUT VIII.

Initæ conventiones declarantur de cudenda moneta Aquilejensi: ac primo Marca seu Marcus, pondus octo unciarum. Ex una Marca conficiebantur denarii ducenti quadraginta & octo. Quatuor siliquas, vulgo Carati, singulorum pondus excedebat. Hæc nempe ad ætatem spectant Nicolai Patriarchæ, & Ludovici Successoris. Adhibiti argenti nota expenditur. 161

CAPUT IX.

Marcus adhibitus in cusione parvæ monetæ octo pariter uncias ponderabat. Singulorum denariorum parvorum pondus, & nota argenti, ex quo illi conficiebantur, exploratur. De lucro agitur, quod Patriarchæ obveniebat, & Monetario. 164

CAPUT X.

Series denariorum Aquilejensium, cum typis, & inscriptionibus. Animadversiones. Monetariæ officinæ loca. 166

DE

Digitized by Google

DE NUMMIS PATRIARCHARUM AQUILEJENSIUM *DISSERTATIO.*

CAPUT I.

Tabulæ duæ, altera Nicolai Patriarchæ, altera Ludovici ſucceſſoris, quæ initas de cudenda Aquilejenſi moneta conventiones continent. Monetam eamdem cudendi jus in alios quandoque translatum pro annua pecuniæ penſione.

I. DE nummis Patriarcharum Aquilejenſium, cuſis, & non cuſis ſeu arbitrariis, eorumque varietate, pondere, nota, & abſoluto comparatoque valore dicturus, Tabulas ego in anteceſſum profero duas, Nicolai Patriarchæ alteram, & alteram Ludovici ſucceſſoris, quibus initæ cum Monetariis conventiones de moneta Aquilejenſi cudenda exhibentur. Priores accipe ex vetuſto apographo deſumptas.

„ Anno Dominicæ Nativitatis Mileſimo „ Tercenteſimo quinquageſimo ſexto, indi„ ctione nona, die decimaoctava Menſis „ Octobris: præſentibus Venerabilibus & ſa„ pientibus viris Dominis, Fratre Guidone „ Abbate Monaſterii Moſacenſis, Cyno de „ Caſtellione Jurisperito, Joanne de Monti„ culis Vicario in Temporalibus, ac Pauli„ no q. Magiſtri Joannis de Mutina Cancella„ rio Domini Patriarchæ infraſcripti, teſtibus „ ad hæc vocatis: Reverendiſſimus in Chriſto „ Pater, & Dominus D. Nicolaus Dei gratia „ Sanctæ ſedis Aquilegenſis Patriarcha, juxta „ morem Prædeceſſorum ſuorum, ad fabrica„ tionem & conſtructionem novæ Monetæ „ Aquilegenſis ſub ejus nomine intendens: con„ ſiluſque de probitate & fidelitate diſcreti & „ providi Viri Franciſci Bonaquiſti de Flo„ rentia commorantis in Venzono, de cujus „ induſtria & fidelitate laudabile teſtimonium „ intellexit: ipſum Franciſcum ſuper hujuſmo„ di moneta cudenda & facienda Magiſtrum „ conſtituit & officialem ſuum; itaquod dictam „ monetam cudere debeat, & cudi facere „ legaliter & prudenter, cum modis & con„ ditionibus infraſcriptis. Videlicet imprimis: „ quod ipſe Franciſcus debeat facere, ſeu „ fieri facere in Civitate Aquilegiæ, & ali„ bi, ubicumque placuerit dicto Domino Pa„ triarchæ, monetam hujuſmodi bonam & „ puram, videlicet de unciis quatuor argenti „ Venetorum groſſorum, & tribus quarteriis „ pro quolibet Marcho: de qua moneta de„ beant viginti ſolidi, & octo denarii Aqui„ legenſes ponderare marchum unum: & de „ ipſa moneta non poſſit expendere, niſi de „ quacumque ſcoſſa prius fiat ſazium in ponde„ re, & in igne: quod ſazium debet eſſe de „ uno marcho in pondere, & de uno quarte„ rio unciæ in igne. Debent enim pondere „ viginti ſolidi, & octo denarii facere mar„ chum unum: quod ſi eſſent denarii quatuor „ magis, vel quatuor minus, approbentur „ boni denarii: ſi vero fuerint quatuor plus, „ teneatur in ſequenti ſcoſſa eos facere de qua„ tuor minus, & e converſo. Quod ſi aliter „ reperiatur moneta, quæ facta fuerit extra „ talem formam, iterato debeat in ignem „ mitti, & iterum fundi & meliorari. Item „ quod idem Franciſcus debeat facere, ſeu fie„ ri facere ſazium in igne de uno quarterio „ unciæ, quod eſt grana centum quadraginta „ quatuor: & debet reddere pro quarterio „ de argento fino grana octuaginta duo, & „ dimidium. Ita tamen quod ſi reddiderit de „ granis octuaginta & dimidio, debeant ap„ probari boni denarii: & dictus Franciſcus „ non teneatur ad reſtitutionem aliquam hu„ juſmodi duorum granorum deficientium. Et

Digitized by Google

„ ſi reddiderit de minori, quam octuaginta „ granis & dimidio, tunc debeat dicta mo„ neta iterato in ignem mitti, & meliorari.

„ Et quod dictus Dominus Patriarcha te„ neatur deputare certos homines, qui inter„ ſint ad requiſitionem dicti Franciſci, quan„ do fiet ſazium de dicta moneta: & cum „ fuerit approbata per ipſos Deputatos, idem „ Franciſcus ſit liber a præfato Domino Pa„ triarcha, & a quocumque ejus officiali, de „ hujusmodi moneta cuſa, & approbata. Et „ teneatur ipſe Franciſcus dare eidem Domino „ Patriarchæ pro quolibet marcho denarios „ novem dictæ Aquilegenſis monetæ, ſolven„ dos ipſi Domino Patriarchæ de tribus in tri„ bus Menſibus, incipiendo in prima cuſione „ dictæ monetæ.

„ Item quod dictus Franciſcus poſſit cudere „ uſque ad mille marchos monetæ parvæ: ita „ quod quodlibet marchum ponderet uncia „ una argenti Veneti; & ſint in pondere pro „ quolibet marcho ſolidi ſexaginta ſex. Quod „ ſi eſſent duodecim denariis parvulis minus, „ vel duodecim plus, approbentur boni dena„ rii: ſi vero duodecim magis, teneatur in „ ſequenti ſcoſſa eos facere de duodecim mi„ nus, & e converſo. Et ſi aliter reperire„ tur moneta, quæ facta fuerit contra talem „ formam, iterato debeat in ignem mitti, & „ iterum fundi & meliorari. Et fiet ſazium „ in igne de dimidio quarterio unius unciæ de „ granis ſeptuaginta duobus: & debeat red„ dere de argento fino grana octo, & duos „ tertios. Et cum fuerit approbata per dictum „ Dominum Patriarcham, vel Deputatos ab „ eo, dictus Franciſcus ſit liber & immunis „ de dicta moneta approbata ab ipſo Domino „ Patriarcha, & ejus quocumque officiali. „ Et teneatur (a) pro quolibet marcho eidem „ Domino Patriarchæ dare ſolidos duos par„ vulorum.

„ Item quod præfatus Dominus Patriarcha „ deputet unum cuſtodem, ſive ſuperſtitem, „ qui ſtet continue cum Magiſtris ipſius mo„ netæ, ad videndum cudere eam: & teneat „ unam clavim, & dictus Franciſcus aliam „ loci ſeu caſtellæ, ubi ſtabunt ferramenta pro „ cuſione dictæ monetæ, & denarii monetati, „ quouſque fuerit ſazium factum de dicta mo„ neta: & teneatur ipſe Dominus Patriarcha „ dictum cuſtodem ſeu ſuperſtitem ſalariare, „ & prædictus Franciſus eidem facere ex„ penſas.

„ Quodque teneatur idem Dominus Patriar„ cha facere proclamari ad omnem requiſitio„ nem dicti Franciſci, quod prædicti denarii „ recipiantur in quolibet foro & cambio per „ quemcumque, pro quatuordecim denariis „ parvulis quilibet: & hoc ſub pœna unius „ marchæ in non parentes, cujus pœnæ ter„ tia pars Cameræ Domini Patriarchæ applici„ cetur, alia dicto Franciſco, & reliqua „ tertia pars accuſatori: & quod omnes offi„ ciales dicti Domini Patriarchæ teneantur ſic „ facere obſervari. Et in qualibet ſolutione „ cujuscumque mercationis, vel debiti te„ neatur quilibet recipere uſque ad ſummam „ decem ſolidorum denariorum parvuorum; „ & hoc ſub pœna prædicta.

„ Item quod prædictus Dominus Patriarcha „ teneatur præfato Franciſco præſtare domum „ pro eo, & ipſius familia, in qua Moneta „ cudatur & fiat; & ipſe cum ejus familia valeat „ habitare. Item quod ipſe Dominus Patriar„ cha teneatur ſecurare, & ſecurum facere „ dictum Franciſcum, & omnes de ejus fa„ milia per totum diſtrictum: ita quod ipſi „ poſſint ſecure cum argento, moneta, & „ ſuis mercationibus ire per omnes dicti Do„ mini Patriarchæ civitates & loca, ſtare „ etiam, & redire abſque alio damno. Quod „ ſi contigerit, teneatur idem Dominus Pa„ triarcha reſtituere de ſua Camera, ſi aliter „ ablata recuperari non poſſent; dum tamen „ ipſe Franciſcus, ſeu familiares ſui a dicto „ Domino Patriarchæ licentiam poſtulent, ſeu „ a Vicario ſuo, vel aliis, quos ſuper hoc „ duxerit deputandos. Item teneatur dictus „ Dominus Patriarcha facere proclamari pu„ blice per totum diſtrictum ſuum, quod nul„ lus audeat extrahere argentum, ſive Bolſo„ num de dicto diſtrictu: & hoc ſub pœna „ argenti & bolſoni; cujus pœnæ tertia pars „ Cameræ dicti Domini Patriarchæ, & alia „ dicto Franciſco, & reliqua accuſatori ap„ plicetur: & quod quilibet portans argen„ tum, ſive bolſonum prædicto Franciſco, „ vel ad ſuam fabricam, poſſit libere ire, ſta„ re, & redire per totum diſtrictum ejuſdem „ Domini Patriarchæ, cum perſonis & rebus „ ſuis, tute, & abſque eo quod moleſtari „ poſſit occaſione aliquarum repreſſaliarum, „ vel aliarum cauſarum; dummodo non ſint „ rebelles, & inimici dicti Domini Patriar„ chæ, & Eccleſiæ Aquilegenſis. Item quod

„ dictus

(a) In Tab Ludovici Turriani; *Et non teneatur aliquid dare pro bujuſmodi parva moneta ipſi Domino Patriarchæ.*

Digitized by Google

„ dictus Franciſcus poſſit & debeat cudere, „ cudi facere prædictam monetam hinc ad „ unum annum proximum, integrum & com- „ pletum, hodie inchoandum.

„ Quæ quidem pacta, omnia & ſingula, „ præfatus Dominus Patriarcha pro ſe & Ec- „ cleſia Aquilegenſi, & dictus Franciſcus „ pro ſe, jurans etiam ad ſancta Dei Evange- „ lia, rata, grata, & firma, ſolemni hinc „ inde ſtipulatione interveniente, habere, „ adimplere, & inviolabiliter obſervare pro- „ miſit, ſub pœna mille marcharum Aquile- „ genſis monetæ: quæ pœna exigi poſſit ac de- „ beat cum effectu per partem obſervantem a „ parte non obſervante totiens, quotiens con- „ tra veniretur, vel fieret: & pœna ſoluta, „ vel non, præſens nihilominus contractus ob- „ tineat plenum robur. Obligantes ſibi vicißim, „ unus alteri, videlicet dictus Dominus Pa- „ triarcha eidem Franciſco omnia bona ſua, „ & ſuæ Aquilegenſis Eccleſiæ; & ipſe Fran- „ ciſcus ei omnia bona ſua, mobilia & immo- „ bilia, præſentia & futura. Renunciantes „ omni legis, & conſuetudinis, ac juris tam „ canonici, quam civilis, auxilio, per quod „ poſſent contra prædicta ſe defendere, vel „ tueri. In quorum omnium teſtimonium præ- „ dictus Dominus Patriarcha mandavit, præ- „ ſens inſtrumentum confici per me Notarium „ infraſcriptum, & ſui ſigilli appenſione mu- „ niri. Actum Utini in Palatio Patriarchali....

Similes ævo ſuperiore Tabulas confectas, quæ perierunt, vel in forulis archivorum latent, nullus dubito. Similes vero poſt elapſum triennium, Ludovici Turriani juſſu ſcriptæ, præſto ſunt: queis ejusdem Franciſci opera in cudenda moneta Aquilejenſi, initis eiſdem conventionibus, comparatur. Priora verba ſunt hæc: „ In chriſti nomine Amen. Anno „ Nativitatis ejuſdem M. CCC. LIX. Indictio- „ ne duodecima, die decimanona Menſis „ Octobris: præſentibus Nobilibus & circum- „ ſpectis Viris Dominis, Carlevario, & Ca- „ ſtrono dicto Panceria, de la Turre, Joanne „ de Monticulis Juriſutriuſque perito Vicario „ in Temporalibus infraſcripti Domini Pa- „ triarchæ, & aliis: Reverendiſſimus in Chri- „ ſto Pater & Dominus D Ludovicus Dei gra- „ tia Sanctæ Sedis Aquilegenſis Patriarcha, „ juxta morem ſuorum Prædeceſſorum Pa- „ triarcharum, ad fabricationem & con- „ ſtructionem novæ Monetæ Aquilegenſis ſub „ nomine ejus diligenter intendens; confiſuſque „ de probitate, induſtria, & fidelitate diſcre- „ ti & providi Viri Franciſci Bonaquiſti de „ Florentia, commorantis in Venzono, de „ quibus eidem Domino Patriarchæ teſtimo- „ nium laudabile perhibetur: eundem Fran- „ ciſcum ſuper hujuſmodi moneta cudenda & „ facienda Magiſtrum conſtituit, & officialem „ ſuum, ita quod dictam monetam cudere „ debeat, & cudi facere legaliter ac fideli- „ ter, cum pactis, modis, & conditionibus „ infraſcriptis. In primis videlicet, (*ut in ſuperioribus Nicolai Patriarchæ tabulis.*) „ Actum in Caſtro Utini in Camera prædicti „ Domini Patriarchæ. Ego Paulus q. Magi- „ ſtri Joannis de Mutina publicus ſacræ Impe- „ rialis aulæ Notarius, & prædicti Domini „ Patriarchæ ſcriba prædictis interfui, & ea „ de mandato ejuſdem Domini Patriarchæ „ ſcripſi, & publicavi rogatus. „

Joannis de Monticulis, in Jure peritiſſimi, qui in utriſque allatis Tabulis teſtis vocatus comparet, elogium texit Joſephus Capodilius in ſua Utini Civitate illuſtrata: eodemque in loco *Cini de Caſtellione*, qui prioribus in Tabulis teſtis adeſt, vicaria in Civitatibus Tridenti, Belluni, Feltriæ, Ludovici Bavari Imperatoris nomine, poteſtate perfuncti, mentionem ingerit: ejuſque præfecturam ad annum 1340. refert Pilonus in Hiſtoriæ Bellunenſis libro quarto. Apud eundem Capodalium laudes proſtant *Carlevarii*, e gente Turriana viri celeberrimi: ad ipſamque ſpectabat *Caſtonus*, aut *Caſtronus*, ab eo, qui eodem vocatus nomine Sedem Aquilejenſem Patriarchalem rexit, diverſus.

II. Neque ſolum Monetariorum opera ad cudendam in Provincia monetam utebantur Patriarchæ: factum etiam quandoque, ut extra Provinciam ignorarentur nummi Aquilejenſes, ipſo jure ad tempus pro certa pecuniarum ſingulis annis ſolvenda ſumma in alios translato. Alexandri IV. Summi Pontificis litteræ ad Gregorium de Montelongo datæ rem patefaciunt. „ Alexander Papa IIII. G. „ Aquilegenſi electo. Sicut petitio tua nobis „ expoſita continet: jus cudendi monetam, „ quod ad te in Patriarchatu Aquilegenſi per- „ tinet, Matthæo dicto Terviſin, Johanni „ & Marino Zorzani, & Nicolao Venerio, „ civibus Venetiarum, uſque ad duos annos, „ de conſenſu Aquilegenſis Capituli, conceſſiſti „ pro certa pecuniæ quantitate, prout in In- „ ſtrumento publico confecto, exinde tuo & „ ipſius Capituli ſigillis ſignato plenius dicitur „ contineri. Nos itaque tuis ſupplicationibus „ inclinati, quod ſuper hoc provide factum „ eſt, ratum & gratum habentes, id aucto-

rita-

Digitized by Google

„ ritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis „ ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo „ .... noſtræ confirmationis ..... Datum Nea „ poli V. Nonas Maii anno primo: „ (æræ vulgaris 1255.) quo ſcilicet anno, ac Menſe Majo, dieque tertia, nondum Neapoli, ubi electus fuit, diſceſſerat Pontifex. Similem juris monetam Aquilejenſem cudendi translationem non hac vice tantum, ſed alias, ac ſuperiore tempore, a Patriarchis factam, conjecerim ego, conjecturæque argumenta inferius dabo.

CAPUT II.

Facultas Poponi Patriarchæ facta a Conrado Imperatore primo, nummos argenteos cudendi, Veronenſis monetæ denariis pares, vel meliores. Denarios majores, quatuordecim parvulis conſtantes, cudebat officina Aquilejenſis, ipſoſque parvulos: qui Veronenſes vocabantur. Diplomatis a Conrado dati ſenſus exponitur.

I. MOnetæ noſtræ Aquilejenſis conditionem rationemque diligentiore indagine ut exploremus, verba referenda ſunt Diplomatis, quo Conradus Rex Germaniæ, hujus nominis ſecundus, & Imperator primus, anno 1028. fecit Poponi Patriarchæ percutiendæ monetæ facultatem. „ „ Conradus Dei gratia Romanorum Auguſtus. „ Ex noſtrorum anteceſſorum conſtituto didi „ cimus, noſtri eſſe juris, ſanctæ Matris „ Eccleſiæ res pro viribus augere, & auctas „ pacificare. Quapropter volumus & opta „ mus, ut notum ſit omnibus Sanctæ Dei „ Eccleſiæ utriſque fidelibus: quomodo nos, „ interventu noſtræ dilectæ jugalis Gislæ, & „ Henrici Regis dilectiſſimi noſtri filii, necnon „ & Arabonis Moguntienſis Archiepiſcopi, & „ dilecti noſtri Brunonis nepotis Cancellarii, „ atque Adalberonis Ducis, donamus, atque „ noſtra imperiali poteſtate concedimus, pro„ ut juſte & legaliter poſſumus, Sanctæ „ Aquilegenſi Eccleſiæ, & Poponi Patriar„ chæ, qui ibidem Domino videtur deſervi „ re, licentiam Monetam publicam infra Ci „ vitatem Aquilejæ faciendi. Igitur denarios „ ipſius Monetæ ex puro argento firmiter præ„ cipimus fieri, & Veronenſis monetæ dena„ riis æquiparari, niſi prænominatus Patriar„ cha ſua ſpontanea voluntate velit meliorare. „ Habeantque licentiam omnes Regni noſtri „ negotiatores, in qualibet venali mercæ ipſos „ denarios accipere, ſi tamen fuerint ſimpli„ ces falſitate. Quod ut verius credatur, & „ ab omnibus diligentius obſervetur, hanc „ noſtræ conceſſionis paginam inde ſcriptam „ manu propria roborantes, ſigilli noſtri im„ preſſione juſſimus inſigniri. Signum Conra„ di invictiſſimi Romanorum Imperatoris Au„ guſti. Bruno Cancellarius Sacri Palatii vice „ Arabonis Archiepiſcopi & Archicancellarii „ recognovi. Data anno Dominicæ Incarna„ tionis MXXVIII. Indictione XI. III. idus „ Septembris, anno Conradi Regnantis quar„ to, Imperii vero ſecundo, ejusdemque Im„ peratoris filii Henrici Regis anno primo. „ Actum Immideshirton feliciter. „

Diploma non vidit Doctiſſimus Muratorius, qui inter Diſſertationes Italicas Medii ævi Diſſert. XXVII. *de Moneta*, verbo *Aquilejæ*, ſic habet: *Poſt ejus* (Aquilejæ) *miſerabile excidium, nullum ibi per multa ſecula veſtigium officinæ Monetariæ fuit. Patriarchis demum Aquilejenſibus, utpote qui ampliſſimæ regioni dominabantur, collata eſt eadem prærogativa a Friderico II. Auguſto. An antea argentum Patriarchæ ſignarint, ignotum mihi eſt: ſaltem ab eo tempore argentei nummi viſuntur ad eorum nutum cuſi.* An diploma dederit Fridericus II quo fieret Volchero Patriarchæ, cujus nummi ac ſucceſſorum ſervantur in Muſæis, argentum ſignandi facultas, incompertum mihi: collata vero hanc Poponi prærogativam a Conrado Rege ſecundo, Imperatore hujus nominis primo, nullius ego dubitaverim. Hac de re plura diſſeruimus in Monumentis Eccleſiæ Aquilejenſis Capite LIV. n V. Quæ ſequuntur, rurſum accipe, non pauca, nec inutilia.

Vitia quidem, Librariorum oſcitantia, irrepſerunt aliqua in apographum, quod ſuperius deſcriptum eſt: cætera ſibi conſtant omnia. *Conradus* dicitur *Dei gratia, Romanorum Auguſtus*: at legendum genuina diplomata jubent, *Cunradus*, vel *Chunradus divina favente clementia*, vel *gratia Romanorum Imperator Auguſtus*. Frequentius *interventum dilectæ jugalis*, ſeu *conſortis Gislæ* exhibent ſincera alia: ſed *Imperatricis* titulum addunt, utpote quæ nomen iſtud & conſecrationem Romæ cum viro ſuo Conrado acceperit anno 1027. die ſancto Paſchæ, 26. Martii. Poponi favet, proque eo intervenit *Henricus Rex dilectiſſimus filius*, ut alia quoque diplomata produnt: quem ſcilicet undecim annos natum Conradus pater in regalem apicem anno 1028. in Paſchate die 14. Aprilis, apud Aquiſgrani pa-

palatium ſublimari fecerat. Preces addunt *Moguntinus Archiepiſcopus*, & *Bruno Cancellarius*: quod in aliis ejuſdem Conradi diplomatibus frequentius obſervare contingit. *Adalbero* demum *Dux* adeſt: ille nempe, qui Carinthiæ Ducatum adminiſtrabat, diſſidia fovit cum Popone Patriarcha, ac pacem iniit anno 1027. Conſule laudata Monumenta Eccleſiæ Aquilejenſis Capite LIV. num. II. & III.

Illa verba, *ſignum Conradi invictiſſimi Romanorum Imperatoris Auguſti*, ſincera ac genuina ſunt: ac unus fortaſſe deeſt *Domni* titulus. *Archicancellarius* occurrit *Arabo*, vel potius *Aribo*, Archiepiſcopus Moguntinus: ſunt vero diplomata, in quibus *Archiepiſcopus* duntaxat appellatur, & *Archicancellarius*: alia proſtant, quæ addunt *Maguntinum*. Frequentius *Bruno Cancellarius* dictus legitur: ſed *Brunonem* etiam *Sacri Palatii Cancellarium*, raro licet tum temporis ſtylo, in Diplomatibus occurrere, animadvertit Abbas Gottvvicenſis in Prodromo ad Chronicon Gottvvicenſe, diplomate in exemplum adducto, quod in Bullarii Caſſinenſis Tomo II. habetur. Diploma addo ego, quod Ughellus recenſet in Epiſcopis Novarienſibus. Quis fuerit *Bruno* iſte, ignorare ſe fatetur Doctiſſimus idem Abbas Gottvvicenſis: an lucem aliquam afferat diploma noſtrum, quod ipſum exhibet Conradi Regis & Imperatoris *nepotem*? Hunc vero jam ab anno 1028. fungi munere ſuo cœpiſſe, Diplomata docent. Recenſitum ab Ughello in Epiſcopis Novarienſibus aſſerro: *Bruno Cancell. Sacri Palatii vice Arribonis Archiep. & Archicancell. recognovit. Dat. anno Dominicæ Incarnationis* 1028. *anno vero Regni Conradi* 4. *Imperii autem* 2. *ejuſdem Imperatoris filii Henrici primo, indictione* 11. *Actum in Palatio Aquiſgrani*. Menſis deſideratur, ac dies ejuſdem.

Recognoſcentem Brunonem diplomata, quæ ad res Italicas pertinent, nos ipſa diplomata docent. Cur ergo non agit ipſe vices Archiepiſcopi Colonienſis, cujus in eiſdem rebus Italicis munus erat? Difficultatem elidit omnem laudatus Abbas Gottwicenſis, qui ſapienter animadvertit, Archiepiſcopos Moguntinos *Italici* quoque *Archicancellariatus* munus, utpote *Archicancellarios univerſales*, frequentius obiiſſe: quod plurium diplomatum exemplis evincit.

Diploma *datum*, ac *data* diplomatis conceſſio, ut in noſtro legitur, perinde ſe habent, ac utriuſque formulæ præſto cuique ſunt exempla. Ad chronologiam demum quod attinet, eadem eſt ac in diplomate ſuperius memorato ad Petrum Novarienſem Epiſcopum: Menſis tamen additur *Septembris*, ac dies *tertia ante idus*, ſeu dies undecima ejuſdem Menſis. Conradi *Imperatoris*, & Henrici filii *Regis* anni, ſcilicet *ſecundus*, & *primus*, optime cohærent cum anno vulgaris æræ 1028. & undecima indictione. Locum etiam haberet indictio XII. a Kalendis Septembris incepta. At regnum ipſe Conradus *anno* 1024. *6. idus Septembris*, ſeu die octava, auſpicatus fuerat: unde *die* 3. *idus Septembris*, ſeu die undecima, anno 1028. jam cœperat quintus Conradi regnantis annus. Aut ergo in Diplomate noſtro, annus regni *quintus*, non *quartus* legebatur: aut tribus tantum illis diebus, qui ſupra completum quartum Regni annum excurrebant, non computatis, quartum annum regnantis Conradi numeraverit minus attentus Cancellarius. Locus denique *Immideshirton* nondum mihi notus.

Conlata ſi fuerit, inquies, Poponi Patriarchæ argentum ſignandi facultas, cur Aquilejenſes cuſos nummos videre non liceat ante Volcherum, qui anno 1204 in Sedem Patriarchalem conſcendit? Argenteum ſervant Muſæa nummum, cujus pars una ſedentem Epiſcopum exhibet, manu dextera pedum Epiſcopale, librum ſiniſtra tenentem, cum epigraphe circum inſcripta, AQ LEGIA P. viſiturque parte in altera ædificium arcubus quatuor ſuperſtructum cum duabus turribus, ac media inter illas Crux. (Vide Tabulam I. n. 1) An ſigla illa P. ſignificet *Poponem*, vel *Peregrinum* primum, vel alterum; an potius univerſim *Patriarchas*, non ita facile dixerim. Satis mihi fuerit, ſi animadvertero, nummum prædictum ſine dubio Aquilejenſem eſſe, ipſumque cuſum ſignatumque ante Volcherum, pro ea ſcilicet, quam ſignandi argentum contulit Conradus Imperator facultatem *Poponi Patriarchæ*, & *Sanctæ Aquilegenſi Eccleſiæ*. Apud Venetos primus Henricus Dandulus, qui Rempublicam anno 1192. adminiſtrare cœpit, nomen ſuum, una littera initiali poſita, nummis impoſuiſſe dicitur: ob eamque non expreſſi nominis rationem vix ullos videre licet certos compertoſque Venetorum nummos, quos ævo ſuperiore cuſos veruſtæ produnt chartæ. Quidni hunc imitatus morem fuerit Peregrinus II. qui Aquilejenſes infulas anno 1195. obtinuit, ſuumque nomen littera initiali P. indicari voluerit in nummis? Conjecturis finis eſto. Miratio porro ſubeat nulla, nummos illos, quos ante Volcherum cuderit Officina monetaria Aquilejenſis, utpote ſiglis obſcuris notatos,

Digitized by Google

vel etiam Patriarcharum nomine deſtitutos, inſuper habitos fuiſſe, ac igne fuſos ut in alios mutarentur, atque deperditos deletoſque: aut ſi quos adhuc effodi, & adinveniri contingat, ob eamdem rationem veluti certos Aquilejenſes cognoſci, & haberi non poſſe. Nummum expende in eadem Tabula I. num. 2. poſitum. Typus ejus, & fabricæ ratio haud levem præferunt ſimilitudinem cum ſuperius allato, ipſiſque cum Volcheri nummis, ut ex eadem omnes prodiiſſe officina videantur. Rem ego in medio relinquo. Aquilejenſium certe explorata ſeries a Volchero incipit, duciturque ad Patriarcharum poſtremum, Ludovicum Techium, quam infra dabimus integram.

II. Tum vero qui nummi hujuſmodi reperiuntur in Muſæis, tum allatæ Nicolai & Ludovici Patriarcharum tabulæ, & vetuſtæ chartæ innumeræ docent, ac evincunt, cudi in Officina Monetaria Aquilejenſi conſueuiſſe nummos majores, minoreſque argenteos: ac iſtos paſſim appellatos *denarios parvulos*, ac *parvulos* abſolute: illoſque, *denarios*, & *denarios Aquilejenſes*, ſeu *monetæ Aquilejenſis*, quatuordecim parvulis conſtantes: ac parvulos demum frequentius dictos *Veronenſes*.

Chartarum certa fide, quæ adfero, luculentiſſime confirmantur. Ex tabulis in Archivo Forojulienſium Fratrum Prædicatorum adſervatis, profero verba, quæ ſequuntur. Anno 1252. *indictione decima, die nono exeunte Septembri .... pro pretio trecentarum librarum Veronenſium parvulorum.* 1256. *indictione quartadecima, die* XII. *intrante Madio .... pretio & foro trium Marcharum denariorum Aquilegenſis Monetæ.* 1260. *indictione tertia, die tertio intrante Januario ..... quadraginta ſex denarios Aquileg. monetæ.*

Plurima præſtat documenta Archivum inſignis Capituli Forojulienſis. Quæ ſequuntur accipe. Anno 1214 *denarios Aquil. monetæ.* 1216. *Denarios Aquil.* 1254. *pretio unius Marchæ, & duodecim librarum & mediæ denariorum Aquilegenſis monetæ.* 1276. *Quingentos & octoginta tres Fortones, viginti unum denarios, & octo Veronenſes, ad monetam Aquilegiæ computato denario Aquilegenſi pro quatuordecim Veronenſibus.* 1288. *Marchas denariorum Aquileg.* 1293. *Centum librarum Veronenſium parvulorum.* 1299. *Viginti duorum denariorum Aquilegenſis monetæ.* 1377. *Veronenſes parvulos viginti tres.*

Autographus *liber* ſervatur *Rationum Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini Domini Ludovici, Dei gratia Sedis Aquilegenſis digniſſimi Patriarchæ, qui nominatus eſt, Clarum me fac*: quem olim ſumma Jo. Joſephi Liruti humanitate commodatum legimus, & expendimus: deque ipſo delibavimus plura, ad argumentum quod illuſtramus aptiſſima. Pauca profero ſic in eo poſita ratiocinia. Anno 1360. *Recepit Dominus Ambroſius de la Turre Theſaurarius a Joanne de Falcis .... libras Veronenſium ducentas .... A dicto Domino Phebuſino Marchas denariorum Aquilegenſium ducentum quatuordecim, denarios quadraginta quinque, pizzulos* (ſeu parvulos) *decem ... A Manfredo familiari Domini Guecellonis ſuper ſolutione dictæ Gaſtaldiæ libras parvorum centum quadraginta novem .... A dictis Dominis Pertoldo & Pileo de Murucio libras Veronenſium centum.* Anno 1361. *Recepit Dominus noſter Patriarcha a Dominis Pertholdo & Pileo fratribus de Muruccio Marchas denariorum centum quadraginta, & denarios quadraginta quinque, pizzulos ſex.* Paria paſſim occurrunt plurima, quibus in recenſendis diutius immorari non vacat.

In ipſis Ludovici Turriani anno 1359. & Nicolai anno 1356 confectis Tabulis, nummos argenteos in officina Monetaria Aquilejenſi cuſos *denarios Aquilegenſes* appellatos, & *denarios* legimus, qui recipi debeant *in quolibet foro & cambio per quemcumque, pro quatuordecim denariis parvulis quilibet*: ipſoſque *denarios parvulos*, & *denarios parvos* memoratos habes, qui & *moneta parva* appellantur. *Marcam* in ſuperioribus monumentis cum legis, & *Fortones*; nummum intellige non cuſum, neque ſignatum, ſed idealem, & arbitrarium. Denariis Aquilejenſibus centum & ſexaginta conſtabat Marca, & quarta pars Marcæ erat Forto: qua de re ampliora damus Capite VI. & VII.

III. Iterum ſub oculos modo ſubjicere præſtat Diplomatis a Conrado dati verba, ut legitimo ea ſenſu declarentur. Videlicet: *igitur denarios ipſius monetæ ex puro argento firmiter præcipimus fieri, & Veronenſis monetæ denariis æquiparari, niſi prænominatus Patriarcha ſua ſpontanea voluntate velit meliorare.* Apud Ducangium in Gloſſario ad Scriptores mediæ & infimæ latinitatis, vox *denarii* adhibita reperitur, tum pro nummo cuſo duodecim nummulis conſtante, quem *Solidum* vocabant: tum pro ipſo nummulo, duodecima ſolidi parte. Factum vero, ut frequentiore uſu majores nummi appellarentur *ſolidi*, ac *denarii* vocarentur minores, quibus illi conſtabant. Rem certiſſimam ac perſpicuam, quam obvia

Tabu-

Digitized by Google

Tabulæ apud ſcriptores, & Archivorum chartæ teſtantur, amplioribus piget verbis illuſtrare.

Utroque ſenſu accipi debent *Denarii* in Diplomate Conradi, tum pro ſolidis duodecim nummulorum, tum pro nummulo duodecima ſolidorum parte. Atqui facultas Poponi & Succeſſoribus facta fuit, ut argenteos denarios cuderent, vel *monetæ Veronenſis denariis æquiparatos*, vel etiam *ſi velint meliores*. Pro facultate ſibi data cudi juſſerunt Patriarchæ nummulos argenteos, Veronenſibus pares, qui & communi in Provincia vocabulo dicebantur *Veronenſes*: itemque ſignari nummos fecere, qui *ſolidis* majores eſſent, melioreſque; cum illi duodecim nummulis, quatuordecim iſti conſtarent. In Tabulis Nicolai & Ludovici de utraque moneta, magna, & parva, cudenda agitur: indiciturque, ut *denarii* majores *recipiantur in quolibet foro & cambio per quemcumque, pro quatuordecim denariis parvulis quilibet*. Verba illa Tabularum anni 1276. non prætereo, utpote aptiſſima: nempe, *quingentos & octoginta tres Fortones, viginti unum denarios, & octo Veronenſes, ad monetam Aquilejæ computato denario Aquilejenſi pro quatuordecim Veronenſibus*. Addo litteras Zenobii de Giaceto Monetarii, Antonii Patriarchæ nomine, ad Joannem de Rabata Goritienſem Capitaneum anno 1399. datas, quas integras infra dabo, quibus indicitur: *ſingulum denarium* novæ monetæ Aquilejenſis *pro quatuordecim parvulis* recipi debere, *& ſolidum pro duodecim parvulis*.

Itaque ſolidos duodecim parvulorum cudebat officina Monetaria Veronenſis: nummoſque, pariter *ſolidos* dictos, paris ponderis & valoris, ſignabant aliarum Civitatum officinæ in Marca Veronenſi. Henricus, Conradi filius, poteſtatem Bernardo Patavino Epiſcopo fecit, *Monetam faciendi ſecundum pondus Veronenſis Monetæ*. Tabulæ proſtant apud Rerum Patavinarum Scriptores, quas pluribus vitiis expurgatas vulgavit demum Doctiſſimus Joannes Brunatius, de Re Nummaria Patavinorum edita anno 1744. Diſſertatione, Capite II. Hinc nummuli in his locis cudebantur, quos *denarios* appellabant, & *parvulos*: ſimulque majores nummi, dicti *ſolidi*, duodecim denariis conſtantes. At majore nummo apud Aquilejenſes parte ſeptima aucto, ad quatuordecim uſque nummulos, mutata quodammodo fuere nomina apud illos. Nummos argenteos, quatuordecim nummulis conſtantes, vocabant *denarios*, & *denarios Aquilejenſes*: ipſique nummuli, alibi *denarii* dicti, *Veronenſes* appellati ſunt, & *parvuli*, & *pizzuli*. Nihil dictum, quod jam allata monumenta non confirment ampliſſime: ſed adhuc infra latiore calamo agendum.

CAPUT III.

Communis in Aquilejenſi provincia etiam ſolidorum uſus, qui duodecim parvulis nummis conſtabant. An eos cuderet Monetaria Aquilejenſis Officina? Videntur nummi fuiſſe, in officinis Marcæ Veronenſis, & alibi cuſi, ſignatique. Quid ſolidus Furlanus, & Aquilejenſis, & uſualis?

I. FRequentiſſimum *ſolidorum*, qui duodecim nummos parvulos *Veronenſes* valore & pretio æquabant, in Aquilejenſi provincia uſum in venditionibus, emptionibuſque, ſolutionibus æris alieni, aliiſque commerciorum ſpeciebus, patefaciunt innumera, quæ in publicis privatiſque Tabulariis adſervantur monumenta. Indubiam rem compertamque paucis in medium prolatis liceat confirmare. In allatis Zenobii de Giaceto litteris indictum legimus: ut *ſinguli denarii* Aquilejenſes *pro quatuordecim parvulis* recipiantur, *& ſolidus pro duodecim parvulis*.

Ex Forojulienſibus Archivis inſignis Capituli Canonicorum, ac Fratrum Ordinis Prædicatorum, hæc promo pauciſſima, & profero. Anno 1252. *pro pretio trecentarum librarum Veronenſium parvulorum*. 1299. *quinque ſolidi Veronenſium parvulorum*. 1417 *Cenſum livellarium duarum marcharum, unius videlicet denariorum novorum Monetæ Aquilegenſis, & alterius ſolidorum*. 1418 *Marchas denariorum quatuor, & quadraginta duas Marchas ſolidorum*. Ad ſeculum ſuperius quartumdecimum ſpectat laudatus *Rationum Ludovici Patriarchæ liber, qui nominatus eſt, Clarum me fac*: in eoque plurima proſtant rei, qua de agimus, documenta. V. g. *Marchas denariorum decem & octo, denarios viginti, & ſolidos duos .... Libras parvorum centum quadraginta novem, & ſoldos ſex ..... Marchas ſoldorum quatuor, & mediam .... Marcham unam ſoldorum, & ſoldos triginta duos*. His demum ratiocinia addo, quæ marcas ſolidorum, quæ ſolvebantur, redactas exhibent ad Marcas denariorum Aquilejenſium, quos parte ſeptima ſolidis majores jam adnotavimus. V. g. *Marchas ſoldorum triginta: capiunt Marchas*

Digitized by Google

chas XXV. $\frac{1}{2}$. *denarios* XXXIII. *piz.* IIII. .... *Marchas ſoldorum triginta ſeptem, quæ capiunt Marchas denariorum* XXXI. $\frac{1}{2}$. *denarios* XXXIIII. *piz.* IIII. Hiſce de ratiociniis, monetarumque æquationibus diligentiore opera inferius agendum.

II An vero hujuſmodi ſolidos, quorum uſus in Provincia frequentiſſimus erat in commerciis, officina monetaria Aquilejenſis cuderet, quæſtio eſt. Ajentem partem evincere videntur verba Diplomatis, quo Conradus Imperator facultatem Poponi Patriarchæ fecit, *faciendi denarios* argenteos, eoſque *Veronenſis monetæ denariis*, ideſt ſolidis, *æquiparandi, niſi prænominatus Patriarcha, ſua ſpontanea voluntate velit meliorare*. Quo loco tum facultas data eſt, ſignandi denarios pares Veronenſibus: tum arbitrium conceſſum, meliores majoreſque cudendi. Cur ergo, ſicut arbitrio, ita poteſtate ſibi facta uſi non fuerint Patriarchæ?

Argumentum ſuppeditant, quo res eadem evinci videtur, citatæ litteræ Zenobii de Giaceto Primus eas in lucem protulit Juſtus Fontaninus, poſtea Archiepiſcopus Ancyranus, in libello italice edito *Delle Maſnade*. Integras referro. „ Nobili Viro Johanni de „ Rabatta, honorabili Capitaneo Goritiæ „ Majori, & amico chariſſimo, Zanobius „ Monetarius de Giaceto de Florentia, Utini „ habitans, cum recommendatione. Noveritis, Reverendiſſimum Dominum D. Antonium (Cajetanum) Patriarcham Aquilegenſem modo noviter mutaſſe monetam: & „ ipſius monetæ regalia, debenda Magnificis „ Dominis Comitibus Goritianis Dominis veſtris, idem Dominus Patriarcha mittit præſentium per latorem de dicta moneta nova, „ modo noviter mutata: videlicet denarios „ novos ex dicta moneta, aſcendentes ad „ ſummam centum librarum ſolidorum, quæ „ debentur præfatis Dominis Comitibus pro „ eorum regalia, quando mutatur moneta. „ Quare vos precibus inſtantiſſimis, quibus „ poſſum rogo, quatenus velitis in Goritia, „ & in aliis locis præfatorum Dominorum Comitum exiſtentibus ad has partes, dictam „ monetam modo noviter mutatam facere pro „ clamare: videlicet, quod unuſquiſque habitator, & ſubditus dictorum locorum præfatorum Dominorum Comitum recipere „ dictam monetam debeat; videlicet ſingulum „ denarium pro quatuordecim parvulis, & „ ſolidum pro duodecim parvulis, ſub aliqua „ certa pœna exigenda a quolibet contrafaciente, ſecundum quod nobis videbitur. „ Datum Utini 14. Aprilis, indictione ſeptima. „ (anno *Chriſti* 1399) Ubi luculentiora adhiberi verba non potuiſſe videntur, quæ enunciarent, Monetam novam, ſeu nuper cuſam in officina Monetaria Aquilejenſi, tam denarios quatuordecim parvulorum complexam eſſe, quam ſolidos parvulis duodecim conſtantes.

Accedunt Tabulæ, quas Humaniſſimus Lirutus tradidit, *venditionis cujuſdam domus in Glemona, anno* 1386. *Indictione* 9. *die* 5. *Novembris*; in quibus ita pretium enunciatur: *pro pretio & foro Marchar. Sold. Furlanorum* XVI. *&* *Sold.* XX Solidorum marcas heic habes, ſolidoſque vocatos *Furlanos*. Cur ita? Plana & obvia ratio videtur, quod in Provincia Forijulii cuderet eos officina Monetaria Patriarcharum. Hinc *Furlani* dicti fuerint, ut a Patavinis diſtinguerentur, a Veronenſibus, aliarumque civitatum nummis, aut ſolidis.

III. Opinioni huic, quam argumentis haud leve monumentum præferentibus communivimus, graviſſimæ adverſantur difficultates. Plurimos quidem nummos argenteos, parvulos, & majores, a Volcheri Patriarchæ ætate ad finem uſque dominationis Patriarchalis, effoſſos ac inventos Muſæa eruditorum ſervant; quin in majoribus illis ullum deprehendi ſignum certum, ac ſtabile, cunctiſque obvium queat, quod denarios Aquilejenſes diſtinguat a ſolidis: habenturque illi omnes pro denariis. An ſolidos æque, ac denarios cuderit Monetaria Patriarcharum officina; iſtoſque contingat in dies detegi plures, nunquam illos?

In allatis Nicolai, & Ludovici Tabulis, quibus cudenda moneta indicitur, deque cudendæ ipſius Monetæ ratione pacta continentur, unus occurrit denarius major quatuordecim parvulorum: nullaque nummi, aut ſolidi mentio, qui *duodecim* conſtaret nummulis. Clariſſima verba ſunt: *quodque teneatur idem Dominus Patriarcha facere proclamari ad omnem requiſitionem dicti Franciſci* (Monetarii) *quod prædicti denarii recipiantur in quolibet foro & cambio per quemcumque, pro quatuordecim denariis parvulis quilibet*.

Novæ Monetæ ſub Raimundo Patriarcha fabricam memorat Julianus in Chronico Forojulienſi ad An. 1274 & ad An. 1277 memoratque cuſos denarios, quatuordecim & ſexdecim

Digitized by Google

decim nummulis constantes : de solidis, qui duodecim nummulos æquarent, ne verbulum quidem habet. Ad annum posteriorem sic ait : „ Die VII. intrante Martio, mutata est „ moneta, quæ habebat Patriarchæ (Raimundi) imaginem interius, & exterius „ turrim, quæ valuerat XIV. *Veronenses*, „ in monetam valentem, seu positam XVI. „ *Veronenses*, habentem interius imaginem „ Sanctæ Mariæ cum Filio, & exterius *Aquilegia*. Item eodem anno, die VII. intrante „ Aprili, fuit proclamatum ex parte Patriarchæ : quod ex tunc daretur tantum pro „ *quatuordecim Veronensibus* & illa nova, quæ „ tunc currebat, differens a priori in duabus „ Crucibus parvulis interius & exterius. „ Mirum, Chronistam data opera agentem de nova moneta, in officina Aquilejensi cusa, denarios memorare quatuordecim parvulorum, solidos præterire, si & ipsi in eadem Aquilejensi officina signarentur !

Præsto sunt aliæ Tabulæ, extremo dominationis Patriarchalis tempore confectæ, quæ rem eamdem confirmant. „ Innotescat unicuique personæ, qualiter cum hoc .... ad honorem & reverentiam omnipotentis Dei, & „ suæ gloriosæ Genetricis Mariæ, ac pro fructu & communi utilitate totius Patriæ Forijulii : illustris Princeps, & Reverendissimus „ Dominus noster D. Ludovicus Dux de Dech, „ & Sanctæ Sedis Aquilegensis dignissimus „ Patriarcha, novissime ordinaverit, & fieri „ fecerit monetam novam, videlicet *denarios* „ secundum antiquam consuetudinem antiquorum Dominorum Patriarcharum, & bonorum Pastorum & Rectorum dictæ Sanctæ „ Sedis Aquilegensis, necnon secundum anti „ quum stylum & ordinem usitatum in dicta „ Patria. Et nunc dicta Moneta fuit fazata, „ & approbata hodierna die per Magistrum „ ad id specialiter deputatum : quæ reputatur „ esse boni ponderis, & finæ ligæ argenti : „ ideo pro parte dicti Reverendissimi Domini „ nostri Domini Patriarchæ, ego Dominicus „ præco mando unicuique personæ, vicinæ, „ & forensi, ut debeat recipere & expendere de dicta moneta pro *denariis*, in ratione „ pro singulo *parvulorum quatuordecim*, per „ totam dictam patriam. Scientes, quod „ quicumque contra faciens huic proclamationi, pro singula vice qua contrafecerit, incurrat & cadat in pœnam 100. librarum „ *denariorum*, applicandarum Cameræ Patriarchali. Quæ pœna nullatenus remittetur eidem sic contra facienti. Dat. Utini, „ die Sabbati 26. Martii 1413. Indictione 6. „ Cusam signatamque *novam* Aquilejensem *monetam* habes : *videlicet denarios secundum antiquam consuetudinem*, minime solidos. Ejusdem monetæ valorem publice præco denunciat, jubetque recipi debere & expendi *denarios*, non solidos. Valor demum nummorum constituitur *in ratione parvulorum quatuordecim pro singulo*, nulla solidorum ingesta mentione, qui duodecim parvulos valerent. Hæc mihi ferme peremptoria videntur.

Quid ? quod in ea nummorum largitione, quæ pro munere quodam, cum nova moneta Aquilejensis cuderetur, fieri Comitibus de Goritia consueverat, nummos argenteos, qui solvebantur, *denarios* vocat Zenobius Monetarios, minime Solidos : „ Idem Dominus „ Patriarcha, inquiens, vobis mittit præsentium per latorem de dicta *Moneta nova*, „ modo noviter mutata, & fabricata : videlicet *denarios* novos ex dicta moneta, ascendentes ad summam centum librarum *Solidorum*, quæ debentur præfatis Dominis Comitibus pro eorum regalia, quando mutatur „ moneta. „ Ubi *de nova moneta*, *noviter mutata*, *& fabricata*, missos legimus *denarios novos ex dicta moneta*. Cur etiam novi *Solidi* missi non fuerint, si eos Monetaria Aquilejensis officina signasset ? Animadverte, *denarios* ex dicta *moneta nova* numeratos esse *ad summam centum librarum solidorum*. Nempe pro consueto munere *centum* solvebantur *libræ solidorum* : at nulla tamen erat *Solidorum* solutio, sed *denariorum* ; quot videlicet, ratiocinio instituto, pensatoque valore, centum libris solidorum æquivalebant. Cur ita ? Satis apertum puto, quia de nova moneta, quæ in Aquilejensi officina cusa fuerat, non alii argentei nummi erant, nisi denarii parvuli, ac majores parvulis quatuordecim constantes.

Cum ergo in eisdem litteris Monetarium denunciantem legis, ut Comites Goritiani eorumque subditi *dictam Monetam novam recipere debeant*, *videlicet singulum denarium pro quatuordecim parvulis*, *& solidum pro duodecim parvulis* ; denarios accipe pro ipsa Aquilejensi Moneta nova, solidosque pro nummis extraneis, quorum usus Goritiæ & in Comitatu communis erat, vel Tergestinis, vel Tirolensibus, vel aliarum Civitatum, & ipsius Goritiæ, (ibi namque cusos aliquando nummos, nummi qui servantur in Musæis patefaciunt :) factamque proinde a Monetario denunciationem sic intellige, ut novi illi denarii, utpote Aquilejenses, pro parvulis quatuor-

tuordecim ſinguli, quicumque illi ſint, recipi debeant; cæterique nummi uſu communi adhibiti in commerciis, utpote extranei, aliiſque in officinis Monetariis percuſſi, appellatique *ſolidi*, valore & pretio duodecim duntaxat parvulorum Veronenſium recipiantur. Ac ſane monetæ illius extraneæ argentei nummi, qui in Civitatibus Marcæ Veronenſis, aliiſque finitimis in locis cudebantur, plurimi effodiuntur in dies ex agro Forojulienſi, non minus ac denarii, quos Aquilejenſes appellamus. Tirolenſis nummi, itemque Goritiani typos in poſtrema Tabula impreſſos vide.

Neque facultatem urgeas a Conrado Imperatore factam, ſignandi denarios, tum monetæ Veronenſis denariis æquivalentes, tum etiam meliores, ipſi Patriarchæ ſi vellent. Facultate nempe ſibi facta uſi ſunt Cudi fecere tum denarios parvulos Veronenſibus pares; tum majores, non quidem æquiparatos ponderi ac valori ſolidorum Veronenſium, ſed meliores majoreſque, parte ſcilicet ſeptima, ad ſummam uſque quatuordecim parvulorum. Id juſſum, id permiſſum in diplomate Imperatoris: ac utrumque executioni demandatum a Patriarchis pro ſibi data poteſtate.

IV. Solidos opponis, in aliquibus Archivorum tabulis vocatos *Furlanos*: eoſque ita dictos intelligis, quod eoſdem, tametſi duodecim parvulos valentes, non alia cuderet Monetaria officina, niſi Aquilejenſis in Provincia Forijulii. Imo denarios ipſos Aquilejenſes quatuordecim parvulorum putaverim ego, dictos *Solidos Furlanos*: a cæteris nempe ſolidis diſtinctos, qui duodecim tantum parvulis conſtabant.

Interpretationem confirmari arbitror ſequentibus Tabulis, quas Fratrum Prædicatorum Forojulienſium Archivum ſervat. Altera eſt: „ Anno 1446 Indictione 9 die vero Lunæ „ 21. Menſis Novembris ... ſolvendo annua„ tim .. ipſi Monaſterio Sancti Dominici Sol„ dos Aquilegenſes decem. Altera: Anno „ 1470 Indictione 3 die 3 Menſis Maii .... „ Cui Eccleſiæ (Sancti Dominici) ſive Con„ ventui legavit perpetualiter annuatim ſol„ vendam .... Marcham unam Soldorum uſua„ lis monetæ. „ Quibus in locis *Soldos uſualis monetæ*, maximeque *ſoldos Aquilegenſes*, intelligi debere *denarios quatuordecim parvulorum*, dictos *Aquilejenſes*, nullus dubito: nondum enim ea tempeſtate, Monetæ Patriarcharum, tametſi Provincia Forijulii potiretur Veneta Majeſtas, antiquatus omnino uſus erat cum priſtino ſuo valore.

Neque mirum, denarios prædictos Aquilejenſes dictos aliquado *ſolidos*, maximeque cum addito *uſualis monetæ*, vel *Aquilejenſes*, vel *Furlanos*: cum & ipſi *ſolidi* non raro vocentur *denarii*. In ipſo Conradi Imperatoris diplomate, quo prærogativa Poponi Patriarchæ confertur, denarios cudendi pares, vel meliores *Veronenſis monetæ denariis*, intelligere denarios iſtos par eſt, tum numulos parvulos, tum majores, ideſt *ſolidos*, valentes duodecim parvulos. Peritiſſimus Joannes Brunatius in Opuſculo, *De re Nummaria Patavinorum*, Venetiis excuſo anno 1744 apud Jo. Baptiſtam Paſqualium, Capite V. chartam profert cum his verbis: „ M CC III. Indictio„ ne VI. die III intrante Novembri: Paduæ „ in Epiſcopali Camera .... promiſerunt ſol„ vere ... VI. libras *denariorum* Veneciarum: „ videlicet XL ſolidos ad forum Sanctæ Ju„ ſtinæ, & XL ad mercatum Sancti Proſdo„ ci ni, & XL ad forum Sancti Viti. „ Ubi qui primum appellantur *denarii*, deinde *ſolidi* vocantur. Aliæ Tabulæ proſtant in quibus hæc habentur: „ Anno Mill. C nona„ geſimo ſecundo Indictione X. die 11 in„ trante Octobre ..... reliquit (Speronella in „ ſuo teſtamento) libras quinquaginta *dena„ riorum* pro mille Miſſis cantandis: „ quo loco denarios accipit Brunatius pro ſolidis: docetque hac ætate, cantandæ Miſſæ ſtipendium *ſolidum* unum fuiſſe, duodecim parvulos valentem. Satis hæc vero, ut cuique lux affulgeat, qua prælucente veteres chartas, vetuſtoſque nummos in eis enunciatos recte valeat, vocis æquivocatione ſublata, intelligere.

CAPUT IV.

Frixachenſes nummi, & Frexachenſes, Frixachi, vel etiam Frixerii. Iidem omnino cum denariis Aquilejenſibus parvulorum quatuordecim. Cur eo nomine appellati.

I. NUmmos frequentius memorant vetuſtæ chartæ, in Tabulariis noſtris, publicis privatiſque, adſervatæ, dictos *Frixachenſes*, *Frexachenſes*, *Freſachenſes*, *Frixachos*, vel etiam *Frixerios*. Anno 1092. *tres Friſacenſes* occurrunt in Tabulis Capitularis Archivi Forojulienſis. Anno 1206 in Membrana Archivi Aquilejenſis, prædium venditur *pro pretio ſex Marcharum Frixacenſis Monetæ*. Anno 1354. *Indictione VII. die XXVI.*

Digitized by Google

XXVI. intrante Menſe Auguſto ..... Redditus quorum Manſorum idem Dominus Galvanus aſſeruit, aſcendere ad uſum Curiæ de redditu, Marchas VIII. demptis Frex. XX. Anno 1355. *VIII. Indictione, die XXV. intrantis Menſis Januarii, in Caſtro Miniaci ... ſolvit annuatim de fictu St. 2. frumenti, St. 2. Millei, ſpatulam 1. edum 1 gallinam 1. & Frex. XII. ..... Et ſolvunt annuatim de fictu Frex. cent. Aquilegenſis monetæ ..... Et in Miſſis pro omni Sacerdote in Offertorio unum Doplerium cum VII. Frex. dare & offerre* debeant. Anno 1370. *Die ſeptima Julii, ſub Domo Communis Miniaci .... Solvit 1. Star. frumenti, 1. Avenæ, 1. Millei, 2. quartas Siligenii, 2. quartas Panigii, Frex.* 20 Superiores tres chartas Illuſtriſſimo Comiti Nicolao Jacobo de Maniaco acceptas debeo. In Statutis vetuſtis laudati Frorojulienſis Capituli hæc habentur: *Trium Frixach. Frixachen. XX. & non ultra. Unam Marcham Frixach. Unius Marchæ Frixachorum.*

In Vita Beati Bertrandi Patriarchæ, qui anno 1350 vita functus ad cælites evolavit, apud Bollandi Continuatores ad diem VI. Junii, hæc legimus verba Capite V.... Votum emiſit, *ut ejus ſepulturam viſitaret, & ſuper ipſam Imaginem ceream ad formam hominis trium librarum, & valoris quadraginta Frixoriorum poneret, & offerret.* In Notis Bollandiani ſic habent. „ Quod genus monetæ, „ & cujus valoris fuerint Frixoria, ignorare „ ſe hodie fatentur Forojulienſes interrogati. „ Suſpicantur autem, nummum fuiſſe, Fri„ xorii ſeu ſartaginis formam referentem, vel „ impreſſam ſibi habentem. „ Nugæ ſunt. Nullus ego dubito, *Frixorios*, vel *Frixerios* perinde intelligi ac *Frixachenſes*, ac *Frixachos* debere: illudque animadverto, mihi nondum præſto fuiſſe chartas, in quibus *Frixorios* aut *Frixerios* legerem, cum plurimæ nummos præſtent *Frixachenſes*, *Frexachenſes*, & *Frixachos*. Hinc loco citato cum fortaſſe ſcriptum eſſet in Codice MS. *Frix.* minus periti librarii expreſſerint vocem *Frexoriorum*, pro *Frixachenſium* vel *Frixacorum*. Ut ut ſeſe res habeat, compertum exploratumque debet eſſe, memoratos eo loco *Frixorios* intelligi denarios Aquilejenſes debere.

II. Nummos hujuſmodi, *Frixachenſes* dictos, & *Frixachos*, pronuntiat Juſtus Fontaninus in citata Epiſtola *delle Maſſade* Nota 23 cuſos non fuiſſe ſignatoſque, ſed arbitrarios & ideales, certo quodam numero denariorum Aquilejenſium conſtantes, ea ratione excogitatos, ut minore ſumma expediri contractus poſſent, ac facilius ratiocinia inſtituerentur: quod in *Marcha*, & *Fortone* factum, inferius dicendum: ac inſuper demum a *Frixachenſibus* diſtingui putat Frixerios, veluti duo nummorum non ſignatorum genera.

Contra ſe rem habere, certum facit exploratumque laudatus Codex *Rationum Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini D. Ludovici Dei gratia Sedis Aquilegenſis dignisſimi Patriarchæ, qui nominatus eſt, Clarum me fac.* Poſitas in eo rationes ita legimus, ut *Frixachenſes* vel *Frixachi* pro iiſdem omnino Aquilejenſibus denariis quatuordecim parvulorum paſſim conſtantiſſime accipiantur. V. g.

„ Recepit pro ſolutio-
„ ne.... March. denr de-
„ cem & octo, *dnr* vi-
„ ginti, & ſoldos duos — Mr. XVIII. *Frix.* XX. ſold. 11.

„ Recepit... ſuper ſolu-
„ tione.... March. dnr.
„ Aquilegen. ducentum
„ quatuordecim, *dena-*
„ *rios* quadraginta quin-
„ que, piz. (pizzulos,
„ ſeu parvulos) X. — Mr. II.c XIIII. *Frix.* XLV. piz. X.

„ Recepit... March. de-
„ nariorum centum qua-
„ draginta, & *denarios*
„ quadraginta quinque,
„ piz. ſex. ---- ---- ---- — Mr. CXL. *Frix.* XLV. piz. VI.

„ Recepit .. March. dnr.
„ unam, & *dnr* octo — Mr. I. *Frix.* VIII.

„ Recepit... March. dnr.
„ unam, & *dnr* quin-
„ quaginta. ---- ---- ---- — Mr. I. *Frix.* L.

Et ſic deinceps paſſim: ubi qui *denarii*, vel *denarii Aquilejenſes* integra expreſſa voce appellantur, indicantur etiam compendiaria nota *Frix.* quæ *Frixachenſes*, aut *Frixachos* ſignificat.

Quid erit ergo formula illa, in vetuſtis chartis haud infrequens: v g. *Quadraginta Freſachenſes denariorum novorum Aquilejenſis monetæ*? Annon certus enunciari videatur numerus denariorum, qui in officina Aquilejenſi cudebantur, in uno vel pluribus Freſachenſibus contentus, veluti nummo arbitrario? Par eſſe videtur ratio, atque cum *Marcha una*, vel *decem*, vel *viginti*, vel *centum Marchæ* denariorum Aquilejenſium enunciantur: arbitrarius quippe nummus eſt Marca, quo

Digitized by Google

certus continetur denariorum numerus. Verum ineſſe nullam verbis allatis difficultatem, luculentiſſime evincunt poſita ratiocinia, quæ in laudato *Rationum* codice, *Frixachenſem* nummum repræſentant unum eumdemque, ac *denarium Aquileienſem* quatuordecim parvulorum. Una reſtat prædictæ formulæ, aut locutionis ratio, & origo quærenda.

III. Hæc vero facilius detegi ut poſſit, cur denarii noſtri Aquilejenſes inſigniti fuerint *Frixachenſium* aut *Frixachorum* nomine, in anteceſſum perquiramus oportet. Friſaci, vel Freiſaci, quæ Carinthiæ civitas eſt, remotiore jam ævo Monetaria officina extabat: ſignatique in ea nummi dicebantur *denarii Freſacenſes*. Apud Bernardum Pezium Tomo III. Theſauri Anecdotorum Parte III. documenta proſtant in Codice Diplomatico Admontenſi: primum *anni ab incarnatione Domini M. C. LXVIIII. Indictione II.* num. 9 cum his verbis: *VI. Marcharum Freſacenſium denariorum*; & alterum *Indictione V.* (anni 1232.) num. 58. ubi hæc habentur: *ut Abbas idem XXV. Marcas denariorum Friſacenſium Militi daret prædicto*; tertium *anni Incarnationis Domini M. C. XCI.* num. 114. in quo legimus: *unde ſibi quinquaginta denarii Frixacenſis monetæ annuatim ſolverentur*. Apud Ughellum in Italia Sacra. edit. Ven. in Vodalrico II. Patriarcha Aquilejenſi, charta recenſetur *anni M. C. LXXX. Indict. XIII.* quæ Bernardum de Treven Miniſterialem exhibet, ſolventem Moſacenſi Abbatiæ, nomine cenſus, *annuatim quinque denarios Frieſic.* (Frieſachenſes.) In Codicillo demum Diplomatum Bambergenſium apud Ludevvigum in Eccleſia Bambergenſi, Privilegium refertur num XX. quo Fridericus II. Imperator facultatem Henrico Bambergenſi Antiſtiti confert: *ut apud Villacum* (aliàm Carinthiæ civitatem) *novam Monetam cudi faciat, quæ Friſacenſi Monetæ æquipolleat*. Datum Diploma eſt *anno Dominicæ Incarnat. M. CC. XLII. Menſe Junio quintædecimæ Indictionis*.

De voce jam puto diremptam eſſe quæſtionem omnem: proque certo habendum, nomen denariorum, qui ſignabantur Friſaci, ad Aquilejenſes denarios translatum eſſe. Quænam enim vocis differentia fuerit inter *Friſacenſes* & *Freſacenſes* nummos, quos Friſaci cudebant Monetarii, ac inter *Frixachenſes*, *Freſachenſes*, *Frixacos* ita numcupatos denarios Aquilejenſes? Ac ſane *Friſacum*, & *Freiſacum*, civitatem Carinthiæ, vocatam barbara voce *Frixacum*, & *Frexacum*, & *Freſacum*, nullus dubito.

Cur vero nomine illo *Friſacenſium* denariorum, & ipſi Aquilejenſes nummi inſigniti? Vel quia denarii noſtri pares fuerint, valore, & pondere, illis nummis, qui *Friſaci* in Carinthia percutiebantur. Vel potius, quod ævo primo quiſpiam noſtrorum Patriarcharum denarios Aquilejenſes feriundos curaverit in officina Monetaria *Frixacenſi*. Jus ipſum cudendi Monetam Aquilejenſem a Gregorio Patriarcha translatum fuiſſe in quoſdam Venetos Cives, diſcimus ex Tabulis, quas Capite primo num. II. recenſuimus. Quidni ſimile quidpiam, nondum fortaſſe Aquilejæ, vel alio in loco Provinciæ Forojulienſis officina Monetaria inſtructa, Bertholdus, aut Volcherus, aut Præceſſores Patriarchæ egerint? Hinc porro factum, ut denarii, ad uſum quidem Aquilejenſium ſignati, ſed tamen in *Friſacenſi* officina Monetaria cuſi, *Frixachenſes* dicti fuerint, & *Frixachi*, & *Freſachenſes*. Quo rem magis animo verſo, eo proclivius feror, ut rem ita accidiſſe credam.

Poſita rurſum in calce numeri II. difficultas evaneſcit, quæ ex illa formula deſumitur, v. gr. *Quadraginta Frexachenſes denariorum novorum Aquilegenſis monetæ*. Intellige nummos *Freſachenſes* generatim pro denariis, ſive qui *Friſaci* pro Friſacenſibus populis cudebantur, ſive qui Aquilejenſes erant, Aquilejæ vel alibi percuſſi: cætera verba, *denariorum Aquilegenſis monetæ*, veluti differentiam accipe, qua nomen illud generale definitur, ac circumſcribitur: ac perinde demum fuerit, enunciare *quadraginta denarios novos Aquilejenſes*, atque *quadraginta Freſachenſes denariorum novorum Aquilegenſis monetæ*.

CAPUT V.

Denariorum Aquilejenſium communis valor, itemque ſolidorum in Provincia. Extraordinarius aliquando, & excedens. Communis comparatus cum hodiernæ Monetæ Venetæ ſolidis. Idemque cum mercium quantitate, quæ vendebantur & emebantur.

I. COmmunem denariorum Aquilejenſium valorem conſtanti pretio *quatuordecim parvulorum Veronenſium* æſtimari conſueviſſe, jam ſæpe diximus: Solidoſque valuiſſe, haud unquam invecta mutatione, *duodecim* eoſdem *Veronenſes parvulos*: adeoque denariorum exceſſum præ ſolidis parte ſepti-

Digitized by Google

ſeptima computari. Documentis indubiis diligentius res eſt demonſtranda.

Charta *anni 1276.* prolata eſt Capite II. num. II. ex Archivo Capituli Forojulienſis, ubi hæc habentur: *quingentos & octoginta tres Fortones, viginti unum denarios, & octo Veronenſes; ad monetam Aquilegiæ computato denario Aquilegenſi pro quatuordecim Veronenſibus.* Repeto Juliani verba in Chronico Forojulienſi ad Ann. M. CC. LXXVII. „ Die „ VII. intrante Martio mutata eſt moneta, „ quæ habebat Patriarchæ imaginem interius, „ & turrim exterius, quæ valuerat *XIV. Ve-* „ *ronenſes*, in monetam valentem ſeu poſitam „ XVI. Veronenſes, habentem interius imagi- „ nem Sanctæ Mariæ cum Filio, & exterius „ *Aquilegia*. Item eodem anno die VII. in- „ trante Aprili, fuit proclamatum ex parte „ Patriarchæ: quod ex tunc daretur tantum „ *pro XIV. Veronenſibus* & illa nova, quæ „ tunc currebat differens a priori in duabus „ Crucibus parvulis, interius, & exte- „ rius. „

Anno 1356. confectas habes Nicolai Patriarchæ Tabulas Capite I. deſcriptas, quæ ſic habent: „ Teneatur idem Dominus Pa- „ triarcha facere proclamari ad omnem re- „ quiſitionem dicti Franciſci (Monetarii:) „ quod prædicti denarii (tunc cuſi) reci- „ piantur in quolibet foro & cambio per „ quemcunque, *pro quatuordecim denariis* „ *parvulis* quilibet. „ Eadem habentur verba in Tabulis Ludovici Turriani ſucceſſoris, datis *anno Nativitatis M. CCC. LIX. indictione XII. die XIX. Menſis Octobris*. Zenobius Monetarius in Epiſtola anno 1399. data ad Joannem de Rabatta, admonet ipſum, ut præconis denunciatione indicat: *quod unuſquiſque habitator & ſubditus* (Goritienſis) *recipere dictam monetam valeat; videlicet ſingulum denarium pro quatuordecim parvulis, & ſolidum pro duodecim parvulis*. Sub Ludovico Techio anno 1413. *unicuique perſonæ, vicinæ, & forenſi*, Præco denuntiat, *ut debeat recipere, & expendere de dicta moneta, pro denariis in ratione pro ſingulo parvulorum quatuordecim*. Plura dabimus infra, de Marca nummo arbitrario pertractaturi.

II. Cuſos attamen aliquando denarios Aquilejenſes majoris valoris, verba Juliani Chroniſtæ ſuperius allata evincunt: *Mutata eſt*, inquientis, *moneta, quæ habebat Patriarchæ imaginem interius, & turrim exterius, quæ valuerat XIV. Veronenſes, in monetam valentem ſeu poſitam XVI. Veronenſes*. Refert Jacobus Valvaſonus de Maniaco in Hiſtoria MS. Patriarcharum Aquilejenſium: Monetam juſſu Bertrandi ſignatam fuiſſe, cujus valor pretium *quatuor denariorum* communium æquaret. Typum nummi deſcribit, parte ex una inſigniti *imagine Sancti Hermagoræ*; atque *Cruce*, & nomine *Deus* ex altera.

Hunc ſervant Muſæa nummum. Pars altera Crucem exhibet, intra cujus latera DEUS, cum epigraphe *Bertrandus Patha*: viſitur in altera Sancti Pontificis effigies, qui manum dexteram elevatam habet, ſiniſtra tenet crucem, cum verbis in circuitu, *S.* (ſic) *Hmachor*, Vide Tab. 3. num. 1. Pondere examinato, æquipollere nummus deprehenditur duobus denariis, & dimidio. Nummus etiam ejuſdem Bertrandi habetur, duplo major cæteris: cujus antica præfert Deiparæ imaginem, puerum Jeſum ulnis geſtantem, cum epigraphe, *Virgo Maria* (ſic) *Avocata Mundi*: poſtica vero Aquilam exhibet cum litteris, *Bertrandus P. Aquilegenſis*. Eamdem conſule Tabulam 3. num. 2.

Veruſtæ demum ſeculi quartidecimi chartæ occurrunt, in quibus enunciantur denarii *de viginti* parvulis: quos attamen Aquilejenſem fuiſſe monetam, non ita facile dixerim. Sed hæc ſatis de nummis, quos raro cudebant juſſu Principis Aquilejenſes Monetarii, communem denariorum valorem excedentibus.

III. Communis Aquilejenſis denarii valorem expendere jam liceat, ad exteros nummos, eorumque æſtimationem comparatum. Fontaninus in Epiſtola laudata *delle Maſnade* Nota 23. arbitratur Aquilejenſes *argenteos denarios æſtimari ſingulos poſſe ſex ſolidis Venetis hodiernis*. Hanc ergo animadverto conjectationem Aquilejenſibus cujuſque ætatis denariis adaptandam non eſſe, cum non fuerit una, ſive materiæ conditionem ſpectes, ſive pondus conſideres, ſed varia ipſorum ratio. Nummi quippe ſub Volchero, Bertholdo, Gregorio, Raimundo, Petro, Ottobono ponderoſiores erant, purioreque argento conflati: ab his decidunt, pondere, & nota, qui ſub Nicolao, Ludovico, & Marquardo ſignati fuerunt: minuſque ponderantes, redactique ad impuriſſimum gradum deprehenduntur, quos cudi poſtremi Patriarchæ curarunt; qua de re latius infra.

Denariorum comparationem cum Ducatis, & Florenis aureis frequentius exhibet citatus Codex *Rationum* Ludovici Patriarchæ, anno 1360. & inſequente ſcriptus. V. g. *Recepit.... Ducatos quinquaginta quatuor in ratione*

Digitized by Google

LXIIII. denariorum pro quolibet : vel *Florenos viginti unum in ratione LXIII. denariorum pro quolibet* : vel *Ducatos quadringentos in ratione denariorum ſexaginta trium, & parvorum decem pro quolibet Ducato*. Ducatum intellige nummum aureum Venetum, vulgo *Zecchino*. Hujuſce valor hodiernus in communi foro æſtimatur libris viginti duabus, ſeu ſolidis 440. Hanc ſummam divide per 64. (quot nempe Aquilejenſes denarii æquabant aurei nummi valorem :) quotus erit 6. reſiduus 56. Solidos iſtos reſiduos 56 duc in duodecim parvos nummulos, vulgo *Bagattini* : productum habes 672 Hanc divide ſummam per 64 In quoto erunt nummi parvi 10. & ſuperſunt 32. Itaque Aquilejenſis denarius, ætate Nicolai & Ludovici Patriarcharum cuſus, excedit valore ſex Venetos hodiernos ſolidos, ac ſeptem non exæquat

Hinc ſolidorum hujuſmodi numerus augendus eſt, ad æquandum valorem Aquilejenſis denarii ætate ſuperiore ſignati ob meliorem tum ponderis tum notæ conditionem : idque oppoſita ratio efficit, ut ſequioris ac poſtremæ ætatis denarius pauciores valeret ſolidos hodiernos. Ab laudato Jo. Joſepho Liruto, Forojulienſium antiquitatum peritiſſimo, accepimus : chartas in Archivis a ſe viſas, quæ docent, Ducatum aureum Venetum anno 1380. computari conſueviſſe pro 70 denariis Aquilejenſibus, ſeculi quintidecimi initio pro denariis octoginta, & anno 1414 pro denariis ferme nonaginta. Res ita habere ſe debuit in hiſce Aquilejenſibus denariis, qui & ponderе, & materiæ conditione in dies evadebant pejores.

Venetiis prodiit laudata Epiſtola *delle Maſnade* anno 1698. apud Hieronymum Albrizium : quo tempore nummus aureus Venetus, vulgo *Zecchino*, in foro pendebat libras decem & ſeptem ſolidorum, ſeu ſolidos 340. Hinc inſtituto (ut ſuperius) ratiocinio, innoteſcit, ſingulos denarios Aquilejenſes pares valore fuiſſe ſolidis quinque Venetis, & tribus parvulis : quorum reſidui ſunt octo & quadraginta, in 64 denarios diſtribuendi. Quæ tamen ratiocinia recte ut ſe habeant, pro dato ſumi debet, Venetum hodiernum nummum aureum ejuſdem eſſe notæ & gradus, ac illi erant, quorum valorem ætate Ludovici Patriarchæ æquabant 64. denarii Aquilejenſes.

Facta rurſum comparatio ad hodiernos duntaxat pertinet ſolidos Venetos : æreos videlicet, duodecim parvulis, vulgo *bagattini*, ſingulos conſtantes ; tametſi a foro & uſu rejecti dudum prædicti parvuli ſint, & exulent. Cæterum argenteos olim Veneta monetaria officina ſignabat denarios, aut ſolidos : in eaque prima vice anno 1285. cuſus aureus Ducatus, vulgo *Zecchino*, viſus eſt. Hujuſce valorem multiplicem ac varium, relate ad ſolidos, ac ſolidorum libras, pro notæ, ponderis, & valoris eorundem decremento, ſcheda ſequens exhibet.

Anno 1285.	----	----	L. 3. 2.
1351.	----	----	L. 3 4.
1353.	----	----	L. 3 6.
1356.	----	----	L 3. 8.
1359.	----	----	L. 3 10.
1365.	----	----	L. 3. 12.
1370	----	----	L 3 14.
1377.	----	----	L. 3 16.
1378.	----	----	L 3. 18.
1379.	----	----	L 4.
1380.	----	----	L 4. 2.
1382.	----	----	L. 4. 4.
1399.	----	----	L. 4. 13.
1412.	----	----	L 4. 14. 8.
1417.	----	----	L. 5.
1418.	----	----	L. 5. 1.
1429.	----	----	L. 5 4.
1441.	----	----	L. 5. 13.
1442.	----	----	L. 5. 14.
1453.	----	----	L. 6 4.
1514.	----	----	L. 6. 10.

Quæ nota, varium ſequioris etiam temporis ad noſtram uſque ætatem valorem nummi aurei Veneti exhibens, typis edita proſtat in calce Partis I. Chronici Veronenſis a Petro Zagata concinnati, lucemque in publicam editi a Joanne Baptiſta Blancolino Veronæ typis Dionyſii Ramanzini anno MDCCXLV.

IV. Non abs re denum fuerit exempla nonnulla afferre, quæ denariorum Aquilejenſium valorem patefaciant in mercibus vendendis, emendiſque. Agri olim, ædes, grana, veſtes, ac cætera venum expoſita, paucorum ſolidorum, paucarumque pretio librarum dabantur : nunc pluribus aut ſolidis, aut libris opus eſt. Cauſæ plures adduci ſolent : ac primo ipſa denariorum conditio, qui, ſive pondus ſive notam ſpectemus, deteriores ex officinis monetariis prodiere. Adde immanem auri argentique vim advectam in Europam, ex quo tempore detectæ ſunt Indiæ Occidentales : inde namque factum, ut paſſim vili pendi pretio pretioſa illa metalla cœperint.

Sed

Digitized by Google

Sed neque præteriri debet invecti luxus ratio, ſive qui ad victum ſpectat, ſive qui ad veſtitum, aliaſque hominum aut neceſſitates, aut voluptates. Aliæ demum ſunt cauſæ, quæ repeti ex variis rerum temporumque circumſtantiis poſſunt: neque diligentius eas expendere, noſtra inter negotia eſt.

Cariora quædam profero pretia, quibus grana ſeculo tertiodecimo emebantur in Provincia Forojulienſi: eademque comparet lector cum pretiis hodiernis. Julianus Chroniſta hæc habet. „ *De Cariſtia*. Anno Domini M. CC. „ LXXVI. in Novembri vendebatur St. Fr. „ XXX. den. & etiam plus. Millium XXII. „ denar. Surcum XIV. & etiam XVI. den. & „ tantum Siligo, & plus. Surcum XXIIII. „ & XXVIII. den. Item aſcendit Fr. ad L. „ den. Millium ad XL. Surcum etiam ad „ XXXVII. & plus. In principio Martii, „ die Sabbati ſexto intrante Martio, finaliter „ poſitum fuit Fr. pro XL den. & Siligo & „ Faba pro XXXVI. Millium pro XXVIII. „ Surcum pro XXIIII. den. in manu ſol„ vendo. „

Duas demum addo chartas: alteram anni 1382. *Star. Frum. 2. in ratione den. 58. pro Stario: & Starios Siglæ 2. in ratione den. 46. pro Stario*. Alteram anni 1389. *In ratione ſolidorum 73. pro quolibet congio* vini *ad menſuram clari*. Hæc protuliſſe ſatis, quæ præ manibus erant.

CAPUT VI.

Marca, nummus arbitrarius. Alia denariorum Aquilejenſium, alia ſolidorum: ac utriuque centum & ſexaginta nummis conflata. Præter hanc communem Marcam, alia ad uſum Curiæ dicebatur: cujus valor inquiritur.

I. HActenus de nummis, quos Monetaria Patriarcharum officina cudebat. Marca ſequitur nummus arbitrarius, certo denariorum aut ſolidorum numero conſtans: ea ratione excogitatus, ut minore ſumma enunciarentur pretia rerum, ac facilius ratiocinia inſtituerentur. Plena ſunt chartis Tabularia, quæ Marcas exhibent tum denariorum Aquilejenſium, tum ſolidorum.

Valorem in Aquilejenſi Provincia communem definire, operæ pretium eſt: nec enim ubique idem Marcæ valor. Ducangium conſule in Gloſſario, ubi Marcæ occurrunt, quas longe ab Aquilejenſibus diſcrepantes novimus. Marcæ cujuſdam mentio eſt in Diplomate C. XVII. codicis Diplomatici Admontenſis, apud Bernardum Pezium Tomo III. Anecdotorum Parte III. per hæc verba: Godferidus, ejuſdem Cœnobii Admontenſis Abbas in Stiria, *ſolinas* quaſdam *ea conditione* largitur *D. Meynardo & Heinrico de Pulndorff, ut debeant nobis perſolvere Marcam CXXX. denariorum*. Marcam heic habes, centum triginta (niſi prælum erret) denariis (Friſacenſibus, ut puto,) compoſitam.

II. At denariis 160. conſtabat communis Aquilejenſis, quæ dicebatur, *Marca denariorum*: totidemque ſolidis, *Marca ſolidorum*. Exploratam, compertamque rem faciunt vetuſtæ chartæ, quas ex Archivo Hoſpitalis Glemonenſis erutas, ab Humaniſſimo Jo. Joſepho Liruto accepimus. „ Anno Domini „ MCCCXXVII. Indictione decima, die „ XXI. Aprilis: præſentibus Presbytero Jacobo ol. Choculi, Simunino ol Biachini, „ Pidruſio genero ol. Stephani Ventroni de „ Glemona, Domino Franciſco Domini Mat„ thiæ, Daniele ol. Penchari de Glem Multo„ bello filio Stephani de Artenea, & aliis te„ ſtibus .... Cum Michella uxor Phevi de „ Florentia dare, & ſolvere teneretur an„ nuatim in Nativitate Domini Hoſpitali San„ cti Spiritus de Glemona *XL. denar. Aquil* „ pro quadam Vinea, quæ olim fuit Purziti„ ni .... Dominus Adalgerius Prior dicti „ Hoſpitalis per ſe .... contentus fuit habere „ a dicta Michella *dimidiam Marcham* dena„ riorum Aquilejenſium pro *duobus cenſibus*, „ pro duobus annis tunc ſequentibus. „ Cenſus annuus quadraginta denariorum bis ſolutus, ſeu octoginta denarii, ſub nomine enunciantur *dimidiæ Marchæ*: adeoque Marca integra conflabatur denariis 160.

„ Anno Domini MCCCLXXXII Indictione „ V. die VIII. Martii. Actum Glemonæ in „ ſtatione mei Notarii: præſentibus Fratre „ Nicoluſſio de Maniacho Priore Hoſpitalis „ Sancti Spiritus de Collibus Glemonæ, Ni„ chuluto q. Petri de Camuzacho, & al.... „ Ibique Simon q. Ser Franciſci de Buya fuit „ contentus, & confeſſus habuiſſe, & inte„ gre recepiſſe a Simone q. Nichuluti Viduli „ de Buya, ſtarios Frum. II. in ratione dena„ riorum LVIII. pro ſtario: & ſtarios Siglæ „ II. in ratione denariorum XLVI. pro ſtario: „ quod aſcendit ad ſummam *Marcharum de„ nariorum unius*, & *denariorum XLVIII.* „ Denarii bis 58. & bis 46. ſummam conflant de-

Digitized by Google

denariorum 208. quibus Marca una conficitur denariorum 160. & reſidui ſunt denarii 48.

„ Anno Domini MCCCLXXXVIII Indictio-
„ ne XII. die XXI. Menſis Decembris. Actum
„ Glemonæ ante Canipam Nicoluti Thomaſiæ:
„ præſentibus Blanco Benvenuto dicto d'Avra-
„ va, Franciſco q. Nichuli Zimulini, omni-
„ bus de Glemona .... Ibique Chriſtianus,
„ gener Zernerch, & filius q. Gropilli de
„ Orviſtano, habitator Sillize; & ſuis pre-
„ cibus Johannes q. Nicolai della Porta, &
„ Sfletiz q. Zernech de Silliza, ex cauſa pre-
„ tii unius vaſis vini terrani, exſtimati *Con-*
„ *giis VI.* ad menſuram Clari .... principali-
„ ter & in ſolidum ſe obligantes, dare & ſol-
„ vere promiſerunt Franciſco dicto Pizignino
„ q. Petri Luzie de Glemona, *March. ſold.*
„ *par. III. demptis ſoldis XII.* uſque ad pro-
„ ximum feſtum Carniſprivii: & hoc in ratio-
„ ne ſol. LXXVIII. pro quolibet congio. „

Duc vero 78 in ſex: productum habes 468. Porro ſolidi 468. conficiunt duas Marcas, ſolidorum 160. ſingulas: ac ſuperſunt ſolidi 148. quibus ſi addas 12. integræ tres conſurgent Marcæ.

His addo chartam anni 1365. in Archivo Capituli Canonicorum Forojulienſium adſervatam, cum his verbis: *Item mediam Marcham pro cenſibus retentis in quatuor annis proxime elapſis, videlicet 20. denarios in anno.* Quater viginti ſunt denarii octoginta, queis dimidium Marcæ conflatur.

Argumenta ejuſdem rei ſuppeditat plura ſæpe laudatus Codex *Rationum* Ludovici Patriarchæ. Pauca profero ſupputationum exempla. V. g. *Recepit .... libras Veronenſium ducentas, quæ capiunt in Monetæ Aquilegenſis denariis, Marchas XXI. Frix. LXVIII. piz. VIII.* Ducentæ Veronenſium libræ, facta multiplicatione 200. librarum in 20. ſolidos, (quot nempe continet libra,) capiunt ſolidos 4000. Duc modo 4000 in 12. nempe parvulos Veronenſes, (quot ſcilicet parvulis conſtat ſolidus:) productus erit 48000 Hanc ſummam divide per 14. (nam parvulos 14. complectitur denarius Aquilejenſis:) quotum habes 3428. denariorum: & parvuli 8. ſuperſunt. Divide per 160. (quo denariorum numero definiri Marcam dicimus:) & quotus erit Marcarum 21. cum reſiduo denariorum 68. & parvulorum octo. Item, *Recepit florenos vigintiunum in ratione LXIII. denariorum pro quolibet, qui capiunt Marchas VIII. Frix. XLIII.* Ducas vero 21. in 63. & habebis productum 1323. Hanc ſummam dividas per 160. quotuſque erit 8. cum reſiduo 43.

Ad ſolidorum Marcham ſequens attinet ratiocinium: *Recepit .... Marchas ſolidorum triginta: capiunt Marchas XXV. $\frac{1}{2}$. denar. XXXIV. piz. IV.* Duc 30. in 160. (quot ſcilicet ſolidos in Marca ſolidorum contineri ponimus:) productus erit 4800. Duc etiam 12. (conſtat quippe ſolidus parvulis duodecim) in 4800. & habebis productum 57600. Hanc ſummam divide per 14. ut denarii Aquilejenſes fiant: quotus erit 4114. & reſiduum 4. quotum divide per 160 & in novo quoto habebis Marcas 25. denarios 114. qui conficiunt mediam Marcam, cum reſiduo denariorum 34.

Hæc latiore calamo declarare, & patefacere licuit: utpote quæ mirifice confirment, quæ ſuperioribus capitibus tradidimus omnia. Patet namque, cuſos ſignatoſque nummos Aquilejenſes appellatos fuiſſe *denarios*: alioſque communi in uſu commutationum fuiſſe, qui *ſolidi* vocabantur. Denarios, communi & coſtanti valore, *parvulis quatuordecim* æſtimatos: *duodecim* tantum valuiſſe ſolidos: atque parvulos iſtos, ſive qui componerent ſolidum, ſive qui denarium, dictos eſſe *Veronenſes*. Monetam denique exteram indicari *ſolidos* ea loquendi ratione, quæ frequentius adhibetur: v. gr. *Libras Veronenſium ducentas, quæ capiunt in Monetæ Aquilegenſis denariis &c.* quo etiam modo ratiocinia Ducatorum, extere ſine dubio monetæ, ſupputata leginus: *Ducatos quadringentos, in ratione denariorum ſexaginta trium, & parvorum decem pro quolibet Ducato: capiunt Marchas 159. Frix. 45. piz. 10.*

III. Præter hanc denariorum, ſolidorumque Marcam, quæ uſu communi in negotiis & ratiociniis adhibebatur, alia diſtingui Marca conſueverat ad *uſum Curiæ*. Hujuſce valorem, magnum quidem, ingentemque, indicat conventio ſequens, quam exhibent Tabulæ *anno M. CCC. LXVIII. Indictione V. die Sabbati III. Menſis Julii confectæ Utini in Capella S. Petri prope Majorem Eccleſiam S. Mariæ de Utino.* „ Item quod prædicti,
„ Frater Meus, & Fratres teneantur & de-
„ beant, nomine cenſus, ſingulis annis da-
„ re, & conſignare fructus ſeu redditus
„ *unius Marcæ reddituum ad uſum Curiæ*,
„ ſupradictis Decano, Canonicis, & Capi-
„ tulo in Feſto Nativitatis Domini noſtri Jeſu
„ Chriſti, vel ante. Videlicet Frumenti ſtaria ſex, Avenæ ſtaria ſex, Millii ſtaria

„ſex,

„ ſex ; Vini congia quatuor , denarios vigin-
„ tiquatuor , Gallinas quatuor cum ovis , &
„ Surgi ſtarium unum . „ Expende , quot granorum , & vini menſuræ requirebantur , ac inſuper denarii , & alia ad æquandum valorem *Marcæ ad uſum Curiæ* .

Lux affulget ſplendidior ex Codice MS. Belloni , in quo hæc habentur : *Nota quod ex qualibet Marca de redditu ad uſum Curiæ , communi æſtimatione percipiuntur quinque Marchæ denariorum* . Ita ſcil. jam pridem adnotaſſe *Odoricum & Joannem Suſannios* , Patriarcharum Ludovici & Marquardi Cancellarios , admonet Bellonus . Quinque Marcæ continent denarios 800. Divide per 63. (quot nempe denarii , Nicolai & Ludovici Patriarcharum ætate , ſupputabantur pro quolibet aureo Ducato Veneto , vulgo *Zecchino* :) quotus eſt 12. ac ſuperſunt 44. Itaque Marca *ad uſum Curiæ* excedebat duodecim Aureos Ducatos .

Rem confirmant Tabulæ ſequentes , quas debeo Jo. Joſepho Liruto . „ Anno Domini „ MCCCLXXXXIV. Indictione II. die Sabbati XIX. Menſis Decembris . Actum in „ Civitate Auſtriæ *Aquilegen.* Dioceſis , ſuper „ Domo Communis in Stupa , in qua dictæ „ Terræ Civitatis Auſtriæ ſolet Conſilium „ congregari . Præſentibus ec. Quod pro „ recompenſa dicti cenſus de cætero annuatim , prima die Menſis Aprilis , *XXV.* „ *Ducat. Auri* dicto Plebano Eccleſiæ S. Mariæ de Glemona , ejuſque Succeſſoribus , „ vel eorum Locumtenenti in dicta Plebe , „ perpetuo ſolvere teneantur . Ita tamen , „ quod quandocumque inter dictam primam „ diem Aprilis , & Feſtum Aſſumptionis B. „ M. Virginis , Plebanus Eccleſiæ S. Andreæ , vel Succeſſores ſui , ſeu Communitas Ventioni dederint , & configuaverint „ eidem Plebano Glemonæ , vel Succeſſoribus ſuis , *duas March. de redditu ad uſum* „ *Curiæ* .... præfatus Plebanus Eccleſiæ S. „ Andreæ , ſucceſſoreſque ſui , ab onere præ- „ dicto ſolvendi dictos *XXV. Ducatos auri* , „ ut dictum eſt , ex tunc in antea perpetuo „ remaneant & ſint abſoluti , & liberati . „ Perſpicue patet , duarum Marcarum Aquilejenſium valorem ita fuiſſe ea tempeſtate æſtimatum , ut æquivaleret Venetis Ducatis auri vigintiquinque : ſingulæ videlicet Marcæ duodecim Ducatis cum dimidio .

Ex his , quæ compertiſſima ſunt , corrigendum ſphalma venit , quod in verbis quibuſdam Antonii Belloni cubat in Aloyſio Scarampo Mediarota Patriarcha , apud Muratorium in collectione Scriptorum Italiæ . Verba ſunt : „ Scriptum reperio apud Benvenutum „ Meſſetinum , Patriarcham Aquilejenſem , „ ultra Canipas & decimas Muglæ , duode- „ cim Millia Marcharum ad uſum Curiæ in „ annuo cenſu habuiſſe : quarum quælibet „ Marcha quinque denarios valebat , authore „ Johanne Suſannio . „ Corrige , ac lege : *Quarum quælibet Marcha* (ſcilicet ad uſum Curiæ) *Marchas quinque* (communes) *denariorum valebat* .

CAPUT VII.

Ferto , ſive Forto , nummus itidem arbitrarius , & quarta pars Marcæ . Libra denariorum , & libra ſolidorum . Marcæ hodiernæ valor .

I. MArca , nummus arbitrarius , in partes quatuor dividebatur , ſeu quatuor nummos pariter arbitrarios , qui *Fertones* , & *Fortones dicebantur* . In Codice *Rationum* Ludovici Turriani Patriarchæ , frequentius ratiocinia legimus ita ſubducta : v. g. *Recepit Marchas denariorum duas , Fortones tres , & denarium unum* . Enunciari *Fertones* utplurimum ſolent , cum denariorum numerus , aut ſolidorum , minor eſt ipſius Marcæ valore & quantitate : verum & aliquando *Fertonum* numerus Marcam ſuperat , & Marcas plures . In Membranis Forojulienſis Archivi hæc legimus : Anno 1276. *Quingentos & octoginta tres Fertones , viginti unum denarios , & octo Veronenſes* . Anno 1297. *Septem Marchas , tres Fertones , & ſex denarios Aquilegenſis monetæ* . Anno 1324. *Fortones denariorum noverum Aquilegen. monetæ* . Anno 1362. *Fertonibus tribus denariorum Aquilegenſium* .

Vox eadem occurrit in *Sebeda* Joannis Cabroſpini , *indicante* , *quænam tunc* (anno 1356.) *foret variorum nummorum æſtimatio* , apud Doctiſſimum Muratorium de Antiquitatibus Italicis medii ævi Diſſertat. XXVIII. Tomo II pag. 783. Nempe : *Item in qualibet Marcha ſunt IV. Fertones* : agitque eo loco *de Marcha groſſorum argenti Bohemiæ , quæ valet communiter 48. groſſos Pragenſes , vel 24. Scotos : & groſſus Pragenſis 16. denarios* . Marcæ multiplicis varietatem animadverte . Quæ Ducangius habet in Gloſſario Mediæ & infimæ latinitatis , hoc loco ſubji-

Digitized by Google

cio . „ *Ferto* , *Fertum* , (*Fortho* , *Firto* ,) „ voces ejuſdem ac unius notionis , ſed & „ ejuſdem originis ac *Ferthing* (vox Saxonica:) „ quarta pars Marcæ . „ Pro varietate Marcæ , plures paucioreſque ſolidos , aut denarios complectebatur *Ferto* . Laudatum conſule Ducangium . Ferto noſter Aquilejenſis denariis quadraginta conſtabat , totidemque ſolidis , pro diverſa Marcæ denariorum & ſolidorum ratione .

II. Libra ſequitur , in commerciis & ratiociniis frequentiſſima . Duplicem Aquilejenſes diſtinguebant : denariorum viginti alteram , & alteram ſolidorum viginti . Effertur utraque diverſimode in vetuſtis chartis . Anno 1292. *Libras denariorum* . 1293. *Centum librarum Veronenſium parvulorum* . 1306. *Libras denariorum Aquilejenſis monetæ* . 1392. *Trecentas libras monetæ parvæ , & ducentas libras novorum parvorum* . 1441. *Libras ſoldorum* . 1455. *Libras viginti ſolidorum* . In Codice *Rationum* Ludovici a Turre Patriarchæ : *Libras Veronenſium ducentas* . *Libras Veronenſium quadringentas* : *Pretio mille librarum Veronenſium* : *Libras parvorum* 149. *& ſoldos ſex* .

Libra , quæ dicitur *denariorum* , conſtabat omni procul dubio viginti Aquilejenſibus denariis , quorum ſinguli *quatuordecim parvulos* ſeu *Veronenſes* valebant : totidemque ſolidos , *duodecim parvulis* ſeu *Veronenſibus* conſtantes , continebat libra , quæ dicitur *ſolidorum* . An vero libram *monetæ parvæ* , ſeu *parvorum* , ſeu *Veronenſium* , conficerent nummi *parvuli* duntaxat , iidemque viginti ? Minime . Ita namque diverſimode exprimebatur libra , propterea quod inter contrahentes iniri conventiones conſueverat , ut ſolutiones fierent , vel numeratis denariis ſolidiſque , vel numeratis etiam parvulis . Quo pariter ſenſu intelligitur libra *denariorum novorum* , & *novorum parvorum* : quod novis nempe numeratis denariis , aut novis parvulis nummis merces emebantur , aut alia conſtituebantur contractuum genera . Rem patefaciunt verba , quæ profero ex Tabulis Nicolai & Ludovici Patriarcharum , Capite I. allatis : *Et in qualibet ſolutione cujuslibet mercationis* , vel *debiti , teneatur quilibet recipere uſque ad ſummam decem ſolidorum parvorum* , ſeu centum & viginti eorundem parvorum . Hæc nempe Principis juſſio , communis omnibus : alia etiam pacta inter ſe conſtituebat contrahentes . Quod ajo demum , ſequens ac ſimilia plura confirmant ratiocinia : *Libras parvorum* 149. *& ſoldos* 6. ubi ſolidi , qui in fractione enunciantur , ſatis indicant integras libras ex ſolidis confectas , qui duodecim parvulos valebant .

III. Ad libræ valorem redigere ſi velimus Marcam , ſive quæ denariis Aquilejenſibus conficiebatur , ſive quæ ſolidis : utraque , cum nummis 160. conſtaret , libras octo continebat : libras nempe denariorum illa , ſolidorum iſta . Attamen continuatores Bollandi in Notis ad Epiſtolam B. Bertrandi Patriarchæ ad Decanum Aquilejenſem , admonent : *Marcam valuiſſe tunc libris ſex minutis octo* : allegantque auctoritatem Suardi . Apertiſſimum ſphalma rejice . Accuratior eſt Juſti Fontanini in Epiſtola *delle Maſnade* adnotatio : *Marca una valebat* , inquientis , *libras novem , denarios ſex , & parvulos octo* : *quod intelligi tamen debet habita ratione ad pretium , uſumque hodiernum monetæ Venetæ* .

Res eſt paullo diligentius , dilucidiuſque pertractanda . Jamvero adnotavimus , octo libris denariorum conſtitiſſe Marcam , quæ dicebatur *Marca denariorum* : totidemque ſolidorum libris eam , quam *Marcam ſolidorum* appellabant . Nicolai Patriarchæ & Ludovici ſucceſſoris ætate , cum denarii Aquilejenſes 63. vel 64. æquarent valorem Veneti Ducati aurei ; ſponte fluit , Marcam unam denariorum perinde ea tempeſtate fuiſſe , quod attinet ad valorem , ac Ducatos duos auri cum dimidio . Atqui demum poſt hæc tempora , in pejus redacta re Monetaria , denariiſque ac ſolidis tum pondere , tum nota deterioribus factis , duplex effluxit Marca : altera octo libras ſolidorum monetæ Venetæ hodiernæ continens : altera novem ſolidorum libras , ſolidos ſex , & parvulos octo : illa ex Marca ſolidorum profluens , iſta ex Marca denariorum : ac utraque in Provincia Forijulii adhuc in uſu eſt .

Cur ita ? Nempe denarii valebant *quatuordecim* parvulos : *duodecim* duntaxat ſolidi . Hinc diſcrimen prodit in librarum numero . Duc enim denarios 160. in 14. parvulos : productum habes 2240. parvulorum . Hanc divide ſummam per 12. (quot nempe parvulis conficiebatur ſolidus :) quotus eſt 185. ſolidorum , ac reſiduus parvulorum octo : qui libras conficiunt *novem* , ſolidos *ſex* , parvulos octo . At ſolidis demum 160. conflantur libræ octo , abſque ullo reſiduo .

CA-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Initæ conventiones declarantur de cudenda moneta Aquilejensi: ac primo Marca seu Marcus, pondus octo unciarum. Ex una Marca conficiebantur denarii ducenti quadraginta & octo. Quatuor siliquas, vulgo Carati, singulorum pondus excedebat. Hæc nempe ad ætatem spectant Nicolai Patriarchæ, & Ludovici Successoris. Adhibiti argenti nota expenditur.

I. TAbulas Capite primo descriptas, jussu Nicolai Patriarchæ anno 1356. & Ludovici Turriani anno 1359. confectas, exponere jam aggredior, ut cudendæ Monetæ ratio in Aquilejensi Patriarcharum officina innotescat. Verba illa primo occurrunt: „ Quod ipse Franciscus debeat facere, „ vel fieri facere ... monetam hujusmodi bo„ nam, & puram: videlicet *de unciis quatuor argenti Venetorum grossorum, & tribus quarteriis pro quolibet Marcho*: de qua „ moneta debeant *viginti solidi, & octo de„ narii Aquilejenses* ponderare *Marchum „ unum*. „ Item: „ Et de ipsa Moneta non „ possit expendere, nisi de quacumque scossa „ prius fiat sazium in pondere, & igne. „ Quod sazium debeat esse *de uno Marcho* in „ pondere, & de uno quarterio unciæ in „ igne. Debent enim pondere *viginti solidi „ & octo denarii* facere *Marchum unum*. „ Quod si essent *quatuor denarii magis, aut „ quatuor minus*, approbentur boni denarii „ Itemque demum: „ Quod idem Franciscus „ debeat facere, aut fieri facere sazium in „ igne de *uno quarterio unciæ*, quod est *gra„ norum centum & quadraginta quatuor* pro „ quarterio: & debet reddere pro quarterio „ de argento fino *grana octuaginta duo, & „ dimidium*. Ita tamen, quod si reddiderit „ *de granis octuaginta & dimidio*, debeant „ approbari boni denarii. „

Marcus, qui & Marca, non accipitur hoc loco pro nummo arbitrario, quem exposuimus, centum & sexaginta denariis, aut totidem solidis, pro ejusdem Marcæ varietate, constante: sed intelligitur pondus. Rem conficiunt ipsa, quæ descripsimus, verba: *De qua moneta debeant viginti solidi & octo denarii Aquilegenses ponderare Marchum unum.* Ac rursum: *De ipsa moneta non possit expendere, nisi de quacumque scossa prius fiat sazium in pondere, & igne. Quod sazium debet esse de Marcho uno in pondere ..... Debent enim viginti solidi, & octo denarii facere Marchum unum*. Monetæ examen, quod *Sazium* in Tabulis dicitur, Italis *Saggio*, ita dictum appellatumque a voce perantiqua latina, *Exagium*, comprobat ex vetustis nummis, documentis, & Scriptoribus Muratorius Tomo II. Antiq. Italic. in calce Dissert. XXVII.

Hujusce ponderis, sive Marci, quantitatem primo videntur aspectu ea verba definire: *Debeat facere, vel fieri facere Monetam hujusmodi bonam & puram, videlicet de unciis quatuor argenti Venetorum grossorum, & tribus Quarteriis pro quolibet Marcho*: ac si Marcus in Officina Monetaria Aquilejensi nonnisi quatuor argenti uncias, ac tres unciæ quadrantes ponderaret. Non ita se res habet. Quantitas imo solius argenti adsignatur, quæ adhiberi pro quolibet Marco debeat: eademque definitur quatuor unciis, & tribus quadrantibus *argenti Venetorum grossorum*. Hæc pondus integri Marci non explicatur: subintelligendumque relinquitur, prædictis *argenti Venetorum grossorum unciis quatuor & tribus quarteriis* tantum addi inferioris materiæ debere, quantum satis esset ad *Marci* pondus, notum quidem compertumque in officina Monetaria.

Apud Joannem de Janua *Marca* dicitur *pondus quoddam, scilicet mediæ libræ, ut dicitur Marcha argenti*. An ergo Marca, seu Marcus par pondere fuerit *sex unciis*, cum idem Lexicographus *libram* adnotet, constare *duodecim unciis*? Admonet Ducangius in Glossario: *Apud nos* (nempe Gallos) *Marcham duplicatam libram efficere, quæ dividitur in sexdecim uncias*. Constabat Marca Veneta, (ut alias prætereamus,) hodieque constat *unciis octo*: ponderat uncia *centum quadraginta quatuor siliquas*, vulgo *Carati*: & siliqua quælibet dividitur *in quatuor grana*. Pro certo habeo, hanc Venetam Marcam in usu fuisse apud Aquilejenses in officina Monetaria: quemadmodum & uncias Venetas adhibitas ab eis esse, ea satis indicant verba, quibus argenti examen *in igne* fieri jubetur *de uno quarterio unciæ, quod est grana centum quadraginta quatuor*, idest siliquæ triginta sex: quæ si ducantur in 4., integrum unciæ productum habes, seu 144 siliquas. Marcus ergo Aquilejensis fuerit octo unciarum: qui in officina Monetaria confici conflarique debebat *quatuor*

Digitized by Google

tuor unciis argenti groſſorum Venetorum, *& tribus unciæ quadrantibus*, ac rurſum tribus unciis cum uno quadrante inferioris materiæ.

II. Id facilius, ac tuto deprehendi ut liceat, ea Tabularum verba ponderanda ſunt: *De qua Moneta debent viginti ſolidi, & octo denarii Aquilejenſes ponderare Marcum unum.* Item: *debent enim in pondere viginti ſolidi & octo denarii facere Marchum unum.* Quibus in locis tum *ſolidi*, tum *denarii* diſtinguuntur: ac ſane *denariis* compoſitos *ſolidos*, verba enunciant. Ipſi *denarii* vocantur *Aquilejenſes*, nummi ſine dubio cuſi ſignatique, quorum valorem communi uſu & foro æſtimarum fuiſſe *quatuordecim parvulorum Veronenſium* pretio, ex eiſdem Tabulis, quas illuſtramus, aliiſque ex monumentis, jam confeci nus. Non ita *ſolidus* prædictis in verbis uſurpatur: ſed pro nummo non cuſo, pluribus *denariis Aquilejenſibus* conſtante, ſumi debet. Quoties namque in eiſdem Tabulis nummi ſignati & cuſi memorantur, eorumque definitur valor, hi ſemper *denarii* vocantur, nunquam ſolidi. Sequentia accipe verba: „ Teneat (cuſtos a Patriarcha deputatus) „ unam clavem: & dictus Franciſcus aliam, „ loci ſeu caſſellæ, ubi ſtabunt ferramenta „ pro cuſione dictæ monetæ, & denarii „ monetati. „ Inſuper denunciatio injungi tur: „ quod prædicti *denarii* recipiantur „ in quolibet foro, & cambio per quemcumque, *pro quatuordecim denariis parvulis* „ quilibet. „

Quot vero numerandi ſint denarii, qui *ſolidum* huncce, nummum arbitrarium, conflaverint? Nihil dubites, denarios duodecim numerandos eſſe: quemadmodum & ſolidus nummus cuſus, duodecim conſtabat parvulis. Non abſimile exemplum præbent vetuſta apud Venetos documenta, quæ produnt, *ſolidum* quemdam arbitrarium ex *groſſis* compoſitum, ipſumque *duodecim groſſis* conſtantem. Unde conficitur demum, *viginti ſolidos & octo denarios Aquilejenſes*, qui noſtris in Tabulis enunciantur ponderi unius Marcæ octo unciarum æquales, perinde eſſe ac 248 denarios Aquilejenſes.

Quod ita conjeceram, extra dubitationis aleam poſitum lego in Tabulis, quas Comes Franciſcus Beretta oſtendit, ab laudato Jo. Joſepho Liruto acceptas. „ In Chriſti nomi„ ne Amen. Anno Nativitatis ejuſdem M. „ CCC LVI. Indictione IX die XX. menſis „ Februarii ..... Providus vir Magiſter Ga„ briel aurifex de Civitate Auſtria, per Re„ verendiſſimum Patrem & Dominum Domi„ num Nicolaum, Dei gratia Sanctæ Sedis „ Aquilegenſis Patriarcham, deputatus ſa„ ziator Monetæ novæ Aquilegenſis, quam „ cudit in Aquilegia Magiſter Zacchettus ... „ de centum Marchis & tribus unciis in pon„ dere dictæ Monetæ nuper cuſis per eum„ dem Magiſtrum Zacchettum: extraxit more „ ſolito unum Marchum in pondere dictæ „ monetæ. Quo ponderato, & poſtmodum „ numerato, repertum fuit habere in numero „ Marcham unam cum dimidio & Frix quin„ que. „ Marchum hoc loco habes pro pondere acceptum, octo ſcilicet unciarum: & Marcam habes, nummum non ſignatum, centum ſexaginta denariis, ſea Frixachenſibus cuſis conſtantem. Atqui *Marca* integra, & *dimidium* Marcæ, & *denarii quinque* ſummam efficiunt denariorum 245. Adhuc tres requiruntur, ut definita habeatur 248. denariorum ſumma. At nullum inde ingeri negotium, ex illis Tabularum verbis colligo: *Quod ſi eſſent* (in examine ponderis) *quatuor denarii magis, aut quatuor minus, approbentur boni denarii.* In eo ponderis examine, quod Magiſter Gabriel perfecit, deprehenſum fuit, ex uno Marco argenti, ſeu octo ex unciis materiæ ad cudendos nummos paratæ, ducentos & quadragintaquinque denarios *in numero* cuſos fuiſſe confectoſque: adeoque veluti *bonos denarios* adproband s.

Hocce examen, quod initum perfectumque fuit *anno* 1356 *die* 20. *Menſis Februarii*, tempore præcedit Nicolai Tabulas, quas illuſtramus, eodem *anno* 1356. datas die 18. *Menſis Octobris*. Eodem ſenſu intelligi debent, quæ ſequuntur hujuſmodi examina ſub Ludovico Turriano. „ M CCC. LX. Indictio„ ne XIII. die XIIII. Februarii. Aquilegiæ „ in Camera ſuperiori Patriarchalis Palatii: „ præſentibus, Reverendiſſimo in Chriſto „ Patre & Domino noſtro Domino *L. Dei* „ gratia Sanctæ Sedis Aquileg nſis Patriarchæ „ digniſſimo, ac Ven., & Diſcretis Viris „ Dominis Fratre Guidone Abbate Moſacenſi, „ & Ambroſio de la Turre Canonico Aquile„ genſi, Hermacora de Murucio etiam Ca„ nonico Aquilegenſi, ac Nob. Viro Domino „ Pertoldo de Muruccio, & Johanne Notario „ q. Gubertini Notarii teſtibus, & aliis pluri„ bus. Facta fuit tracta Monetæ de Marchis „ quadringentis quinquaginta quatuor cum „ dimidia in pondere: & inventa fuit Mar„ cha de ſolidis viginti & Frix. 8. (*ideſt*, *de*

Digitized by Google

„ *de denariis Aquil jenſibus ducentis & quadraginta octo*) in numero. Et ſazium de „ uno quarterio ..... de igne : inventum fuit „ grana octuaginta duo de argento fino. Quæ „ omnia approbata & laudata fuerunt, bene „ & legaliter ac juſte in pondere, & liga fore „ inventa &c. „ Alias Tabulas profero : „ M. „ CCC. LX. Indictione XIII. die XXVII. „ Aprilis. Aquilegiæ ..... Facta fuit tracta „ Monetæ novæ Aquilegenſis de Marchis qua„ dringentis decem & octo in pondere : & „ inventa fuit Marcha de ſolidis viginti, & „ Frix. novem in numero &c. „ (*ideſt, de denariis ducentis & quadraginta novem* .) Caſum habes in utriuſque Patriarchæ, Nicolai, & Ludovici, Tabulis poſitum, quo denarii, qui uno ex Marco confici debent, aut excedunt, aut non adæquant numerum denariorum 248. *quatuor magis aut quatuor minus* .

Alio modo idem examen expreſſum enunciant Tabulæ ſequentes . „ M. CCC. LX. In„ dictione XIII. die ultimo Februarii . Aqui„ lejæ in Sala Domus de la Moneta : præſen„ tibus &c. Facta fuit tracta de Marchis qua„ dringentis & ſeptem cum dimidia in ponde„ re : & inventa fuit Marcha de marbj ſexa„ ginta duabus & uno Frix. in numero. Et „ ſazium de uno quarterio unciæ ..... de „ igne : inventum fuit grana octuaginta duo „ de argento fino . „ Item „ Anno M CCC. „ LX. Indictione XIII. die VIII. Martii. Aqui„ legiæ &c. Facta fuit tracta de Marchis du„ centis triginta octo in pondere : & inventa „ fuit Marcha de marbj LX. & Frix. VIIII. „ &c. „ Quænam vox indicetur nota illa compendiaria marbj, nondum mihi, fateor, exploratum eſt. Pro certo habeo intelligi nummum quemdam apud Aquilejenſes Monetarios arbitrarium debere, denariis quatuor conſtantem. Duc vero 4. in 62. productum habes denariorum 248. Adde unum : fit ſumma 249. Duc etiam 4. in 60. & productus numerus erit denariorum 240. Adde novem : ſumma conficitur 249 Tot ſcilicet denarios habes ex uno Marco confectos, quot etiam complectuntur *ſolidi viginti, & Frix. novem*, in aliis Tabulis enunciati. Quidni vero conjectari tandem liceat, verba illa ita legi oportere, *& inventa fuit Marcha de maioribus*? Intellige *majorem* monetam, vel *majorem* denarium, nummum apud Aquilejenſes arbitrarium, valore ideali ferme æqualem *Groſſo*, cuſo apud Venetos nummo, ſolidis hoc ævo argenteis quatuor conſtante. Unde ſenſus fuerit, in examine monetæ inventum eſſe, Marcam unam uncias octo ponderantem reddidiſſe *majores* denarios, ſeu groſſos 62. cum uno *Frixachenſi*, ideſt Aquilejenſes denarios 249.

III. Quæ cum ita ſe habeant, jam facile ſingulorum denariorum pondus innoteſcit. Marcus, ſeu Marca, (pondus) octo conſtat unciis: uncia vero 144. ſiliquis, vulgo *Carati*: ſiliqua granis quatuor : adeoque integer Marcus, ſeu Marca integra continet 1152. ſiliquas. Quæ diſtribui ſi debeant per 248. denarios, jam ſingulos noveris ponderare ſiliquas quatuor cum dimidio : ac reſidua ſunt grana 144. iterum per ſingulos denarios diſtribuenda.

An ergo hocce fuerit pondus denariorum, quos ſub Nicolao & Ludovico Turriano cuſos Muſæa ſervant ? Ad lancem Venetam examine facto, ponderant alii ſiliquas quatuor : excedunt alii, uno vel duobus granis. Hæc ſatis ſunt ut ratiocinia noſtra recte inſtituta dignoſcantur. Sunt vero Nicolai & Ludovici denarii, qui ad pondus definitum, ad eamdem lancem Venetam expenſi, non pertingunt : at cauſa fuerit, quod ipſi nimium attriti ſint longo eorum uſu, paſſique fuerint magis minuſque detrimenti ex terræ locis, unde ſunt effoſſi. Hinc pondus, quod exſtantibus denariis ineſt, pro certa regula certoque dato ſumi non debet ad ipſam rationem cudendæ monetæ in Tabulis præſcriptam tuto explorandam. Fieri id etiam fortaſſe potuit, ut nummos minoris ponderis cuderint laudati Patriarchæ : de quibus cudendis, ſignandiſque conventionum Tabulæ deſiderentur.

IV. Superiorum Patriarcharum ævo, ponderoſiores hujuſmodi fuiſſe denarios, eoſque puriore ex argento confectos, ipſa docet experientia. Qui cuſi ſunt, Volcheri, Bertoldi, Gregorii, Raimundi, Petri, Ottoboni juſſu, ab anno 1204. ad annum 1318. ponderant plerique ſiliquas quinque cum dimidio : ſex ſiliquas æquant aliqui, ſub Bertoldo & Gregorio ſignati. Pagani Turriani, & Beati Bertrandi denarii, ab anno 1318. ad 1350. ponderare deprehenduntur ſiliquas quatuor cum dimidio, ac etiam quinque integras. Denariorum Nicolai, Ludovici, & Marquardi ſequitur pondus, ab anno 1350. ad annum 1381. quod ad lancem Venetam examinatum, æquare ſiliquas quatuor, & eas excedere deprehenſum eſt. Sequiore demum ætate, cum Sedem Aquilejenſem Alenconius, Joannes de Moravia, Antonius Cajetanus, Antonius de Portugruario, & Ludovicus Techius adminiſtra-

ſrarent, denarii occurrunt tum pondere, tum alienæ materiæ admixtione deteriores: ipſorumque pondus reddit ſiliquas quatuor, tres item cum dimidio, ac etiam tres tantum.

Quo tamen experimento iterum animadverto, juſtum colligi non poſſe pondus, quod inerat denariis in officina Monetaria cuſis. At illud vero certum exploratumque fit, *denariorum ſolidos* minime *viginti cum denariis octo*, ſeu *denarios* minime *ducentos quadraginta & octo* ſemper, ſed plures ævo ſequiore, pauciores remotiore ætate, numerandos in examine ponderis fuiſſe, ut Marcum unum, unciis octo conſtantem, æquarent. Fac enim, 248. denarios ponderare ſingulos v. gr. *quinque ſiliquas*: prodit ſumma ſiliquarum 1240 hoc eſt octo & octoginta ſupra Marcum. Fac etiam, 248. denarios ponderare ſingulos v. g. *quatuor* tantum *ſiliquas*: prodit ſumma ſiliquarum 992 hoc eſt, centum & ſexaginta infra Marcum. Jamvero de re ſatis, quæ ſplendidiſſime patet.

V. Ad ipſum Marci, ſeu Marcæ pondus redit ſermo: quod unciis octo definiendum eſſe, hactenus oſtendimus, confirmatque præterea denariorum examen igne perficiendum. Tabularum verba ſunt: „ Item quod idem „ Franciſcus debet facere, vel fieri facere ſa„ zium in igne *de uno quarterio unciæ*, quod „ eſt *grana* 144 pro quarterio. Et debet red„ dere pro quarterio *de argento fino grana* 82. „ *& dimidium*: ita tamen quod ſi reddiderit „ *de granis* 80. *& dimidio*, debeant appro„ bari boni denarii. „

Facilius ratiocinia ut fiant, grana reducere liceat in ſiliquas, & unciæ quadranti integram ſubſtituere unciam. Si puri argenti grana 82. & dimidium contineri in quadrante debeant; ſiliquas 82. & grana duo, ſeu dimidium ſiliquæ, integra continebit uncia. Jam regole, argenti quantitatem, quæ Marci ponderis partem conficere debeat, definitam illis verbis eſſe, quæ *quatuor* enunciant *uncias argenti Groſſorum Venetorum*, *& tria quarteria*: quæ nempe ſiliquas continent 684. Sed hæc argenti quantitas per tot uncias diſtribui debet, quot opus illæ ſunt, ut ſingulæ contineant boni argenti ſiliquas 82 & grana duo, ſeu dimidium ſiliquæ. Quod ſi numerum 684 divides per octo: jam quotus erit 85 cum reſiduo 4. Nempe ſupra ſiliquas 82. & grana duo exceſſus habetur duarum ſiliquarum cum dimidia: quibus addi debet reſiduum 4 ut integer exceſſus tribus demum conſtet ſiliquis.

At exiguo prædicto exceſſu nemo non videt impedimentum apponi nullum, quominus Marci in officina Monetaria Aquilejenſi adhibiti quantitatem iterum conſtituamus, unciis octo conſtantem. Porro exceſſus ille, conventionibus cum Monetario initis prætermiſſus negleſtuſque, aut cedebat in ipſius Monetarii proventum; aut alia damna compenſabat, quæ contingere poterant; aut aliis ex cauſis oriebatur, quas diligentius perquirere non vacat. Illud vero certum denique videtur, compertumque, argentum illud pro bono ac puro in Aquilejenſi Monetaria officina acceptum fuiſſe, quod erat *argentum Groſſorum Venetorum*, quæcumque demum hujuſce nota, & quicumque puritatis gradus fuerit.

CAPUT IX.

Marchus adhibitus in cuſione parvæ monetæ octo pariter uncias ponderabat. Singulorum denariorum parvorum pondus, & nota argenti, ex quo illi conficiebantur, exploratur. De lucro agitur, quod Patriarchæ obvenichat, & Monetario.

I. PArvulos etiam nummos, dictos *Veronenſes*, cudebat ſignabatque Monetaria officina Aquilejenſis. Sive pondus eorum, ſive notam argenti, ex quo conficiebantur, ſpectes, hæc erat eos cudendi ratio. „ Item quod idem Franciſcus poſſit „ cudere uſque ad mille March. monetæ par„ væ: ita quod *quodlibet Marchum* ponderet „ *unciam unam argenti Veneti*: & ſint in „ pondere *pro quolibet Marco ſolidi ſexaginta* „ *ſex*. Quod ſi eſſent duodecim denarii par„ vuli minus, vel duodecim plus, appro„ bentur boni denarii: ſi vero duodecim ma„ gis, teneatur in ſequenti ſcoſſa eos facere „ de duodecim minus, & e converſo .... Et „ fiat ſazium in igne *de dimidio quarterio* „ unius unciæ de granis 72 & debeat redde„ re de argento fino grana octo, & tertios „ duos. „

Quo in loco *Marcum* intelligo octo unciarum: conflatum nempe *uncia una argenti Veneti*, & ſeptem unciis alienæ materiæ. Senſum confirmant, quæ ſuperiore Capite diſſeruimus num. 1 Addo parem ferme cudendæ monetæ parvæ Venetæ rationem, quam Marinus Sanutus in Vita Joannis Danduli Ducis ad Annum 1282 ſic deſcribit: *Marcam unciarum octo argenti*, (ex quo nummuli, vulgo

Digitized by Google

vulgo *Bagattini*, ævo illo confecti sunt, *uncia una argenti cum dimidio constitisse, ac unciis sex æris cum dimidio*. Italica verba latine reddita sunt.

II. In unctum Monetario legitur: ut *sint in pondere pro quolibet Marco solidi sexaginta sex*. Solidos intellige nummos arbitrarios, duodecim parvulis constantes: unde parvulorum 792 consurgit numerus. Integra Marca octo unciarum ponderat siliquas 1152. Hanc summam divide per 792. Quotus est 1. cum residuo 360. Unde Nicolai Patriarchæ & Ludovici successoris ætate, parvulus quilibet nummus ponderabat siliquam unam: ac insuper siliquæ 360. seu grana 1440. per singulos distribuenda sunt.

Eamdem Marci, ponderis, quantitatem indicat examen, in igne perficiundum *de dimidio quarterio unius unciæ*, quod reddere debet *de argento fino grana octo, & duos tertios*. Quæ grana cum trientibus ad siliquas, easdemque in uncia contentas, si redigas; in uncia qualibet contineri decem & septem siliquas, ac trientem grani unum, boni argenti debere, facile instituto ratiocinio deprehendes. Jamvero uncia una *argenti Veneti*, seu siliquæ 144 si dividantur per *octo*, quotus erit *decem & octo*: adeoque dubitandi ratio nulla est, quin Marca, (pondus) in cusione parvulorum nummorum adhibita, pro Marca unciarum octo in officina Aquilejensi Monetaria sumeretur.

At quotus ille 18. si comparetur cum siliquis 17. & uno grani triente, excedit duobus grani trientibus: qui sane exiguus excessus vel fuerit lucrum Monetario obveniens, vel alia de causa in conventionibus cum Monetario initis prætermissus fuerit. Tam minuta per ratiocinium differentia deprehensa constitutam minime convellit quantitatem Marci, quo Monetarii Aquilejenses utebantur.

Nummos id genus parvulos adservant Musæa. Albi sunt alii, qui superiore maxime cudebantur ævo, scilicet puriore ex argento conflati: nigriores alii, quibus plus inerat æris, quam argenti. Illi tenuiores, crassiores isti. Crucem ex utraque parte præferunt alii: in aliorum parte altera visitur Crux, vel stemma gentilitium, in altera Caput Mitra insignitum: legiturque nomen *Patriarchæ Aquilegensis*, vel integre expressum, vel sigla indicatum v. g. B. MB. A. *Bertrandus*, *Moneta Bertrandi*, *Antonius*. Ad pondus quod demum attinet: extat nummulus Bertrandi, qui ponderat siliquas duas: ejusdemque, aliorumque Patriarcharum extant parvuli, qui ponderant vel siliquam unam; vel siliquam, & unum alterumve granum; vel grana tria, vel tria cum dimidio. Quæ demum omnia institutum confirmant ratiocinium de pondere, quod Nicolai & Ludovici Turriani nummulis inesse juxta initas conventiones debebat.

III. De lucro, quod ex Monetæ cusione Patriarchæ obveniebat, & Monetario, pauca postremo loco dicenda sunt. Vocabatur *Tractus*. Pro singulis Marcis, (pondus intellige,) denariorum Aquilejensium, numerare Patriarchæ tenebatur Monetarius *novem denarios*: proque singulis Marcis monetæ parvæ, *solidos duos parvulorum*, scilicet parvulos 24. Tabulas ipsas Nicolai, & Ludovici Turriani lege. Hunc imminutum anno 1361. sub eodem Ludovico Patriarcha, redactumque ad *octo* denarios *tractum* fuisse, colligimus ex citato *Rationum* Codice, ubi hæc habentur: „ MCCC LXI. concessa fuit cusio, & Magi„ sterium Monetæ Aquilegensis Francisco Bo„ naquisti de Florentia, a die omnium Sancto„ rum ad unum annum immediate sequentem, „ pretio quadringentorum March denariorum „ solvendorum in quatuor terminis, scilicet „ de tribus in tres Menses pro rata: cum hoc „ tamen, quod si plus cuderet, tantum plus „ debet solvere, ad rationem *octo denariorum* „ pro Marco. „ Lucrum Patriarchæ hæc patefaciunt verba.

Quod vero Monetarius reportabat, ex pluribus oriebatur capitibus. Ac primo licebat ipsi, denarios cudere ex materia, quæ pro qualibet unciæ quadrante redderet grana *argenti fini octoginta cum dimidio*: tametsi inita conventio foret, ut *pro quarterio* redderentur *de argento fino grana 82. & dimidium*. Ipsa nota, vel gradus argenti, magis minusque puri, qui in officina Aquilejensi pro gradu *argenti fini* constitutus fuerat, lucrum Monetario parere poterat. Id etiam obveniebat ex pretio, quod in emptione *argenti Veneti* solvendum erat, compensando Aquilejensibus denariis, qui *parvulos quatuordecim* singuli valebant. Unde lucrum demum oriebatur ex valore, quem extrinsecum vocant, denariis Aquilejensibus impositio. Hæc satis.

CA-

Digitized by Google

CAPUT X.

Series denariorum Aquilejenſium, cum typis, & inſcriptionibus. Animadverſiones. Monetariæ officinæ loca.

I. APopone Aquilejenſi Patriarcha, cui facultas argentum ſignandi Anno 1028 facta fuit, ad Volcherum ſucceſſorem, ad Patriarchalem Metropolitanam Sedem anno 1204 evectum, vix nummi reperiuntur, quos Monetaria noſtrorum Præſulum officina cuderit. Eo temporis intervallo cuſum percuſſumque fuiſſe primum illum, quem exhibet Tabula prima, ambigendi ratio nulla eſt. Sedens Epiſcopus viſitur, manu dextera pedum Epiſcopale, librum læva tenens, cum Epigraphe AQVILEGIA P. viſiturque parte in altera ædificium, quod arcus quatuor ſuſtinent, cum duabus turriculis, ac media inter illas cruce. Tres nummos hujuſmodi vidi ego. An Sigla illa P. ſignificet *Patriarcham*, an *Poponem*, aut *Peregrinum* primum, vel alterum, quis certo divinaverit? Tempus ergo, quo ſignatus nummus fuerit, definire non licet. Conſule, quæ conjecturis agendo diſſeruimus Capite II. num. 1.

Nummus alter in eadem Tabula ſequitur, Epiſcopi ſedentis effigie, ac Templi ædificio inſignitus, litteraſque detritas quaſdam præferens, quæ nonniſi de fœdo barbaroque charactere nos docent. Monetæ fabricam ſi expendas, eamque conferas cum ſuperiore, ac Volcheri nummis, non parum ſimiles eos omnes deprehendunt oculi. An ergo Aquilejenſis nummus fuerit? Id ego non adieram: ſi quis alius non inepte conjectari poſſe contendat, per me licet.

Quæ certa eſt Aquilejenſium nummorum ſeries, incipit a Volchero. Typos eorum plurimos vulgavit Muratorius, & expoſuit in opere omnigena eruditione refertο de antiquitatibus Italicis medii ævi, Tomo II. Diſſert. XXVII. Menda quædam irrepſerunt, quæ detergenda ſunt, in nummorum inſcriptionibus: nec adeo perita, ac fida manu delineati videntur typi omnes: pluresque deſiderantur, quos Muſæa ſervant. Non paucos item vulgatos impreſſoſque videre licet in egregio opere, *Le Antichità d'Aquileja, profane e ſacre*, quod Auctorem habet Comitem Jo. Dominicum Bertoli Canonicum Aquilejenſem: ſed auctiorem ego ſeriem profero. Pleroſque ipſiſmet oculis vidi nummos, a ſe viſos alios retulerunt amici, quos poſſidebat olim Senator præſtantiſſimus Dominicus Paſchalicus, ac poſſident Illuſtriſſimi Viri, Apoſtolus Zenus Venetus, qui litterarum ſubſidia, quibus abundat petenti cuique prono animo ac ſumma humanitate elargitur, Jo. Gaſpar Goritienſis S. R. I. Comes de Lantheriis, Agricola de Agricolis Patricius Utinenſis. Longe ditiſſimum Eminentiſſimus ac Reverendiſſimus Daniel Delphinus S. R. E. Cardinalis Patriarcha Aquilejenſis cimeliarchium poſſidet, in quo nummi ferme omnes, Antiſtitum præceſſorum juſſu cuſi, quotquot hactenus viſi ſunt, adſervantur. Ex his negotio nullo obtinui, ut deſumerentur typi, qui in adjectis Tabellis proſtant, operam dirigente eruditiſſimo Viro mihique amiciſſimo Dominico Ongaro, Patriarchali Seminario Præfecto, remque ipſam pro ſua erga me benevolentia diligentiſſime exequente Mario de Turſio Juvene Patricio Utinenſi, Clericali militiæ adſcripto, egregia indole & ſingulari ingenio prædito, quibus devinctiorem me profiteor, quam ut agere gratias poſſim. Nummorum ſeriem jam accipe.

VOLCHERUS, Patriarcha renunciatus anno 1204 (a)

1. In antica viſitur effigies Patriarchæ ſedentis cum pallio. Crucem dextera, ac læva librum tenet. Epigraphe: *Volfker* P. Pars altera ædificium præfert, arcu ſuperſtructum, cum portis patentibus: ſuntque hinc inde turriculæ duæ. Circum vero legitur, *Civitas Aquilegia*.

2. Differt a præcedente pars averſa, ubi Aquila. Apud Muratorium epigraphe eſt, *Volfker Ep.* Mendum, quod irrepſit, corrige, ac lege, *Volfker P.* ut in eodem nummo, quem poſſidet Illuſtriſs Comes Dominicus Bertoli Canonicus Aquilejenſis. Cur vero *percuſſus hic nummus* dicitur *circiter annum Chriſti MCCXX.*? Mortem Volcherus obierat anno 1218 eodemque anno in Aquilejenſem cathedram conſcenderat Bertoldus.

BERTOLDUS, ex Comitibus Andacenſibus, anno 1218.

1. Eadem effigies Patriarchæ ſedentis, cum litteris *Bertoldus P.* Aream alteram occupat figura, ſublatas manus habens. Inſcriptio, *Civitas Aquilegia*. Ad *annum Chriſti circiter MCCXXXIV. referendus* dicitur *nummus*; at nihil

(a) Tab. I.

Digitized by Google


TABULA I.



1 AR


2 AR


2 AR


3 AR


1 AR


4 AR


2 AR


6 AR



1 AR



1 AR

TABULA II.



2 AR



7 AR


3 AR


8


4 AR


1 AR



9

Digitized by Google

Tab. LXXXVI.



5 R



2 R



6 R



3 R

TABULA III.



4 R




1 R




1 R




3 R




1 R



1 R



2 R



2 R



R 1



3 R

TA-

Digitized by Google

nihil ego in nummo video, quod referri ad annum 1234 debeat.

2. Eadem pars prior. In postica visitur porta, tribus turribus pinnatis munita. In utraque parte eædem inscriptiones.

3. Pars altera Aquilam præfert, arcui vel ponti insidentem.

4 Episcopus dextra pedum tenens, læva crucem elevatam, cum epigraphe, *Bertoldus P.* A tergo ædificium, quod pontis formam habet, cum duabus turriculis, ac media inter illas cruce. Sub arcu caput ornatum cernitur duos inter globos. Inscriptio nulla.

5. Dimidius denarius, ut videtur, denario similis, quem primo loco numeramus.

GREGORIUS de Montelongo, anno 1251.

1. Figura stans, cum litteris, *Gregorius Electus*. In altera facie Archiepiscopus crucem accipit a quodam Sancto, cum inscriptione: *Civitas Aquilegia*.

2. Figura stans cum manibus ante pectus: *Gregori electus*. In aversa parte lilium intra orbem, atque circum litteræ, *Civitas Aquilegia* (*a*).

3. Effigies Patriarchæ sedentis, cum inscriptione, *Gregorius Pa.* Alterius partis aream implet lilium cum quatuor stellulis. Epigraphe, *Aquilegia*.

4. Typus idem. Aream posticæ occupat Aquila. Eædem inscriptiones.

5. Pars aversa crucem præfert, cujus latera æqualia: ac intra latera stellulæ visuntur, aut lilia.

6. In eadem aversa parte Crux cum lateribus latioribus, & ornatis: & intra latera lilia cum stellulis. Typus prostat apud Muratorium.

7. Dimidius denarius, typo similis denario primo.

8. Nummus parvulus. Crux parva intra orbem, cum litteris, *Gregori Pa.* In altera facie Crux major: ac intra suprema latera, *Aquilegia*.

9. Item nummus parvulus. Crux intra orbem, cum epigraphe, *Gregori Patr.* A tergo lilium intra orbem, cum litteris, *Aquilegia*.

RAIMUNDUS A TURRE, anno 1273.

1. Figura Patriarchæ sedentis: *Raimondus Pa.* Pars altera Turrim exhibet, Turrianæ Familiæ stemma, ac epigraphem, *Aquilegenſis*. Hujus Monetæ mentio apud Julianum in Chronico Forojulienſi, quod editum prostat in Appendice ad Monumenta Ecclesiæ Aquilejensis. Verba sunt ad An. M. CC. LXXVII. *Mutata est moneta, quæ habebat Patriarchæ imaginem interius, & Turrim exterius, quæ valuerat XIV. Veronenses*.

2. Eadem antica pars. *Raimundus Pa.* A A tergo, sceptra liliata, & decussata, cum litteris, *Aquilegenſis*.

3. Pars altera Crucem exhibet, ac in area superiore claves duas, spiritualem nempe ac temporalem potestatem indicantes: duasque turres in area inferiore, Turrianæ gentis insignia.

4. Nummum memorat loco citato Julianus: *Mutata est*, inquiens, superior moneta, de qua num. 1. *in Monetam habentem interius imaginem Sanctæ Mariæ cum Filio, & exterius Aquilegia* (Aquilam,) *valentem seu positam XVI. Veronenses*. An hujus monetæ typus fuerit, qui inter nummos Raimundi quarto loco numeratur, ac primus exhibetur in Tabula III. (*b*)? An potius idem typus nummo conveniat, quem laudatus Julianus pergit loco citato describere: *Eodem anno*, inquiens, *die VII. intrante Aprili, fuit proclamatum ex parte Patriarchæ, quod ex tunc daretur pro IV. Veronensibus & illa nova, quæ tunc currebat, differens a priori in duabus crucibus parvulis, interius, & exterius*? In nummo, quem præ manibus habemus, cruces illæ parvulæ cernuntur: ipseque nummus inauratus est.

PETRUS GERRA, anno 1299.

1. Effigies Patriarchæ sedentis, ut supra: Epigraphe, *Petrus Patra*: ubi pro littera R informi & barbara, H vel K delineant alii. In altera facie visitur Aquila cum avitis Familiæ insignibus, ac litteris, *Aquilegenſi*.

OTTOBONUS de Razzis, vel Robarius, anno 1302.

1 Protome, seu media superior pars Patriarchæ sedentis, ac subtus Aquila: *Otobonus Pa.* In postica sunt Familiæ insignia, & litteræ, *Aquilegenſis*.

2. Patriarcha sedens: *Otobonus Pa.* Insignium Familiæ; summitatem tenet Aquila: *Aquilegenſis*.

CASTONUS a Turre, anno 1316 Morte ereptus Patriarchalem Metropolitanam Ecclesiam non adiit.

PAGANUS a Turre, anno 1319.

1. Eadem effigies Patriarchæ sedentis: *Pagan. Patra*, vel *Patka*; vel *Patha* in sequenti-

(*a*) Tab. II. (*b*) Tab. III.

Digitized by Google

bus nummis. In parte altera Turris cum ſceptris liliatis ac decuſſatis: *Aquilegia*.

2. In poſtica, præter Turrim ac ſceptra liliata, duæ parvæ cruces aut ſtellulæ.

3. Nummus parvulus. Crux: *Paganus Pa.* Turris intra orbem: *Aquilegia*.

BERTRANDUS de Sancto Geneſio, anno 1334.

1 Crux, intra cujus latera *Deus*. Epigraphe in circuitu: *Bertrand. Patra*. Viſitur in altera parte effigies Sancti, dextra librum elevatum, ſiniſtra crucem tenentis, cum litteris: *S. Hnachor* (ſic) *Aquilegenſ.* Monetam hujuſmodi, denario communi majorem, memorat Jacobus Valvaſonus de Manico in Vitis MSS. Patriarcharum. Conſule Caput V. num. II.

2. Aquila cum epigraphe, *Bertrandus P. Aquilegenſis*. Imago Deiparæ, ulnis puerulum Jeſum geſtantis: *Virgo Maria Avocata mundi*. Denarius communi major.

3. Virgo Deipara, ut ſupra: *Bertrandus P.* Aquilam præfert pars averſa, *Aquilegenſ.*

4. Crux integram aream dividens, intra cujus latera, *Bertrand. Patra.* A tergo Archiepiſcopus, ſeu Patriarcha, dextra librum, læva crucem tenens: *S. Hnachor.* (*a*)

5 Dimidius denarius, ſimilis denario, quem tertio loco recenſuimus.

6 Nummus parvulus. Sigla *Monetam Bertrandi* ſignificat. In parte altera, caput Patriarchæ

7. Nummus parvulus: Patriarchæ caput, *B. Patriarcha*. Crux intra orbem. *Aquilegenſis*.

NICOLAUS, anno 1350.

1. Leo coronatus, erectos pedes habens, (vulgo, *rampante*,) cum epigraphe, *Moneta Nicolai*. In poſtica crux liliata: *Patre Aquilegie*.

LUDOVICUS a Turre, anno 1359.

1. Effigies Patriarchæ ſedentis in Faldiſtorio leonum, cum manu dextera elevata, ac ſiniſtra crucem tenente: *Ludovic. Pa.* In averſa facie Turris, ex qua prodeunt ſceptra duo liliata: & hinc L. indeque V. cum epigraphe: *Aquilegia*.

2. Duo ſceptra liliata, & decuſſata. Intra latera LV. Epigraphe, *Moneta Ludovici*. A tergo, Aquila: *Patriarche Aquilegenſ.*

MARQUARDUS, anno 1365

1. Aquila viſitur: circum vero, *Moneta Marquardi Pat. Aq.* In altera parte, Protome Epiſcopi; ac ſubtus, avita Familiæ inſignia. Epigraphe: *S. Hermaceras*.

2 Globus ſupra pulvinar, ſub quo littera M & in circuitu *Marquardus Pata.* Pars altera crucem exhibet cum octo radiis, quorum quatuor longiores & latiores ſunt, cum litteris in circuitu, *Aquilegenſis*.

PHILIPPUS Alenconius, anno 1381.

1. Inſignia regiæ Francicæ familiæ, cum epigraphe, *Filipus Cardinalis*. Aquila cum litteris, *Patriarcha Aquilegenſis*. Error irrepſit in typum apud Muratorium, in quo legitur, *Filipus Cominaris*.

JOANNES DE MORAVIA, anno 1388.

1. Aquila teſſellata, *Scaccata*, ut ajunt: *Joannes Patriarch. Aqui.* In altera parte ſedet Patriarcha in Faldiſtorio leonum. Epigraphe, *S. Hermacoras*.

2. Caſſis pennigera ſupra Familiæ inſignia. Hinc inde ſtellulæ, ſeu parvæ cruces: *Joanes Patriha*. A tergo, protome Epiſcopi: *Santus* (ſic) *Hermachoras* (*b*).

ANTONIUS Cajetanus, anno 1395.

1. Scutum gentilitium cum duabus faſciis, ſeu viperis veru transfixis: *Antonius Patrha*. Hinc inde, AN. Partem alteram occupat Aquila, cum litteris in circuitu, *Aquilegenſis*: quæ vox quatuor ſtellulis interſecatur.

2. Eadem Familiæ inſignia: *Antonius Patriarch*. Crux in poſtica: & intra latera crucis ſtellulæ. Epigraphe, *Aquilegenſis*.

ANTONIUS de Portugruario, anno 1402.

1. Stemma gentilitium, quod ab inſignibus utriuſque nummi ſuperioris differt, ut infra num II. Epigraphe, *Antonius Patriarca*. Aquila in averſa facie, cum litteris, *Aquilegenſis*.

* Nummus parvulus. Sigla A. ſignificare videtur *Antonium*, an *Cajetanum*, an *de Portugruario*, incertum. In altera facie 1579. de quo numero infra.

LUDOVICUS Dux de Tech, anno 1412.

1. Scutum gentilitium: *Lodovicus Dux D. Dech*, ſeu *Tech*. In altera parte viſitur Virgo Deipara cum puero Jeſu in ulnis. Epigraphe, *Patra Aquile*.

2 Nummus parvulus. Eadem familiæ inſignia. In parte averſa ſigla M. cum numeris.


3. Nummorum parvorum poſticæ cum eadem ſigla M. ac numeris diverſis. An hujuſmodi parvuli, quos officina Monetaria Aquilejenſis cudebat, fortaſſe numerati, eorumque au-

(*a*) Tab. IV. (*b*) Tab. V.


Digitized by Google

TABULA IV.



4 AR



2 AR


5 AR



5 AR


1 AR



2 AR


7



1 AR



1 AR


2 AR



1 AR

TABULA V.



2 AR


2 AR


AR 2


AR 1


AR



AR 1

Digitized by Google

Tab. LXXXVIII.




2 R




3







Æ



1 R



2 R



3 R

Digitized by Google

numerus in typo expreſſus ? Tot ergo inſtrumenta fuerint ad ſignandos nummulos adhibita, quot ipſi nummuli ? quod eſt perridiculum. An notæ quædam dici debeant, ex numeris pro genio & arbitrio, ac veluti fortuito adſumptæ, quibus novæ ac variæ, quæ iterabantur, nummulorum fabricæ & impreſſiones deſignarentur ? Conjecturis indulgere pro libito ſuo cuique liceat.

LUDOVICUS Scarampus Mediarota, anno 1439.

Nummus æreus majoris moduli, vulgo *Medaglione*. Pars prior effigiem repræſentat Viri Eccleſiaſtici, coronam clericalem gerentis. Litteræ in circuitu : L. (Ludovicus) *Aquilegenſium Patriarcha Eccleſiam reſtituit*. In poſtica Milites, pedites, equiteſque, procedentes. Epigraphe, *Eccleſia reſtituta ex alto*. Conſule Monumenta Eccleſiæ Aquilejenſis Capite CX. & CXI.

Hactenus vero Aquilejenſium denariorum ſeries, quos officina Monetaria Patriarcharum, majores, minoreſque, & parvulos, cudebat. Sequuntur nummi, 1. *Goritiæ* ſignatus, 2. *Tergeſtinus*, 3. *Tirolenſis*, qui cum aliis alibi, maximeque in officinis Marcæ Veronenſis percuſſis, communi uſu in Provincia Forijulii adhibebantur : vulgo *ſolidi* appellati, ſeptima parte denariis Aquilejenſibus minores ; duodecim ſcilicet parvulis conſtantes.

In primo Comitum de Goritia inſignia viſuntur. Epigraphe legitur, *Henricus Comes Goricien*. Crucem præfert pars altera, cum luna, & ſtellulis intra latera.

In altero Epiſcopus ſedens, qui dextra pedum tenet, ſiniſtra librum, cum epigraphe *Volricus Ep.* In poſtica viſitur proſpectus urbis, cum inſcriptione, *Civitas Tergeſtum*. Nummos Tergeſtinos plures exhibent Ireuæus a Cruce, ac Doctiſſimus Muratorius.

In tertio Crux cum octo radiis, quorum quatuor longiores, breviores quatuor, aream occupant. Epigraphe, *Meinardus*. In poſtica Aquila, cum alis expanſis, & inſcriptione, *Comes Tiroli*. Alios Tirolenſes nummos profert laudatus Muratorius.

II. Animadverſione in hiſce Patriarcharum Aquilejenſium nummis digna ſunt Familiarum inſignia, quæ in eorum pleriſque adhibita cernuntur. Obſervandos præcipue illos exhibeo, qui Raimundi Turriani juſſu cuſi ſunt, Turrim & ſceptra liliata, nobiliſſimæ Familiæ ſine dubio inſignia, præferentes. An etiam lilia, quæ viſuntur in nummis Gregorii de Montelongo, inſignia fuerint ejus familiæ, non iverim inficias, neque tamen confidentius adſero, cum certa mihi præſto non ſint rei documenta.

Hinc Juſtus Fontaninus in Epiſtola *delle Maſnade* anno 1692. typis edita Venetiis, poſtea Archiepiſcopus Ancyranus, corrigendum merito cenſet Virum clariſſimum Danielem Papebrochium e Societate Jeſu, qui tametſi omnigena eruditione floreret, putabat, docetque : *prædictis quatuor ſeculis* (XI. XII. XIII. XIV.) *familiæ inſigniis, ſeu teſſeris, vulgo Arme, uti in nummis non conſueviſſe Patriarchas, Epiſcopos, alioſque Eccleſiaſticos* : nummoſque id genus aliquos, veluti poſtea cuſos, fuſoſque, rejiciendos jubet. At Sedem Aquilejenſem ab anno 1273. tenuit Raimundus Turrianus ad annum ineuntem 1299. eique præceſſerat Gregorius de Montelongo ab anno 1251. tertiodecimo ſeculo ultra medietatem provecto, ac verſus finem vergente : quorum nummos ſuperius recenſitos nemo dixerit poſtea *cuſos fuſoſque*.

Papebrochii ſententia, quæ habetur Parte II. *Reſponſionis ad exhibitionem errorum per R. P. Sebaſtianum a S. Paulo evulgatam* pag 474. n. 37. minime rei antiquariæ peritis arriſit. Cæteros hoc loco prætermitto omnes, ac unum memoro Doctiſſimum Ludovicum Antonium Muratorium, qui de origine *Inſignium*, quæ nunc Italice *Armi*, & *Arme* appellamus, eodem modo ſentiendum putat, atque de *cognominum* origine. De his agit inter ævi medii Antiquitates Italicas, Diſſertatione quadrageſima ſecunda : de illis, Diſſertatione quinquageſima tertia. Fuere nimirum antiquis latinis *cognomina*, & *agnomina*, quibus inter ſe una Familia ab altera diſtingueretur : nihilo tamen ſecius *cognomina* nunc uſitata, poſt annum duntaxat a Chriſto nato milleſimum cœpta ſunt uſurpari. Ita, inquit, & de *gentilitis inſignibus* dicendum reor. Hæc enim, „ quamvis apud veteres Latinos, & Græcos „ non levia illorum veſtigia occurrant, ubi „ tamen, qualia nunc ſunt, conſiderentur, „ ideſt certo colorum ac typorum ſigno ornata, eaque hereditaria, & in ſigillis, nummis, vexillis, picturis, aliiſque locis ad „ Familiarum diſcrimen adhibita, tantummodo poſt ſeculum decimum, imo & poſt undecimum, ac præcipue poſt ſuſceptam a „ latinis ſacram expeditionem in Orientem, „ ſenſim inva'uiſſe videntur. „ Viros eruditione præſtantes recenſet plures, qui hanc ſententiam probarunt : interque Familias nobiliſſimas memorat illam *Turrianorum*, ſive

della

Digitized by Google

della Turre, qui Mediolani olim dominati sunt, & adhuc in Forojulii effulgent, atque a seculis compluribus eximium nobilitatis locum apud Gallos retinent, *Turrim* pro insigni eligentem.

Sunt alii ferme innumeri apud Scriptores editi nummorum typi Episcoporum, & Abbatum, qui Papebrochii opinionem convellunt. Tergestinæ Ecclesiæ, quæ Aquilejensi Metropolitanæ proxima est ac suffraganea, nummos exhibent Irenæus a Cruce in Historia Civitatis Tergesti, & Muratorius Tomo II. Antiquitatum Italicarum medii ævi. Arlongi Episcopi, quem Civitatis ejus cathedram anno 1254. conscendisse notat Ughellus videre nummos licet cum *luna ac stella*, *& sceptris lilientis*, quæ pro Familiæ *insigniis* habet Bucelinus Parte I. Germaniæ sacræ. Hanc argentum signandi facultatem Episcopis Tergestinis decimo jam seculo collatam existimat Irenæus a Cruce, Tabulas proferens consignatas *anno ab Incarnatione Domini DCCCCXLIX. Mensis Februarii die XXI. indictione quarta*: ubi Joannes Episcopus jus *cudendi monetam* transferre inducitur in Cives Tergestinos. Vitiatas temporarias notas minus attentus non observavit Irenæus: memoratosque non animadvertit *denarios Aquilejenses*, qui nonnisi post annum 1028 cudi potuerunt. Tabulas easdem ad seculum tertiumdecimum adultum & provectum spectare, pluribus argumentis ostendimus in Monumentis Ecclesiæ Aquilejensis Capite LIV. num. V.

Ad Aquilejenses nummos quod attinet, non pauci altera in parte præferunt vel Aquilam, vel ædificium instar arcis, aut castri cum turribus. Symbola hæc esse ipsius Civitatis, non dubitaverim. Henricus Imperator in Diplomate Patavinis concesso anno 1049. *in altera (denariorum superficie) ejusdem Civitatis* (Patavii) *figuram imprimi jussit*. Hanc figuram, quæ olim in Januensibus nummis visebatur, Georgius Stella describit Capite IV. Annalium, Tomo XVII. Scriptorum Italiæ: *Conradus Rex Alemannus*, inquiens, *Romanorumque Imperator electus* (hujus nominis II.) *concessit anno Incarnationis Jesu Dei nostri MCXXXVIII.* (al XXXIX.) *ut fabricaretur Januensis pecunia* .... Sunt *litteræ*, *Janua*, *in ejus nummi altera facie in extremitate rotundi, medioque figura arcis & castri cum turribus. Castrum ipsum, sicut monstrant hæ litteræ, Janua, Januensem significat urbem*. Pari ergo ratione Civitatem nostram Aquilejam, a Popone Patriarcha instauratam, significat quod in nummis visitur ædificium, aut turribus munitum, aut arcubus superstructum, aut certe portas patentes præferens. Adnotat laudatus Stella, *pro Civitate* Januæ *in pecunia formam Castri positam fuisse, quod erat illis temporibus apud Templa Sancti Silvestri & Sanctæ Crucis, tanquam formam loci ipsius Civitatis præcipui*. Quidni ad Aquilejam etiam civitatem indicandam, positum in nummis Patriarcharum fuerit, quod in ea præcipuum ædificium erat, Templum a fundamentis erectum a Popone, ac adjunctæ Patriarchales ædes? Hujusce symboli loco Aquilam præter ea adhibuerunt Monetarii. Cur vero? Quia *urbi cum conderetur*, (verbis utor Juliani Cæsaris in Oratione II. de gestis Constantii) *Aquila, dextra ex parte cælitus advolans, de suo nomine vocabulum imposuit*. Ita nempe vulgaris fama ferebat.

Inter hæc symbola, quemadmodum vetusti, ac recentes, & aliorum populorum nummi, ita Aquilejenses Crucem præferunt. De hac consuetudine, cruce signandi usuales ipsos nummos, quos in rerum commutationibus damus & accipimus; deque rationibus, quæ Christianos Principes permovere potuerunt, ut pecuniam cruce decorandam putarent, late differit contra Auctorem Apiarii Gretserus Tomo I. de Santa Cruce Libro II. Capite LVI. & Tomo III. Libro I. Capite tertio, & seqq. Lilia etiam apparent, & globi, & stellulæ, quibus nummos a Monetariis insigniri consuevisse, notum est compertumque.

Ad Familiarum insignia sermo redit, quæ nummis Patriarcharum seculi quartidecimi imposita cernuntur, Petri, Ottoboni, Pagani, Nicolai, Ludovici Turriani, Philippi Alenconii, Joannis de Moravia. Hos excipiunt Antonius Cajetanus, & Antonius de Portogruario, quorum nummos Scuta gentilitia diversa distinguunt. Fasciæ duæ, seu viperæ, ut ajunt, veru transfixæ, repræsentantur in Stemmate Cajetani. Simile prostat apud Ciaconium in Vitis Romanorum Pontificum & S. R. E. Cardinalium, Tomo II. editionis Romanæ anni 1677. ubi tamen longe diversum ab eo, quod nummi nostri exhibent, conspicitur gentilitium scutum Antonii de Portugruario, seu Pancerini.

III. Ad officinæ Monetariæ loca spectat postrema nostra animadversio. Frilaci in Carinthia ut cuderentur Aquilejenses nummi, post Poponem fortasse curarunt nonnulli Patriarchæ, nondum Aquilejæ, vel alio in loco Provinciæ Forojulienſis instructa Monetaria offici-

Digitized by Google

officina. Conjecturam ingerit ea nummorum *Freſachenſium* in vetuſtis Provinciæ chartis appellatio, quos eoſdem omnino cum denariis Aquilejenſibus oſtendimus Capite IV. Signatos percuſſoſque aliquando Venetiis hujuſmodi nummos, evincere videntur Alexandri Papæ IV. litteræ ad Gregorium de Montelongo, Capite 1. num. 2. deſcriptæ: quibus *juris cudendi monetam, quod ad Te*, (inquit Summus Pontifex,) *in Patriarchatu Aquilegenſi pertinet*, translatio, *uſque ad duos annos*, confirmatur, in *cives* nonnullos *Venetiarum pro certa pecuniæ quantitate*. Ad primos Gregorii Patriarchæ annos litteræ ſpectant, ad annum ſcilicet Chriſti 1255. ipſius Gregorii in Aquilejenſi Cathedra ſedentis quartum.

Poſitam Aquilejæ officinam, ibique cudi frequentius conſueviſſe nummos, ratio nulla dubitandi eſt. Rem apertiſſime teſtantur Tabulæ Capite VIII. numero 2. recenſitæ, quæ novæ Monetæ examen Aquilejæ factum complectuntur. Vel ea tamen in Civitate, vel in alio Provinciæ loco, pro arbitrio Patriarcharum, collocare officinam debuiſſe Monetarios, certos nos reddunt ipſæ Tabulæ Nicolai, & Ludovici ſucceſſoris, quas hactenus pro virili illuſtravimus. Verba ſunt: *Imprimis, quod ipſe Franciſcus* (Bonacquiſti de Florentia) *debeat facere, ſeu fieri facere, in Civitate Aquilegiæ, & alibi, ubicumque placuerit dicto Domino Patriarchæ, monetam iſtiuſmodi bonam & puram &c.*

Loca ſingula curioſius, ac diligentius perquirere, haud ego puto pretium operæ: neque conventionum Tabulas præſto habeo, quas adhibita diligentia ex Archivis eruere non adeo fortaſſe arduum negotium fuerit. Rimentur illas, & colligant alii. Exſtitiſſe in Civitate Utini Monetariam officinam, nullus dubito: quod etiam Tabulæ confirmant, extremo Dominationis Patriarchalis tempore, ſub Ludovico Techio, anno 1413. confectæ, novæ Monetæ examen exhibent, atque valoris publicam denunciationem. Eas vide, & conſule Capite III. num. 3. Hæc vero ſatis.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO ALTERA.

LECTORI BENEVOLO.

TERTIA publicam prodit in lucem, Lector humaniſſime, hæc mea *De Nummis Patriarcharum Aquilejenſium* opella, horis ſubſecivis pro conditione argumenti per otium elucubrata. Egeram ego de facultate Monetam argenteam cudendi, quam Poponi Patriarchæ anno 1028. fecerat Conradus, Imperator hujus nominis primus, in Monumentis Metropolitanæ Patriarchalis Eccleſiæ, quæ anno 1740 e typis emerſerunt, Regio Diplomate inter alia conlata beneficia deſcripto, vulgatoque. Pro methodo, quam mihi vetuſta recenſenti documenta propoſueram, Diploma Regium ut illuſtrarem, pauca adnotare de nummis Patriarcharum placuit, quantum inſtituto ſatis erat, cuſis videlicet, & non cuſis aut idealibus, parvulis item, majoribuſque certo illorum numero conſtantibus, eorumque demum nominibus, & valore. Ita nempe differebam Capite LIV. num. V. „ Fit Patriarchæ noſtro facultas, denarios argenteos cudendi, qui *Veronenſis monetæ denariis æquiparentur, niſi prænominatus Patriarcha ſua ſpontanea voluntate velit meliorare*. Hanc Poponi factam ſignandi meliores Veronenſibus denarios facultatem, intelligere præſtat peculiarem prærogativam, qua voluit ipſum cohonestare Imperator, ut propriam Aquilejenſes Patriarchæ monetam haberent, a communi Veronenſi diverſam .... Denarios ergo argenteos officina Patriarcharum cudebat, qui *Denarii Aquilejenſes* dicti ſunt. Nulli præſto habentur, qui hac ætate (poſt annum 1028.) percuſſi fuerint. Antiquiores, quos vidimus, ac Muſæa ſervant, (ita eo ſcribebam tempore,) Volcheri qui ſedem indeptus eſt Patriarchalem anno 1204. ætatem non excedunt ... Julianus in Chronico Forojulienſi ad Annum M. CC. LXXVII. denarios memorat, qui valebant *quatuordecim* nummis *parvulis*, alioſque valentes *ſexdecim*. Prior æſtimatio in uſu communi erat. Paſſim dicebantur *Frixerii*, & *Frixacbenſes*. Appellationis origo non conſtat ... Præter denarios, in Aquilejenſi provincia *Solidi* communi uſu adhibebantur, qui *duodecim parvulis* æſtimari conſueverant. An hujuſmodi ſolidos cuderet officina Patriarcharum, ſub judice lis eſt. Certo quodam numero, tum *denariorum*, cum *ſolidorum*, conſtituebatur Marca (nummus idealis:) illa 160. ſolidis. Quarta pars Marcæ dicebatur *Ferto*, ſeu *Forto*. Seculo quartodecimo, Ducati (vulgo *Zecchini*) expendebantur *in ratione LXIV. denariorum pro quolibet*, ut habent ejus ævi codices. Tum denarii, cum denariorum Marcæ, extremis dominationis Patriarcharum temporibus, ad infimum tenuemque valorem redacti fuerant. Vetuſti *Marcharum cenſus* hodieque vigent, qui ſolvuntur, numeratis pro qualibet Marca vel *octo libris Venetis*, vel *novem ac ſe-*

„ *lidis ſex & parvulis octo*: quod oritur diſcrimen „ ex duplici Marcarum genere, quarum altera *de-* „ *nariis Aquilejenſibus*, altera *ſolidis* conſtabat.

Hæc differueram paucis, fide innixus *Juliani in Chronico Forojulienſi*, ac *ejus ævi Codicum*, ut inquiebam. Inter cætera vetuſta monumenta, quæ plura collegeram, inſignis præſto mihi erat *Liber* MS. *Rationum Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini D. Ludovici* (Turriani) *Dei gratia Sedis Aquilegenſis digniſſimi Patriarchæ, qui nominatus eſt, Clarum me fac*: quo ſcilicet, anno 1360. & inſequente, utebatur *Theſaurarius, & Diſpenſator dicti Domini Patriarchæ, Venerabilis & ſapiens Vir D. Ambroſius de la Turre Canonicus Aquilegenſis*. Humanitati ſummæ Illuſtriſſimi D. Jo. Joſephi Liruti debeo, quod pretioſum iſtum vetuſtum autographum Codicem habuerim commodato, ex quo nota compertaque fiunt plura, ad negotium monetarium ſpectantia: ac præcipue *Frixacbenſes* nummos eoſdem fuiſſe omnino cum *denariis Aquilejenſibus* cuſis, adverſum Juſti Fontanini opinionem in Epiſtola *delle Maſnade*: Marcam etiam, apud Aquilejenſes pro nummo ideali, 160. denariis aliam, aliamque 160. ſolidis conſtantem: quartam partem Marcæ, vulgo appellatam *Fortonem*, aut *Fertonem*: valoremque demum denariorum, ſi comparatio fiat ad aureos Ducatos Venetos, *in ratione* poſitum *ſexaginta quatuor denariorum pro quolibet Ducato*, anno ſcilicet 1360. & inſequente. Quæ omnia ex eodem MS. Codice, aut verbis tenus deſcripta, aut certe pervio & facillimo ratiocinio deducta, proferebam ego.

Leviora tamen, ac nimium perfunctoria hæc mihi videbantur. Tabulas duas, quæ initas cum monetæ Præfecto conventiones complectuntur, ipſamque cudendæ monetæ (quod ad pondus attinet, notamque argenti) rationem exhibent, alteram Nicolai Patriarchæ, Ludovici Succeſſoris alteram, operæ pretium erat pro virili explanare. De argumento agebatur, quod ita obſcurum æquivocæ & inſolentes voces, implicatique loquendi modi reddebant, ut rei nummariæ peritis Viris, peritiſque nonnullis Monetariis, quibuſcum difficultates conferebam, hæreret aqua. Factum nihilominus, ut juſta demum elucubraretur Diſſertatio. Cudendorum nummorum, ſive qui *parvuli* dicebantur, ſive qui *denarii* parvulorum quatuordecim ſinguli, accuratiſſime, ut mihi videbatur, explorata ratio: ſeveriore item examine diſcuſſa quæſtio, num præter parvulos, ac præter denarios parvulorum quatuordecim ſingulos, cuderet *ſolidos* parvulis duodecim conſtantes Monetaria Patriarcharum officina: ſeries nummorum auctior, quam hactenus viſa fuerit, quinque Tabellis comprehenſa, typos eorum repræſentantibus: editi quoque nummi, Volcheri Patriarchæ ætate ſuperiores, qui in manus inciderant: ac demum veterum quamplurium ſyngrapharum fide, quæ arithmetica ratiocinia confirmabant, diligentius ac uberius ea pertractata ſingula capita, quæ

bre-

Digitized by Google

brevi compendio in Monumentis Aquilejenſibus perſtricta fuerant. Inter adverſaria jacebat in tenebris Opuſculum, quod anno 1747. lucem ut videret, Eminentiſſimus ac Reverendiſſimus Daniel Cardinalis Delphinus Aquilejenſis Patriarcha ſuaſit, aut etiam pro ſua juſſit auctoritate, cum ſummopere exoptaret, ut Prædeceſſorum nummi, quos in ditiſſimo ſervabat Muſæo, commentariolo explanati in publicum prodirent. Pro votis ejus, proque modulo meo factum ſatis videbatur.

Accidit vero, ut Opuſculi typis editi exemplum, ne meo deeſſem officio, tranſmitterem ad Reverendiſſimum Joſephum Binium, Eccleſiæ Glemonenſis Archipresbyterum: quod ipſe pro temporis & negotiorum opportunitate legeret, proque ſua antiquitatum Forojulienſium peritia ad examen vocaret, corrigeret, ſuppleret. Litteræ ab eo humaniſſimæ mihi redditæ fuerunt: ſimulque vetuſta Pagani Patriarchæ ſyngrapha tranſmiſſa, ut eam expenderem, quæ ſimiles eum monetæ Præfecto conventiones, ſex & viginti annos ante Nicolai Tabulas, ab eodem Pagano de cudenda moneta Aquilejenſi initas complectitur. Acriore quadam abreptus cupiditate, vetuſtum legebam monumentum: ſeria mentis attentione perlego, ſeverum voco ad examen, atque comparo diligentiſſime cum Tabulis Nicolai, & Ludovici Succeſſoris: factumque bene & auſpicato eſt, ut conjecturæ, quas priore in Diſſertatione ſubtimide protuleram, mirifice confirmarentur omnes, ac plenam in demonſtrationem, quin mea me fallat opinio, utique abeant.

Secunda, ac propitia favit etiam fortuna itineri, quod paullo poſt negotii cauſa in Provinciam Forijulii conficiendum mihi fuit. Diverſabar Utini, hoſpes humaniſſime exceptus ab ornatiſſimo Comite Franciſco Beretta: cumque piiſſimos Oratorii Neriani Sacerdotes pro officio inviſerem, inter plura vetuſta monumenta, quæ ab Illuſtriſſimo Domino Agricola de Agricolis accepta oſtendebat humaniſſimus Antonius Comoretus, veterem video membranam, quæ initas a Nicolao Patriarcha, primo indepti Patriarchatus anno, de cudenda moneta conventiones præſtat, Gubertini de Novate ipſius Patriarchæ Notarii & Cancellarii manu propria exaratam. Ad eas oculos, aciemque intendo conventiones, quæ præcipuæ ſunt: eaſque partim cum Pagani Tabulis convenire ſtatim intelligo, ac partim cum aliis ipſius Nicolai in priore Diſſertatione vulgatis. Pretium monumenti agnoſco, quod ſine mora tranſcribendum curo: indeque ſumpta occaſio, ac enata cauſa, quæ ad alteram iſtam *De nummis Patriarcharum Aquilejenſium* Diſſertationem elucubrandam, ac typis edendam impulit. Admonere præſtat, frequentiora arithmetica ratiocinia adhiberi debuiſſe, quæ omnia recte ſubducta crediderim: quod ſi error aliquis aut prælo errante irrepſerit, aut exciderit oſcitante calamo, nihil inde obventurum detrimenti fideas adſero, quod rei ſummam convellat, cum alia adhibita ſint argumenta plura, quæ luculentiſſime eam confirment.

Viros clariſſimos, qui ad hanc ſpartam ornandam contulere operam, quos ego noverim, tum honoris cauſa, tum ſua cuique ut laus conſtet, recenſere hoc loco mihi liceat. Marcus-Antonius Nicolettus, Patricius Forojulienſis, decimi ſexti ſeculi & inſequentis ſcriptor præſtantiſſimus, in Codice manu exarato, quem perilluſtris Familia ſervat, Italice inſcripto, *De' coſtumi, e leggi antiche de Forlani ſotto i Patriarchi*, ſic diſſerit: „ Si batteva la moneta or „ in Aquileja, or in Udine, nella Città del Friuli „ (Cividale,) in Gemona, in Soffumburgo (Caſtel„ lo,) in altri luoghi. Erano i *piccoli*, i *ſoldi*, il „ *danaro*, le *libre*, le *Marche*. La Marca contene„ va *lib.* 9. *ſoldi ſei*, *e piccoli* 8. E queſte erano „ Marche delle publiche affittanze, e delle gabelle: „ ma quelle de' particolari contratti d'alienazione, „ di doti, e di altre convenzioni non paſſavano *lib.* „ 8. E queſte pure ſi uſavano nelle condanne de' rei. „ Si batteva il *Fortone* di valore di 40 *danari*: ed il „ *Friſacbenſe*, il cui valore è incerto, come delle „ monete Trieſtine con un San Giuſto protettore di „ quella Città, e con un Veſcovo. Il *danaro* capiva „ un ſoldo, e due piccoli. „ Denarium, nummum argenteum apud Aquilejenſes cuſum, conſtanti valore nunquam immutato, æquaſſe quatuordecim parvulos Veronenſes, adnotaveram in Monumentis ſuperius laudatis, ac multiplici argumentorum genere confectum puto in edita priore Diſſertatione. Num ſolidos parvulorum duodecim ſingulos cuderet monetaria Patriarcharum officina, judicium peritioribus primum relinquebam, inficiantem poſtmodum ſententiam ſequutus ſum. Nummum, *Frixacbenſem* dictum, inter cuſas monetas vere numerat Nicolettus: at ipſum minime diverſum eſſe a denario, parvulis quatuordecim conſtante, ignoravit. Errat, cum *Fortonem* fuiſſe percuſſum nummum narrat: qui omni procul dubio idealis erat, & quarta pars Marcæ, idealis pariter nummi. Hæc apud Aquilejenſes *octo libras denariorum*, ſeu denarios 160. complectebatur: itemque *libræ octo ſolidorum*, ſive cuſi fuerint, ſive ad nummum idealem Marcæ redacti, Marcam conficiebant Aquilejenſibus communem. Hoc eſt, Marca prior *denariis* 160. altera *ſolidis* 160. conſtabat. At ſublatis demum denariis, eorumque in locum ſolidis dumtaxat invectis, Marcarum tamen ſpecies duæ manſerunt: *octo librarum ſolidorum* altera: & altera *novem librarum ſolidorum*, ac præterea *ſolidorum ſex*, *& parvorum octo*. Quod utique oritur diſcrimen ex duplici Marcarum ſpecie, quæ olim in uſu erat, *denariorum* altera, & altera *ſolidorum*. Duc'enim denarios 160. in 14. parvulos, (ut in priore Diſſertatione Capite VII num. III. inquiebam:) productum habes 2240. parvulorum. Hanc tribue ſummam per 12. (quot nempe parvulis conficiebatur ſolidus:) quotus eſt 186. ſolidorum, ac reſiduus parvulorum octo: qui libras conficiunt novem, ſolidos ſex, parvulos octo. Num vero hujuſmodi Marcarum uſus foret, quem Nicolettus narrat, dubium mihi: imo quamplurima, quæ in citata Diſſertatione congeſſimus, conventionum, ſive inter privatos, ſive cum Principe initarum, adverſantur Inſtrumenta.

Egit etiam de nummis Forojulienſibus Juſtus Fontaninus, poſtea Archiepiſcopus Ancyranus in Epiſtola *Delle Maſnade*, anno 1698. typis Venetis edita. Sub Nota 23. pag. 33. hæc habet Vir præclariſſimus: „ Le monete, che nel Friuli ſi uſavano . . „ erano di quattro ſorte, *Freſacbenſi*, *Friſſerii*, *da„ nari*, e *ſoldi*. I primi erano moneta arbitraria „ al par delle Marche .... I *Friſſerii* altresì erano „ moneta ideale. ... I *danari*, ch'erano la terza „ ſpezie delle noſtre monete, valevano più, e me„ no, (facta ſcilicet comparatione *ai danari Vene„ ti*, ut poſtea ſubdit, *di que' che oggi corrono*) „ Un di eſſi danari valeva *quatordici* monete *Vene„ ziani*, chiamate *piccoli*: e un *ſoldo*, ch' era la„

„ quar-

Digitized by Google

„ quarta ſpezie, ne valea *dodici*. „ Et pag. 38. „ „ Ora vengo alle *Marche*. Una di eſſe montava a „ *lire nove danari ſei e piccoli otto* .... Queſto però ſi „ deve intendere giuſta il prezzo, e l'uſo odierno „ della moneta Veneta: ſicchè una Marcha era „ formata di trentaſei danari Aquilejeſi in circa, „ mettendo la lor valuta rincontro di quella delle „ lire Venete moderne. „ Nimium a vero abludunt, quæ de Marca nummo ideali Fontaninus tradit. Virum peritiſſimum in tranſverſum egit hodiernus Marcarum uſus in provincia Forojulienſi: quarum altera, (haud pigeat dicta repetere,) octo libras Venetas: novem altera complectitur, ac inſuper ſolidos ſex, & parvulos octo. Quo tamen ex uſu, ſi attentiore mente is expendatur, pronum eſt colligere, Marcam libris octo, ſeu nummis 160. confectam eſſe: duplicemque fuiſſe apud Aquilejenſes, aliam denariis 160. aliam ſolidis 160. conſtantem: illamque proinde ad ſolidos redactam, æquaſſe libras novem ſolidorum, & ſolidos ſex, & parvulos octo: atque demum tum denarios illos, tum ſolidos intelligi oportere argenteos, qui eo tempore in uſu erant, longe differentes ab hodiernis Venetis nummis æreis. Alii ſunt Viri Clariſſimi lapſus: cum *Friſerium* a *Friſachenſi* diſtinguit, ac utrumque computat inter nummos ideales. Quos omnes tum paucis animadverſionibus in Monumentis Aquilejenſibus, anno 1740. editis; tum latiore ſermone, inconcuſſa veterum documentorum fide allegata, refutatos habes in Diſſertatione, quæ anno 1747. publicam lucem vidit.

Fontanini errata, nec levia, nec pauca, vidit caſtigavitque pro ea qua pollet ac præſtat peritia, Illuſtriſſimus Comes Jo. Rinaldus Carlius, publicus in Patavina Univerſitate Profeſſor, in Epiſtolari Diſſertatione, quam Italice ſcriptam anno 1741. die 29. Julii nuncupavit Nobili Viro Joſepho Binio, Archipresbytero Glemonenſi. Proſtat ea Tomo XXV. Collectionis Calogerianæ. Inſignem Codicem MS. *Rationum Ludovici Turriani* & ipſe ab Clariſs. Jo. Joſepho Liruto acceperat: ſciteque perceptis, ac rite adhibitis ratiociniorum exemplis, quibus Codex ille ſcatet, notum fecit compertumque, *Friſachenſes* nummos eoſdem fuiſſe cum *denariis Aquilejenſibus*, utroſque parvulis quatordecim conſtantes: denariis etiam ſexaginta ſupra centum confectam *Marcam* Aquilejenſem, nummum idealem, itemque *Fortonem* pro Marcæ quarta parte computatum: fuiſſeque demum in uſu *ſolidos*, quos tamen Aquilejenſis officina minime cuderet, & ſolidorum Fortones, & Marcas, & Libras. Egit etiam de valore denarii Aquilejenſis, ad nummos Venetos comparati: proque data occaſione, *Groſſos argenteos* & *Ducatos* aureos expendit ac illuſtrat, itemque *Florenos*. Laudatam epiſtolam Lector adeat, ut plura addiſcere, & adſequi poſſit.

Numerum claudit prolixius opus, quod Italice inſcriptum, *Della Moneta propria, e foreſtiera, ch' ebbe corſo nel Ducato del Friuli*, recentibus typis vulgavit jam ſæpe laudatus Jo. Joſephus Lirutus. In hoc opus Virum Clariſſimum incubuiſſe ante annum 1740. ſicuti certo novi, ita palam profiteor: ab eoque Syngraphas non paucas, quibus priore in Diſſertatione uſus ſum, mihi ſumma traditas humanitate, cum gratiarum actione, uti par erat, retuli ſæpius. Doctiſſimi Auctoris commentarium, ad exteros nummos quod attinet, neque paucis mea refert hoc loco perſtringere. De Aquilejenſibus, cuſis & idealibus, eorumque nomine, ac valore abſoluto, eadem ejus, ac noſtra ſententia eſt: neque enim vetuſtas Forojulienſes chartas perluſtrantibus diſſona inſidere opinio poteſt. Sicut olim opinabatur, ita opinari pergit adhuc, Monetariam Patriarcharum officinam, præter argenteos denarios parvulis quatuordecim conſtantes, ac parvulos ipſos, ſolidos etiam argenteos cudiſſe, qui duodecim parvulos valerent. Hoc primum inter nos in hocce monetario negotio, firmo animorum conſenſu manente, diſſenſionis caput eſt. Præcipua mihi priore in Diſſertatione cura fuit, (cætera namque ſcitu facillima, & obvia cuique erant,) ut Nicolai Patriarchæ, & Ludovici Succeſſoris Tabulas, quæ conventiones de cudendis nummis cum monetæ Præfecto continent, pro virili explanarem. Interpretationes, quas veras, aut veriſimillimas exiſtimabam, prior jam dicta præſtat omnes Diſſertatio. Hanc in Opere ſuo curam video a Liruto prætermiſſam, qui etiam Ludovici ſyngraphum, cum eam Capite VII. integram referat, *intelligi vix poſſe* pronunciat, *contradictionibus* quoque ſcatere, aut certe *librariis mendis* deformatam eſſe: quod alterum caput eſt litterariæ concertationis. Obſcuras ego, difficileſque, & implexas novi, ac fateor tum Ludovici Tabulas illas, tum alias Nicolai, alteram priore in Diſſertatione juris publici factam, & alteram mox evulgandam, tum antiquiores Pagani juſſu confectas: quæ tamen, cum omnes, ex Apographis aliquæ, ex Autographis aliæ deſumptæ, omnino conſonæ ſint, librarii mendi, quod irrepſerit, ſuſpicionem tollunt omnem. Hinc vero colligitur, nullam ineſſe Tabulis antilogiam: implicataſque formulas poſt accuratiorem mentis indaginem explanari poſſe, ac debere. Datis ego inhæreo interpretationibus: eiſque firmius ut hæream, novæ ſyngraphæ, quas in lucem profero, ſuadent, perſuadentque omnino. Si quid autem amplioris emolumenti ex opere novo perceperim, aut alio quovis, priores Magiſtros, vel Autores, a quibus addiſcere quidpiam licuerit, pro mihi impoſita lege, ſi quando alienis uti contingat, libens gratuſque patefaciam. Vale,

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

Pagani Patriarchæ Tabulæ, quæ initas de cudenda moneta Aquilejensi conventiones continent. Animadversiones. Sedis Aquilejensis, quam Paganus indeptus est, diligentius perquiritur initium. Ejusdem, aliorumque e Gente Turriana Patriarcharum genealogia. pag. 177

CAPUT II.

Aliæ sub Nicolao Patriarcha initæ de cudenda moneta Aquilejensi conventiones, primo indepti Patriarchatus anno. Earumdem comparatio cum supra descriptis Pagani, aliisque posterioribus ipsius Nicolai conventionibus. Animadversiones. 183

CAPUT III.

Nummi cusi apud Aquilejenses, tum parvuli, tum denarii parvulorum quatuordecim singuli: itemque nummi ideales, Marca, Forto, Libra. Marcum, sive Marcam pondus, conficiebant unicæ octo, quæ certa argenti boni quantitate, cum materia inferiore immiscendi, constabant. Ex unoquoque Marco plures, vel pauciores conficiebantur Solidi ideales, ex duodecim nummis cusis, sive parvulis, sive denariis, compositi. 186

CAPUT IV.

Marci pondus octo definitum unciis fuisse in officina Monetaria Aquilejensi, solidumque idealem ibidem adhibitum, evincitur denariorum, qui cudebantur, examine in pondere. Varium colligitur denariorum pondus, qui sub diversis, sub eodemque Patriarcha, cudebantur. Eamdem Marci quantitatem, nummorumque idealium usum probat ipsorum denariorum examen in igne. Rem utramque confirmat monetæ parvæ examen in pondere, & in igne. 190

CAPUT V.

Nummi in Provincia Forijulii Frisachenses dicti, non ideales, sed cusi: iidemque, ac denarii parvulorum quatuordecim singuli. Hisce denariis majores alios, minoresque cudebat Monetaria Patriarcharum Officina. Argenti ibidem adhibiti nota, gradusque indagatur. De lucro, quod ex cusione monetæ Patriarchis obveniebat. 194

CAPUT VI.

Denariorum Aquilejensium valor, comparatus ad Venetum Ducatum aureum vulgo Zecchino, itemque ad Florenum. Idem comparatus ad solidos in aliis Monetariis officinis cusos. Grossi Veneti valor, non idem, sed varius. Computatio parvorum, & grossorum ad aurum, ut inquiunt, explicatur. 198

CAPUT VII.

Solidos, parvulorum duodecim singulos, florente Patriarcharum dominatione, non cudebat Monetaria Aquilejensis Officina. Solido tamen ideali adhibito, fieri contractus venditionum, & emptionum, similesque consuevere. Usus etiam solidorum permissus, quos aliæ officinæ cudebant. Earumdem solidorum exempla. Solidi vox aliquando accepta pro denariis Aquilejensibus, parvulorum quatuordecim singulis. 204

CAPUT VIII.

Extremo dominationis Patriarcharum tempore agi primo cæptum de mutanda Aquilejensi moneta: unde validissime opinio confirmatur, quæ negat, solidos in Aquilejensi officina monetaria, superiore ætate cusos. Capta demum deliberatio, ut solidi cuderentur, non denarii: quod utique factum. 210

Digitized by Google

DE NUMMIS PATRIARCHARUM AQUILEJENSIUM

DISSERTATIO ALTERA.

CAPUT I.

Pagani Patriarchæ Tabulæ, quæ initas de cudenda moneta Aquilejensi conventiones continent. Animadversiones. Sedis Aquilejensis, quam Paganus indeptus est, diligentius perquiritur initium. Ejusdem aliorumque e Gente Turriana Patriarcharum genealogia.

I. MOnetarium Aquilejensium Patriarcharum negotium novis ego curis dum illustrare adgredior, Pagani Patriarchæ Tabulas, aliasque Nicolai primo Patriarchatus ejus anno scriptas nunc primum in lucem profero, ut quæ de cudenda moneta Aquilejensi ævo illo iniri consueverant, in ipsis contentas vetustis syngraphis legere, & expendere eruditus cupidusque antiquitatum nostrarum Lector valeat conventiones. Suo ipse studio, perque seipsum instituto veterum monumentorum examine, par sine dubio fuerit, (quod inde emolumenti facile obventurum confidimus,) de interpretationibus nostris, quibus priore in Dissertatione similes laudati Nicolai Patriarchæ, & Ludovici Successoris Tabulas exposuimus, judicio pro sua æquitate ferendo: num obscurissima verba, & implicatissimas formulas exponentes veritatem ipsam adsecuti simus, aut propius attigerimus. Accipe primo loco Pagani syngraphum, ex *notis Eusebii de Romagnano*, qui Cancellarii munere sub eodem fungebatur, in Archivo Civitatis Utini adservatis desumptam.

„ Anno Dominice Nativitatis MCCCXXX. „ Indict. XIII. die X. Mensis Maii, in predicto Palatio Civitatensi: presentibus testibus, „ Venerabilibus Viris DD. Fratre Johanne „ Abbate Monasterii Rosacensis, & Petro Mora de Mediolano Rectore Ecclesie S. Marie „ de Turre Mediolanensis Diocesis, Vicariis „ suprascripti Domini Patriarche: & D Odorico de Strasolto Plebano Lavariani, D. Guilelmo de . . . . Magistro Gualterio de Civitate, Gasparino de Novate habitante in Utino, & aliis. Venerabilis Pater D. Paganus Patriarcha predictus dedit Discreto Viro „ Thomasio filio quondam Domini Pini de „ Anellis de Parma, recipienti pro se, & Petro fratre suo, Bentiviene, Mano, Pacino „ de Florentia cive Parmensi, & aliis quos sibi „ associare voluerint, ad cudendam monetam „ novam, quam idem Dominus Patriarcha „ vult facere de novo in Civitate Aquilegie: „ & cum eodem Thomasio, suo nomine, & „ predicto, convenit pactis & stipulationibus „ infrascriptis. Videlicet:

„ 1. Quod idem Thomasius pro se, & predictis Sociis promisit eidem Domino Patriarche, cudere monetam in Aquilegia per annum continuum & completum, incipiendum „ a Festo S. Michaëlis proxime venturo, bonam & puram Frixachensem: scilicet de „ unciis quinque, & quarteriis tribus, & dimidio boni & puri argenti pro quolibet Marcho. De qua moneta debent esse in quolibet „ Marcho solidi XVIII. numero, & pondere: „ & ponderati & coëquati singuli denarii ipsius monete, quando inciduntur & cuduntur. „ Nec expendatur de ipsa moneta, nisi prius „ de quacumque scossa fiat sazium in pondere, „ & in igne.

„ 2. Quod sazium debet esse de uno Marcho in pondere, & de uno quarterio uncie „ in igne. Debent enim decem & octo Solidi „ in pondere facere Marchum: quod si essent „ denarii quatuor plus, aut quatuor minus, „ comprobentur boni denarii. Si autem fue-

„ rint

„ rint quatuor plus, teneantur in ſequenti „ ſcoſſa eos facere de quatuor minus, & e„ converſo. Quod ſi aliter reperiretur mone„ ta, que facta foret contra talem formam„, „ iterato debeat in ignem mitti, & iterum„ „ fundi & meliorari.

„ 3. Item quod ipſe Thomaſius, & Socii „ teneantur, & debeant facere, vel fieri face„ re ſazium in igne de uno quarterio uncie„, „ quod eſt grana centum quadraginta quatuor „ pro quarterio: & debeant reddere pro quar„ terio de argento predicto grana centum„ „ quinque, & tres tertiarios grani, & dimi„ dium Et ſi reperirentur grana duo plus, „ vel minus, approbentur boni denarii. Et ſi „ fuerint duo minus, teneantur in ſequenti „ ſcoſſa facere duo magis: & e converſo. Quod „ ſi contrafieret, debeat dicta moneta iterato „ in ignem mitti, & meliorari.

„ 4 Item teneantur, & debeant dare & „ reddere prefato Domino Patriarche, vel ejus „ Factoribus, de qualibet Marcha denariorum, „ quos fecerint, ſolidos quatuor parvorum„, „ dandos & ſolvendos eidem, quotiens ſcoſ„ ſam fecerint. Item quod ipſe Dominus Pa„ triarcha teneatur, & debeat dictis Magiſtris „ monete preſtare domum, in qua fieri faciant „ ipſam monetam, & hoc in civitate Aquile„ gie Item quod teneatur facere banniri om„ nes alias monetas: & quod nullus preſumat „ emere, vel vendere, vel aliquod forum fa„ cere, niſi in predicta moneta; ita quod te„ neatur mittere Dominis, & Communibus to„ tius Iſtrie, ut predicta moneta poſſit in di„ ctis locis expendi, velut in Civitatibus & „ locis Forijulii, ideſt cum eodem curſu.

„ 5. Item quod dicti Magiſtri monete te„ neantur, & debeant habere unum Sazatorem „ ad aſazandum dictam monetam, que fiet. „ Qui quidem Sazator debet eſſe ſalariatus per „ eoſdem Magiſtros. Item quod prefatus Do„ minus Patriarcha teneatur habere unum *Su„ perſtantem* apud dictos Magiſtros, qui con„ tinue videat, vice ipſius Domini Patriarche, „ & teneat omnes denarios, ſicuti fient de„ die in diem, in poteſtate ſua; donec de eis „ fiat ſazium, ut predicitur, & ſimul cum„ „ Sazatore & quacumque perſona voluerit, „ examinet & provideat dictam monetam in„ „ omni ſcoſſa, ſi ſit ut eſſe debet: alioquin„ „ non expendatur, ſed iterum in igne mitta„ tur.

„ 6. Item quod dictus Dominus Patriarcha „ teneatur ſecurare, & ſecuros facere Magi„ ſtros predictos, & omnes ſuos familiares, „ per totum diſtrictum ipſius Domini Patriar„ che; ita quod poſſint ſecure cum argento, „ moneta, & mercandaria ire per omnes civi„ tates, & loca ſua, & ſtare ac redire abſque „ ullo dampno. Quod ſi contingeret, tenea„ tur de Camera reſtituere, ſi aliter ablatum„ „ recuperare non poſſent: dum tamen dicti „ Magiſtri, vel ſui familiares petant licentiam „ ab ipſo Domino Patriarcha, vel alio ſeu aliis, „ quem vel quos ad hoc deputaverit.

„ 7. Item quod dicti Magiſtri teneantur ha„ bere, & tenere continue in ipſa moneta li„ bras ducentas Venetorum groſſorum ad mi„ nus; cum ita additione, quod ſi impedi„ mentum aliquod ſuperveniret aut de guerra, „ aut de infirmitate Magiſtrorum monete, aut „ ex defectu recuperandi argenti, ſeu alio quo„ cumque impedimento legitimo, videlicet ex„ pediendi monetam, dummodo continue pre„ dicta ſumma librarum CC. groſſorum tam„ „ in argento, quam in moneta ſit in dicto ope„ re, ad illud non teneantur.

„ 8 Item quod dicti Thomaſius, & Socii, „ vel unus aut duo ipſorum cum Magiſtris ip„ ſius monete, teneantur ſtare continue in ci„ vitate Aquilegie, vel alios dimittere loco „ ipſorum ibidem: & continue facere laborare „ dictam monetam bene, & legaliter, ſecun„ dum curſum conſuetum.

„ 9 Item quod dictus Dominus Patriarcha „ teneatur facere preconizari, & banniri per „ totum Forumjulium, & diſtrictum ſuum„: „ quod nullus portare preſumat extra Forum„ julium aliquod argentum, ſeu Bolzonum„, „ ſub pena perdendi illud argentum: cujus „ pars tertia ſit ipſius Domini Patriarche, alia „ tertia accuſatoris, & reliqua tertia dictorum „ Conductorum & Magiſtrorum. Item quod „ quilibet portans argentum dictis Conducto„ ribus & Magiſtris, ſeu ad fabricam monete, „ aut bolzonos, poſſit ire, venire, ſtare, & „ redire per totum Forumjulium, & juriſdi„ ctionem ipſius Domini Patriarche predicti, „ cum perſonis & rebus eorum tute, & abſ„ que eo quod moleſtentur, vel moleſtari poſ„ ſint occaſione aliquarum repreſſaliarum, vel „ aliarum cauſarum, que dici vel cogitari poſ„ ſent; dummodo non ſint rebelles, vel ini„ mici ejuſdem Domini Patriarche.

„ 10 Item quod dicti Conductores, & Ma„ giſtri habeant auctoritatem faciendi cudi par„ vulos, qui ſint de liga quinque quarterio„ rum argenti fini pro Marcho ... ſolidos duos „ plus, vel minus, approbentur boni. Et fiat „ ſazium de uno quarterio ipſorum, in quo

„ de-

Digitized by Google

„ debent esse grana XXII. & dimidium argenti
„ fini: & si essent duo plus, vel minus,
„ similiter boni reputentur. Et dare debeant
„ de lucro ipsi Domino Patriarche pro quoli-
„ bet Marcho Sol. I. parvorum. In quo Mar-
„ cho veniant de ipsa moneta, & sint in nu-
„ mero lib. tres, & duo sol.

„ II. Item fuerunt in concordio ipsi,
„ Dominus Patriarcha, & Conductores,
„ quod si ipse Dominus Patriarcha voluerit,
„ ut faciant alias monetas a predictis, quod
„ eas facient de predicta prima liga Frixa-
„ chen. & respondebunt eidem Domino Pa-
„ triarche de lucro pro quolibet Marcho,
„ prout respondebunt de ipsis Frix. prout
„ majores, vel minores essent denariis &c. „

II. Animadversionibus nonnullis liceat mihi ante illustrare superiores Pagani Patriarchæ Tabulas, quam ipsam monetæ Aquilejensis cudendæ rationem in eisdem constitutam diligentius expono. Datam syngraphamlegimus *anno MCCCXXX. Indictione XIII. die X. Mensis Maji*, sex nimirum & viginti integris annis ante consimilis negotii Tabulas, Nicolao Patriarcha jubente confectas *anno MCCCLVI. Indictione VIIII. die XVIII. Mensis Octobris*, quas priore in Dissertatione pro modulo explanare curavimus. Satis vero temporis inter utrumque Patriarcham effluxit, ut quas mutationes Aquilejensis moneta subiit, adeoque diversas quæ statui conventiones de illa cudenda ac feriunda debuerunt, sive pondus consideres, sive gradum argenti, per conjecturam in eadem indicatas Dissertatione, tuto jam deprehendere, certoque definire possimus, ut infra dicendum. Morabatur tunc Paganus Patriarcha *in Palatio Civitatensi*, hoc est, *Civitatis Austriæ*, vel *Civitatis* absque adjecto, vel demum *Forijulii*: quod postremum nomen, Romanis Italiæ dominatoribus, ac deinceps obtinuit ad plura secula; negligi cœpit Barbaris rerum potientibus, ac omnino siluit ævo medio, invecto scilicet *Civitatis Austriæ* nomine; majorumque demum nostrorum ætate, veluti postliminio reversum, frequentius usurpari consuevit.

Monetam publicam, quam ut cudi facerent, facultate & privilegio post Poponem ab incepto undecimo seculo potiebantur Patriarcæ Successores, locat Paganus *Thomasio filio quondam Domini Pini de Anellis de Parma, & Petro fratri ejus* ac sociis, inter quos nominibus suis appellantur *Bentiviene*, *Manus*, *Pacinus de Florentia civis Parmensis*. Exteros etiam homines ad idem opus perficiundum conductos, ex monumentis remotioris & sequioris ævi addiscimus, quæ loco jam citato in lucem prolata sunt. Jus cudendi monetam Aquilejensem anno 1255. concesserat Gregorius de Montelongo *Matthæo dicto Tervisin, Johanni & Marino Zorzani, & Nicolao Venerio, civibus Venetiarum*. Syngrapham Nicolai Patriarchæ dabimus capite sequente, primo ejus Patriarchatus anno, Christi 1351. exaratam, ubi Magister Monetæ constituitur *Zilius quondam Zanobii de Florentia*. Aliæ prostant laudati Nicolai Tabulæ, quas *anno* 1356. *Indictione 9. die* 18. *Mensis Octobris* datas legimus: quæ Magistrum monetæ exhibent *Franciscum Bonaquisti de Florentia, commorantem in Venzono*. Eodem anno incepto, *die* 20. *Mensis Februarii* Charta scripta fuit, in qua Monetam *cudisse in Aquilegia* dicitur *Magister Zacchettus q. Bindi Scandalionis de Luca*. Ludovici Turriani Successoris syngrapha, *an.* 1359. *Indictione* 12. *die* 19. *Mensis Octobris* confecta cudendæ monetæ præfectum prodit, laudatum *Franciscum Bonaquisti de Florentia commorantem in Venzono*. Quibus in locis *Bonaquistum* non esse pro cognomine accipiendum, sed esse nomen patris, certo docet *Liber MS. Rationum Ludovici Turriani*, inscriptus, *Clarum me fac*, qui *ad Ambrosium de la Turre, Canonicum Aquilegensem*, ejusdem Ludovici Patriarchæ *Thesaurarium & dispensatorem* pertinebat. Verba quippe legimus: *Item magisterium, & fabricatio monetæ Aquilensis concessa fuit* (anno 1361.) *ad certum tempus Francisco, & Stephano fratribus quondam Bonaquisti de Senis*. Dicitur *de Senis* Bonaquistus, de *Florentia* Franciscus: unde civitatem, & sedem mutavisse videtur filius.

Litteræ accedunt, quas Justus Fontaninus, postea Archiepiscopus Ancyranus, in Epistola *delle Masnade* Venetiis anno 1698. apud Hieronymum Albritium typis vulgavit, abs *Zanobio Monetario de Giaceto de Florentia Utini habitante*, jussu Antonii Cajetani Patriarchæ, anno 1399. datæ *Nobili Viro Johanni de Rabata, Honorabili Capitaneo Goritiæ Majori*. Novum *Monetarium* vides advenam, exterumque hominem. Is *Utini habitans* dicitur, & Franciscus Bonaquisti *commorans in Venzono*: qui scilicet ex patria, prævalentibus turbis, expulsi, aut alia de causa migrantes, quæsiverant sedem in provincia Forijulii. Familiam Dominorum de Diacerto (locus est, sive castellum, unde sumptum cognomen invaluit,) plurima eruditione exornat Scipio Ammiratus

Digitized by Google

in Nobilibus Familiis Florentinis, ubi hæc habet: *Zanobi di Pagolo*, (*di Mignajo, di Recco da Diaceto*,) *visse alcun tempo in Udine città del Friuli, dove ebbe beni, veggendosi ebe una casa grande, dove si faceva la Zecca, era sua*. An etiam Thomasius Magister monetæ sub Pagano Patriarcha, ac Pinus de Anellis pater ejus, atque Zilius quondam Zanobii de Florentia sub Nicolao, in Forojulii sedem fixerint, & alicubi civitate in eadem donati fuerint Provincia, vetusta præsto mihi non sunt monumenta, quæ doceant.

Locationis præfatæ tempus definitur *annus continuus & completus*, inchoandus *a Festo S. Michaelis proxime venturo*: quod etiam spatium temporis constitutum legimus in Codice MS. *Rationum Ludovici Patriarchæ*. Ad annum 1361. hæc verba occurrunt: *Concessa fuit cusio, & magisterium monetæ Aquilegensis Francisco Bonaquisti de Florentia a die Omnium Sanctorum ad unum annum immediate sequentem*. Sed anni *duo* numerantur in Tabulis, quibus *jus cudendi monetam*, quod Gregorius de Montelongo civibus quibusdam Venetis *pro certa pecuniæ quantitate* anno 1255. concesserat, firmum ratumque habet Alexander Quartus, Summus Ecclesiæ Christianæ Pontifex.

Ministros plures, ea curantes quæ ad monetam spectabant, exhibent superiores Pagani, aliæque Nicolai, & Ludovici Successoris syngraphæ. Præter ipsos opifices, distinguuntur *Magistri monetæ*, seu cudendæ monetæ præfecti, quibus etiam ipsa moneta publica Aquilejensis locabatur: ideoque vocabantur *Conductores*. Annuo statuto stipendio peritus homo conducebatur, cujus erat signatos cusosque nummos exigere ad normam; examen scilicet instituere, num juxta conventiones, quod attinet ad pondus gradumque argenti, percussi fuerint. In tabulis appellatur *Sazator*, Italice *Saggiatore*: quæ vox ex antiqua latina voce *exagium* profecta est, doctissimo animadvertente Muratorio contra Menagium. Præpositum denique, mercede pacta, constituebat Patriarcha, dictum *Custodem*, & *Superstantem*: qui monetarium urgebat opus, Magistris monetæ advigilabat, cusosque nummos custodiebat sub clavi; donec ipsi, instituto peractoque examine, adprobarentur boni.

III. Conventiones istas Paganus init, tertius ex antiqua & nobilissima Turrianorum gente Patriarcha Aquilejensis. Metropolitanæ Patriarchalis Ecclesiæ sedem ab anno 1273. ad annum usque 1299. tenuit Raimundus Turrianus. Petro Gerra immediato Successore vita functo, *anno* 1301. *Capitulum Aquilegense* (verbis utor Juliani in Chronico Forojulienſi,) *convenerunt de electione facienda in festo Beati Matthiæ Apostoli* (die 24. Februarii:) *& elegerunt omnes Canonici Dominum Paganum de la Turre, nepotem quondam Domini Raymundi Patriarchæ, Decanum Aquilegensem: exceptis Domino Jacobo Episcopo Concordiensi, & Gyllone de Villalta Archidiacono Aquilegensi, & Odolrico de Glemona Canonico Aquilegensi, qui postulaverunt Dominum Ottonem de Ortumbruch Præpositum* ... Utramque electionem, & postulationem, irritam declaravit Bonifacius Papa VIII. qui *anno Domini* 1302. *penultimo de Mensis Martii, contulit Patriarchatum Aquilegensem Domino Ottobono, tunc Episcopo Paduano: & Episcopatum Paduanum Domino Paganino*, (quo etiam nomine vocari Paganus consueverat,) *Decimo Aquilegensi, electo in Patriarcham, existenti in Curia Romana super quæstione ipsius Patriarchatus*.

Patavinæ Sedis, quam ipse Paganus indeptus est, primordia refert Ughellus ad *diem XVI. Kal. Maii*, seu 17. Aprilis. Vitam cum morte commutavit Ottobonus Patriarcha, Juliano teste, *anno Domini* 1315. *die* 13. *Januarii*: vacavitque Metropolis Aquilejensis ad annum usque 1316 cujus postrema die, 31. Decembris, Patriarchales insulas obtinuit Castonus Turrianus. Juliani accipe verba: *Anno Domini* 1317. *Sanctissimus Papa Johannes* (XXII.) *ad preces Regis Roberti* (Siciliæ Regis,) *dedit Patriarchatum Domino Castono de la Turre*, (Archiepiscopo Mediolanensi, patria & Ecclesia sua expulso,) *in Festo S. Silvestri*, ultima die Decembris. Annum auspicari solet Chronista a Nativitate Domini, die 25. Decembris: unde Patriarchalem Castono conlatam dignitatem intelligimus postrema anni Juliani 1316. die, stylo novo.

Castoni obitum ante initam Ecclesiæ suæ possessionem, successionemque Pagani narrare pergit laudatus Julianus his verbis: *Anno Domini* 1318. *die* 12. *exeunte Augusto* (seu die 20. ejusdem Mensis,) *Dominus Castonus Patriarcha, veniendo Florentiam in Forumjulii, obiit & ibi sepultus est*. *Anno* 1319. *Sanctissimus Papa Johannes* (XXII.) *providit de Patriarchatu Aquilegensi Domino Pagano Episcopo Paduano*. Tribus, quos memoravimus, e Turriana gente Patriarchis quartus accedit Ludovicus, qui Aquilejensem rexit Ecclesiam

Digitized by Google

ſiam ab anno 1359. ad annum 1365.

Annum translationis Pagani numerat Julianus 1319. diemque addit Ughellus *X. Kalendas Aprilis*. In Patavinis Tabulis adnotat ille: *retentum etiam* ab eodem Pagano *per duos annos, ex Apoſtolicæ Sedis permiſſu, Eccleſiam Patavinam*. Rem ego veriſſimam enarro, quam patefaciunt Acta in quadam controverſia, ex authenticis monumentis in Utinenſi Archivo adſervatis deprompta. Nimirum *anno* 1319. die *XI. & XXIII. Menſis Februarii*, dieque *XVIII. Martii*, & *I. Aprilis*, inſcriptus Paganus legitur *Epiſcopus Paduanus, & Adminiſtrator Eccleſiæ Aquilejenſis*. Eodem anno *die XVI. Aprilis*, itemque *die XV. & XVIII. & XXI. Maii* dicitur *Electus*, nempe Aquilejenſis, & *Adminiſtrator* Eccleſiæ ſine dubio Patavinæ. Die *XXIII.* inſequentis *Julii* nuncupatur *Electus*, ſimulque diſertiſſime *Adminiſtrator & gubernator Epiſcopatus Paduani*: dieque *VII. Auguſti*, & *XII. Novembris*, & *anno* 1320. *die XIII. Februarii*, & *XXIV. Martii* inſcribitur hoc modo, *Electus &c.* Eodem demum anno 1320. *die XXVIII.* ejuſdem *Martii* appellatur *Patriarcha Aquilegenſis*: ſuſceptoque Pallio, conſuetum fidelitatis juramentum emittit. Hæc paucis commemoro, quæ ſermone latiore in Additamentis ad noſtra Eccleſiæ Aquilejenſis Monumenta refero, & explano.

IV. Quo invicem nexu ſanguinis, Turriani præfati quatuor Patriarchæ conjungerentur, diſpendium operæ non fuerit perquirere. Non una Scriptorum vox eſt. Paganum, quo de agimus, appellat Julianus loco primum citato, *nepotem quondam Domini Raymundi Patriarchæ*. Synchrono probatiſſimo Scriptori fidem integram cur non adhibeamus? Favent Ughellus in Tabulis Aquilejenſibus & Patavinis, Jo. Franciſcus Palladius de Olivis in Hiſtoria Forojulienſi, & Jo. Joſephus Capodaleus in Civitate Utini illuſtrata, Paganum adſerentes *filium Cavernæ*, ſeu Cavernarii, qui *Raimundi Patriarchæ frater*. Ipſum vocat ejuſdem Raimundi *patruelem* Antonius Bellonus in Vitis Patriarcharum; non eo quidem ſenſu, ac ſi Raimundus, & Paganus duorum fratrum filii forent: verum quia Pagano *patruus* erat Raimundus, ideſt frater patris. Hanc nominis acceptionem exemplum confirmat, quod in Additamentis ad Gloſſarium Ducangii legitur: „ *Patruolus*, fra„ tris ſeu ſororis filius. Chron. MS. Reg. „ Francor. *Et ex ſtatim a Ludovico fratre* „ *ſuo, eoque ipſo inconſulto & invito, impe*„ *rium ſui Patruoli, ſeu nepotis uſurpavit*. „ Hinc ſine dubio decepti Proſper Mandoſius, & Julius Ambroſius Lucentius, qui ſuis in Notis ad Ughellum, Caſtonis Patriarchæ, non Raimundi, nepotem fecere Paganum: quibus demum opponere ſatis fuerit Auguſtinum Lampugnanum in Monumentis, ac Stemmate Turrianorum.

Locum etiam, quem in Stemmate ipſe Raimundus Patriarcha teneat, dubium efficiunt Scriptores. Apud Aloyſium Tattum in Annalibus Comenſibus ad Annum MCCLXI. nonnullis Raimundus dicitur *frater Martini Domini Mediolanenſis*, aliiſque *nepos*, & aliis *filius*. Vocat ipſum Ughellus in Tabulis Aquilejenſibus *filium Pagani*, & in Comenſibus *Martini filium*. Priorem Ughelli ſententiam confirmant Bernardinus Corius, Leander Albertus, Franciſcus Sanſovinus, Auguſtinus Lampugnanus: quos ſequuti ſunt Forojulienſes Scriptores, Palladius, & Capodaleus. Eadem proſtat genealogia in Annalibus Mediolanenſibus, qui ad annum Chriſti 1402. pertingunt, Tomo XV. Muratorianæ Scriptorum Italiæ collectionis. Locum integrum, qui partem ſtemmatis nobiliſſimæ Gentis exhibet, profero ex capite XII. „ *Martinus Giganteus*, „ qui in quodam paſſagio pro defenſione fidei „ Chriſtianæ martyr Chriſti effectus eſt (anno „ æræ vulgaris 1148.) De iſto Martino natus „ eſt *Jacobus*: (filium alterum addunt alii „ *Paganum*.) De Jacobo nati ſunt tres filii, „ ſcilicet *Paganus* (Mediolani Dominus anno „ 1240.) & *Jacobus*, & *Antimanus Archi*„ *presbyter*. (Loco Antimani habent alii „ Joannem.) De Pagano nati ſunt ſex filii: „ ſcilicet *Hermannus*, *Napus*, *Franciſcus*, „ *Carnevà*, *Raymundus* Patriarcha Aquilejen„ ſis, & *Paganinus* qui fuit interfectus in „ Vercellis (anno 1266.) De Jacobo nati „ ſunt duo filii: ſcilicet *Martinus Magnus*, „ (Dominus Mediolani anno 1256.) & *Phi*„ *lippus Magnus*, (Dominus Mediolani an„ no 1264. poſt obitum Martini, vita functus „ anno inſequente 1265. „) Partim convenit Gualvaneus de la Flamma, partim differt: ſibique ipſe adverſatur in Manipulo Florum. Ad annum 1273. Raimundum noſtrum, primum Comi Epiſcopum, tum Patriarcham Aquilejæ, vocat *fratrem Napi*, adeoque filium Pagani: ipſumque ad annum 1263. appellaverat *fratrem Martini Domini Mediolani*: quod oppido falſum, niſi fortaſſe *fratrem patruelem* intellexerit Auctor, *fratel-cugino*. Jamvero Stemmatis partem accipe, quæ pro-


latis

latis monumentis innititur, alliſque inferius indicandis. (*)

Nobiliſſimæ ſtirpis originem penitius introſpicere nec libet, nec vacat. Muratorius in Annalibus Italiæ ad Annum 1171. ex Puricellianis Baſilicæ Mediolanenſis monumentis profert *Ardericum de la Turre*, Mediolanenſem hoc anno Conſulem, ex quo fortaſſe Turriani deſcenderint, qui potentiſſimæ urbi dominati ſunt. Hanc ego rem prætermitto. Interim Raimundum Patriarcham vides fratrem patruelem Martini & Philippi, qui *Magni* cognomentum habuere: fratremque germanum Napi, & Carnevarii, ac patruum Pagani Patriarchæ, qui ejuſdem Carnevarii filius. Martinus Magnus obiit improles, ut in præfatis Annalibus Mediolanenſibus ad Annum 1262. & 1263. legitur. Philippo pariter Magno *filiam* peperit uxor ejus *ex illis de Niguarda*, teſte Gualvaneo Flamma ad Annum 1263. & *filium* dictum *Salvinum* uxor alia *ex illis de Birago*. Napi *filium Caſſonum* legimus in Manipulo Florum ad Annum 1275. & inſequentem: itemque ad Annum 1277. *filium Muſcam*, quem alii *Conradum* vocant. Ad eundem annum memorant Annales Mediolanenſes *Franciſcum de la Turre cum Guidetto*, ſeu Guido, *ejus filio*: ac etiam *Carnevà* ſeu Carnevarium *cum duobus ſuis nepotibus*, ſcilicet *Herech*, *& Lombardo*, filiis Hermanni, qui ejuſdem Carnevarii frater. In Manipulo Florum ad Annum 1315. *Zunfredus* de la Turre, qui eodem anno interfectus periit, dicitur *Pagani Patriarchæ Aquilejenſis frater*: quorum nempe genitor Carnevarius.

Caſtonis Patriarchæ parentem, quem Muſcam dicimus, ſequens patefacit ſepulchralis in Templo Aquilejenſi Epigraphe: *Hic jacet Nobilis Domina Alegrantia, nata de Raude de Mediolano, uxor Nobilis Viri Domini Muſcæ de la Turre, Mater Domini Caſtonis bone memorie Patriarche Aquilegenſis*. Conſobrinos ejus, fratreſque germanos aliquos recenſent Annales Mediolanenſes, & Gualvaneus de la Flamma. In illis ad Annum 1309. hæc habentur: *Guido*, ſeu Guidettus, *cepit Caſtonum Archiepiſcopum* (Mediolanenſem anno ſuperiore renunciatum, poſtea Aquilejæ Patriarcham,) *conſobrinum ſuum, & tres fratres ejus*. Suis nominibus tres iſti fratres in Manipulo Florum ad Annum 1308. appellantur *Paganinus* ſeu Paganus *de la Turre*, *& Eduardus*, *& Muſchinus fratres ejus*. Vetuſtas chartas poſſideo ad annum 1317. pertinentes, qui *fratrem* ejuſdem Caſtonis produnt *Raynaldum*. Hinc liquet apertiſſime, Mandoſium, & Lucentium erraſſe, qui Caſtonem fecere patruum Pagani Patriarchæ.

Ad Hermanni, qui Raimundi Patriarchæ frater, ſtirpem ſpectat Ludovicus, quartus ex Turriana gente Aquilejæ Patriarcha. In ſtemmate, quod exhibemus, filius eſt Raimundi, nepos Lombardi, pronepos Hermanni in linea recta. Hanc Stemmatis partem deſumpſimus ex Opere inſigni, quod inſcribitur: *Genealogie de la tres-illuſtre tres ancienne .... Maiſon de la Tour ... recuëillie par le Sr. Flaccio Heraut & Roi d'armes de la Province de Luxembourg, a Bruxelles MDC. CIX.* Tom. III. fol. m. Præter vetuſta monumenta, quæ luſtrare potuit, fide & auctoritate nititur Auctor Auguſtini Lampugnani, Gabrielis Bucellini, Joannis Dreslini, aliorumque. Apud Ughellum in Aquilejenſibus Tabulis idem Ludovicus dicitur *Raimundi filius*, *Caſtonis* Patriarchæ (nepos,) *Pagani* Patriarchæ *pronepos*, *Raimundi* Patriarchæ *abnepos*, in linea ſcilicet tranſverſali. Fratrem illum nonnulli putant Lombardi Vercellarum Epiſcopi, alii nepotem, ſeu filium Fratris ejus. Hanc eandem ſtemmatis partem longe diverſam præſtat Corius in Hiſtoria Mediolanenſi:



Scriptorem clariſſimum erraſſe, nullus dubito. Præclariſſimæ gentis Viros quamplurimos, qui in Aquilejenſi Provincia divitiis, honoribus, dignitatibus floruerunt, memorant vetuſtæ Chartæ: quorum gradus diligentiore opera hoc loco perquirere non licet.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Aliæ ſub Nicolao Patriarcha initæ de cudenda moneta Aquilejenſi conventiones, primo indepti Patriarchatus anno. Earumdem comparatio cum ſupra deſcriptis Pagani, aliiſque poſterioribus ipſius Nicolai conventionibus. Animadverſiones.

I. IN priore noſtra de Nummis Patriarcharum Aquilejenſium Diſſertatione *Inſtrumentum monetæ cudendæ* in lucem edidimus, quod Nicolaus Patriarcha fieri juſſit *anno Dominicæ Nativitatis Milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſexto, Indictione nona, die decima octava Menſis Octobris*. Ejuſdem argumenti ſyngrapham aliam ſub eodem Nicolao, primo Patriarchatus ejus anno, Chriſti 1351. confectam, quæ partim cum ſupra deſcriptis Pagani tabulis convenit, ac partim cum allis ipſius Nicolai, operæ noſtræ pretium eſt evulgare, ex vetuſta Membrana Gubertini de Novate Cancellarii deſumtam.

„ In Chriſti nomine Amen. Anno Nativi„ tatis ejuſdem Milleſimo Tercenteſimo quin„ quageſimo primo, Indictione ... die vice„ ſimo quarto Menſis Septembris. Preſenti„ bus Nobilibus & diſcretis Viris Dominis „ Gerardo .... Petro & Jacobo fratribus de „ Luca, Magiſtro Petro de Larocha de Mu„ tina Phyſico, & Henrico de Ayntz, fa„ miliaribus infraſcripti Domini Patriarchæ, „ teſtibus ad hec ſpecialiter vocatis & roga„ tis. Reverendiſſimus in Chriſto Pater & „ Dominus D. Nicolaus Dei gratia Sanctæ „ Sedis Aquilegienſis Patriarcha, juxta mo„ rem Predeceſſorum ſuorum ad fabricatio„ nem & conſtructionem nove monete Aqui„ legenſis ſub ejus nomine diligenter inten„ dens: confiſuſque de probitate & fidelitate „ Diſcreti & providi Viri Zilii quondam Za„ nobii de Florentia, de cujus induſtria, „ fidelitate, & providentia laudabile teſti„ monium intellexit, ipſum Zilium ſuper „ hujuſmodi moneta cudenda & facienda Ma„ giſtrum conſtituit, & Officialem ſuum; „ ita quod ipſe, & Socii quos ſecum habere „ voluerit, bonos tamen & legales ad opus „ predictum, dictam monetam cudere de„ beat, & cudi facere legaliter, & pruden„ ter, cum pactis, modis, & conditionibus „ infraſcriptis.

„ 1. Videlicet imprimis quod ipſe Zilius & „ Socii debeant facere, aut fieri facere in „ Terra Utini monetam hujuſmodi bonam, „ & puram: videlicet de unciis quatuor „ argenti Venetorum groſſorum, & tribus „ quarteriis pro quolibet Marcho. De qua „ moneta debeant decem & octo Solidi pon„ derare Marchum unum: & de ipſa moneta „ non poſſint expendere, niſi de quacumque „ ſcoſſa prius fiat ſazium in pondere, & in „ igne. Quod ſazium debet eſſe de uno Mar„ cho in pondere, & de uno quarterio uncie „ in igne. Debent enim in pondere decem „ & octo Solidi facere Marchum unum: quod „ ſi eſſent denarii ſex magis, teneantur in ſe„ quenti ſcoſſa facere de ſex minus, & e „ converſo. Quod ſi aliter reperiatur moneta, „ que facta foret contra talem formam, ite„ rato debeat in ignem mitti, & iterum fun„ di & meliorari.

„ 2. Item quod idem Zilius & Socii de„ beat facere, ſeu fieri facere ſazium in igne „ de uno Quarterio uncie, quod eſt grana „ centum & quadraginta quatuor pro quarte„ rio: & debent reddere pro quarterio de „ argento fino grana octuaginta duo, & di„ midium. Et ſi reperiretur granis duobus „ plus vel minus, approbentur boni denarii: „ & ſi fuerint duobus minus, teneantur in „ ſequenti ſcoſſa facere duobus magis, & e „ converſo. Quod ſi contra fieret, debeat „ dicta moneta iterato in ignem mitti, & „ meliorari.

„ 3. Item quod dictus Dominus Patriarcha „ teneatur deputare certos homines, qui in„ terſint ad requiſitionem Magiſtrorum mone„ te, quando fiet ſazium de dicta moneta: „ & cum fuerit approbata per dictos Deputa„ tos, dicti Magiſtri monete ſint liberi a „ prefato Domino Patriarcha, & a quocum„ que ejus Officiali de hujuſmodi moneta cu„ ſa & approbata. Et teneantur ipſi Magiſtri „ dare dicto Domino Patriarche pro quolibet „ Marcho Solidos quatuordecim parvulorum, „ ſolvendos eidem Domino Patriarche de tri„ bus in tribus Menſibus, incipiendo in pri„ ma cuſione dicte monete.

„ 4. Item quod dicti Magiſtri poſſint cude„ re mille, & uſque ad duo millia Marchor. „ monete parve: ita quod quodlibet Marchum „ ponderet uncia una argenti Veneti, & ſint „ in pondere pro quolibet Marcho ſolidi ſexa„ ginta ſex. Quod ſi eſſent duodecim dena„ riis parvulis minus, vel duodecim plus, „ approbentur boni denarii: ſi vero duode„ cim magis, teneantur in ſequenti ſcoſſa eos

Digitized by Google

„ de duodecim minus, & e converſo. Et ſi „ aliter reperiretur moneta, quæ facta foret „ contra talem formam, iterato debeat in „ ignem mitti, & iterum fundi & meliora- „ ri. Et fiat Sazium in igne de dimidio „ Quarterio unius uncie de granis ſeptuaginta „ duobus: & debent reddere de argento fino „ grana octo, & tertios duos. Et cum ..... „ approbata per dictum Dominum Patriar- „ cham, vel Deputatos ab eo, dicti Ma- „ giſtri ſint liberi & immunes de dicta mone- „ ta approbata, a prefato Domino Patriarcha, „ & ejus quocunque Officiali. Et teneantur „ pro quolibet Marcho eidem Domino Pa- „ triarche dare ſolidos duos parvulorum.

„ 5. Item quod prefatus Dominus Patriar- „ cha deputet unum Cuſtodem, ſive Super- „ ſtitem, qui ſtet continue cum Magiſtris „ ipſius monetæ ad videndum cudere eam: „ & teneat unam clavim, & Magiſtri præ- „ dicti aliam loci, ſeu caſſelle, ubi ſtabunt „ ferramenta pro cuſione dicte monete, & „ denarii monetati, quouſque fuerit factum „ ſazium de dicta moneta. Et tenetur ipſe „ Dominus Patriarcha dictum Cuſtodem, ſeu „ ſuperſtitem ſalariare, & dicti Magiſtri „ eidem facere expenſas.

„ 6. Quodque teneatur dictus Dominus „ Patriarcha facere proclamari ad omnem re- „ quiſitionem prædicti Zilii, & ejus Socio- „ rum: Quod dicti denarii recipiantur in „ quolibet foro, vel cambio per quemcum- „ que, pro quatuordecim denariis quilibet, „ & hoc ſub pena unius Marche in non pa- „ rentes: cujus pene tertia pars Cameræ Do- „ mini Patriarchæ applicetur, alia Magiſtris, „ & tercia accuſatori. Et quod omnes Of- „ ficiales dicti Domini Patriarche teneantur „ ſic facere obſervari. Et in qualibet ſolutio- „ ne cujuſcumque mercationis, vel debiti „ tenentur quilibet recipere uſque ad ſum- „ mam decem ſolidorum denariorum parvo- „ rum: & hoc ſub pena predicta.

„ 7. Item quod dictus Dominus Patriarcha „ teneatur prefatis Magiſtris preſtare domum „ pro eis, & ipſorum familia: in qua Mo- „ neta cudatur, & ipſi cum eorum familiis „ valeant habitare. Item quod ipſe Dominus „ Patriarcha teneatur ſecurare, & ſecuros „ facere dictos Magiſtros, & omnes de eo- „ rum familia per totum diſtrictum ſuum: „ ita quod ipſi poſſint ſecure cum argento, „ moneta, & eorum mercationibus ire per „ omnes dicti Domini Patriarche Civitates, „ & loca; ſtare etiam, & redire abſque ullo „ ..... Quod ſi contigerit, teneatur re- „ ſtituere de ſua Camera, ſi aliter ablata re- „ cuperari non poſſent: dum tamen ipſi, ſeu „ familiares ... a dicto Domino Patriarcha „ licentiam poſtulent, ſeu a Vicario ſuo, „ vel aliis quos ſuper hoc duxerit deputan- „ dos. Item quod teneatur dictus Dominus „ Patriarcha facere proclamari publice per „ totum diſtrictum ſuum, quod nullus audeat „ extrahere argentum, ſive bolſonum de „ dicto diſtrictu, & hoc ſub pena argenti „ ſive bolſoni: cujus pene tertia pars Came- „ re Domini Patriarche, alia dictis Magi- „ ſtris, & tertia accuſatori applicetur. Et „ quod quilibet portans argentum, ſive bol- „ ſonum predictis Magiſtris, vel ad ſuam fa- „ bricam, poſſit libere ire, ſtare .... per „ totum diſtrictum ejuſdem Domini Patriar- „ che cum perſonis & rebus ſuis, tute & „ abſque eo quod moleſtari poſſit occaſione „ aliquarum repreſaliarum, vel aliarum cau- „ ſarum, dummodo non ſint rebelles, & ini- „ mici dicti Domini Patriarche, & Eccleſie „ Aquilegenſis.

„ 8. Item quod dicti Magiſtri poſſint & de- „ beant cudere, & facere dictam monetam „ per unum annum, incipiendo in Feſto S. „ Michaelis proxime venturo. Que quidem „ pacta prefactus Dominus Patriarcha pro ſe „ & Eccleſia Aquilegenſi, & dictus Zilius „ pro ſe & Sociis ſuis, rata, grata, & fir- „ ma, ſolemni hinc inde ſtipulatione inter- „ veniente, habere, adimplere, & inviola- „ biliter obſervare promiſerunt ..... ſub „ pena mille Marcharum Aquilegenſis mone- „ te: que pena exigi poſſit & debeat ad ef- „ fectum per partem obſervantem totiens, „ quotiens contraveniretur, vel fieret: & „ pena ſoluta, vel non, preſens contractus „ obtineat plenum robur. Obligantes vicif- „ ſim, unus alteri, videlicet dictus Domi- „ nus Patriarcha eidem Zilio omnia ſua bona „ & Eccleſie Aquilegenſis ..... omnia bona „ ſua mobilia & immobilia, preſentia & fu- „ tura. Renunciantes omni legis, conſuetu- „ dinis, juris, tam canonici, quam civilis „ auxilio ...

II. Ad primum Nicolai Patriarchæ annum hæc ejus pertinet ſyngrapha de moneta cudenda, quæ nunc primum publicam lucem videt. Eam diligentiſſime conferre præſtat cum Pagani Tabulis capite ſuperiore deſcriptis, cum aliiſque ipſius Nicolai anno 1356. confectis, ac priore in Diſſertatione vulgatis, ut quæ conveniunt, quæve differunt, ſive a pluri-

Digitized by Google

pluribus Patriarchis initæ, ſive ab eodem non eodem anno, innoteſcant conventiones. Monetam, quæ fieri debeat, vocat Paganus *bonam & puram Frixachenſem*: appellatque *Aquilegenſem ... bonam & puram* Nicolaus in utriſque Tabulis: & hanc demum apud utrumque poſitam legimus in *denariis*, qui *pro quatuordecim parvulis recipi* ſinguli debeant; ac in ipſis *parvulis*, aut *denariis parvulis*.

Argenti *uncias*, quibus conficiendus eſt Marcus, (ponderis quædam ſpecies,) numerat Paganus *quinque*, *& quarteria tria*, *& dimidium*: pauciores Nicolaus tum in his, tum in aliis ejus Tabulis, nempe *quatuor*, *& tria quarteria*. Hæc vero ad diverſam argenti notam, quod Pagani & Nicolai denariis cuſis inerat, maxime ſpectare infra dicendum. Quot ex uno Marci pondere conficere nummos Monetarii deberent, his verbis denunciat Paganus: *de qua moneta* (Frixachenſi) *debent eſſe in quolibet Marcho ſolidi decem & octo, numero, & pondere .... debent enim decem & octo ſolidi in pondere facere Marchum*. Eumdem ſolidorum numerum habet ſyngrapha Nicolai ſuperius deſcripta, quæ anno 1351. data legitur: *de qua moneta* (Aquilegenſi) *debeant decem & octo ſolidi ponderare Marchum unum ..... debent enim in pondere decem & octo ſolidi facere Marchum unum*. At in aliis ejuſdem Nicolai Tabulis anni 1356. major eſt ſolidorum nummorumque numerus, quem verba præitant, quæ ſequuntur: *de qua moneta* (Aquilegenſi) *debeant viginti ſolidi, & octo denarii Aquilegenſes ponderare Marchum unum: debent enim in pondere viginti ſolidi & octo denarii facere Marchum unum*. Ac his demum conveniunt Ludovici Turriani conventiones, quæ anno 1359. initæ fuerunt. Quod ego diſcrimen inter primam, & alteram Nicolai ſyngraphan animadverſione dignißimum judico, ac dirimendæ quæſtioni, quæ in hoc negotio præcipua eſt, maxime idoneum.

Neque tamen omnem, qui poſſet accidere, hujuſmodi ponderis defectum impedimento fore, quominus denarii cuſi curſum habeant, conſtituit Paganus: *quod ſi eſſent*, inquiens, *denarii quatuor plus, aut quatuor minus, approbentur boni denarii: ſi autem fuerint quatuor plus, teneantur in ſequenti ſcoſſa eos facere de quatuor minus, & e converſo*. Liberalius agit Nicolaus in ſua anni 1351. ſyngrapha, inquiens: *quod ſi eſſent denariis ſex magis, teneantur in ſequenti ſcoſſa eos facere de ſex minus, & e converſo*. Numerum vero *quatuor denariorum*, qui deficerent, eſferunt ejuſdem Nicolai Tabulæ anno 1356. confectæ.

Ad monetam parvam quod attinet, argenti quantitatem, ac ſolidorum numerum his verbis definit Paganus: *Item quod dicti Magiſtri habeant auctoritatem faciendi cudi parvulos, qui ſint de liga quinque quarteriorum*, (unius unciæ, & quadrantis) *argenti fini pro Marcho .... In quo Marcho veniant de ipſa moneta* (parva) *& ſint in numero libræ tres, & duo ſoldi*, ſeu duo & ſexaginta ſolidi. Differunt nonnihil ambæ Nicolai, & Ludovici Turriani Tabulæ, in quibus hæc habentur verba: *Ita quod quodlibet Marchum ponderet uncia una argenti Veneti, & ſint in pondere pro quolibet Marcho ſolidi ſexaginta ſex*.

Lucrum denique, quod Patriarchis ex ipſa utriuſque monetæ, denariorum, & parvulorum conſtructione obveniebat, non idem ſolvendum indicitur in hiſce Patriarcharum conventionibus, quas invicem comparamus. In Pagani Tabulis hæc habentur: *debeant dare & reddere præfato Domino Patriarchæ, vel ejus Factoribus, de qualibet Marcha denariorum, quos fecerint*, (quatuordecim parvulorum ſingulos,) *ſoldos quatuor parvorum*. Et infra: *Dare debent de lucro ipſi Domino Patriarchæ de quolibet Marcho* (monetæ parvæ) *ſoldum unum parvorum*. Aliud eſt, quod in Nicolai ſyngrapha anni 1351. indicitur lucrum: nempe, *Teneantur ipſi Magiſtri dare dicto Domino Patriarchæ pro quolibet Marcho* (denariorum) *ſolidos quatuordecim parvulorum ... Et teneantur pro quolibet Marcho* (parvulorum) *eidem Domino Patriarchæ dare ſolidos duos parvulorum*. Differt etiam lucrum, quod in aliis occurrit ipſius Nicolai Tabulis anno 1356. confectis: *Et teneatur dare eidem Domino Patriarchæ pro quolibet Marcho* (denariorum) *denarios novem dictæ Aquilegenſis monetæ ... Et teneatur pro quolibet Marcho* (monetæ parvæ) *eidem Domino Patriarchæ dare ſolidos duos parvulorum*. Animadverte, verba illa Tabularum Pagani, *de qualibet Marcha denariorum*, aut mendo laborare, ac ita legi oportere, *de quolibet marcho denariorum*: aut certe *Marcham* accipiendam eſſe pro *Marcho*, ponderis quadam ſpecie, ut inferius dicendum.

III. Jamvero quatuor proſtant, ſtudio noſtro publicam in lucem edita, *Inſtrumenta*

Pa-

Digitized by Google

Patriarcharum Aquilejenſium *de moneta cudenda*: Pagani primum anni 1330. alterum Nicolai primo Patriarchatus ejus anno, æræ vulgaris 1351. confectum: ejuſdem Nicolai tertium anni 1356. & quartum Ludovici Turriani, quod anno 1359. datum legitur. Bonis contigit avibus, ut cum plura, ſive quæ unus & idem, ſive quæ diverſi fieri juſſere Patriarchæ, hujuſmodi Inſtrumenta reperta ſint, ſingulorum nota compertaque fieret *diligentia*. Fac enim, unicum aut Ludovici, aut Pagani, aut alterius Patriarchæ exemplum Tabularum, de quibus agimus, ſub oculos haberi: cum non pauca nimium perplexa, primo adſpectu, occurrant verba & dicta, obſcuriſſima, ac fere pugnantia, ſuſpicio facillime incidere potuiſſet de librariorum oſcitantia, deque textu vitiato. Dubium certe removet omne conſona lectio quatuor Inſtrumentorum: quæ conſtantiſſime eadem verba, eademque dicta, quibus ingeri ſuſpicio potuiſſet, præſtant omnia.

Cur eaſdem præterea Tabulas minime ad nos genuinas ac ſinceras perveniſſe dubitaverimus, cum illæ Pagani, aliæque duæ Nicolai ex autographis Notariorum chartis diligentiſſime deſumptæ ſint? Voces barbaras & inſolentes, ac dicta perplexa & obſcuriſſima ſine cauſa quiſpiam opponat, ut chartarum fidem elevet, quæ rudi ac barbaro ævo exaratæ ſunt, continentque difficillimum neque ſatis pervium cudendæ monetæ negotium. Hæc vero, & ſi quæ ſunt alia, minime nobis impedimento fuere, quominus priore in Diſſertatione, cum duæ tantum Nicolai, & Ludovici Succeſſoris tabulæ verſarentur ſub oculos, veram Aquilejenſis monetæ cudendæ rationem ex obſcuris vocibus implicatiſque loquendi modis elicere pro virili niteremur. Neque ſane interpretationum pœnitet, quarum alias ſubtimide protulimus, aliaſque veluti certas, timore omni depoſito: quinimo nova duo, quæ in lucem edimus inſtrumenta, alterum Pagani, & Nicolai alterum, dubium omne exſolvunt, noſtramque ſententiam mirifice confirmant.

CAPUT III.

Nummi cuſi apud Aquilejenſes, tum parvuli, tum denarii parvulorum quatuordecim ſinguli: itemque nummi ideales, Marca, Forto, Libra. Marcum, ſive Marcam pondus, conficiebant unciæ octo, quæ certa argenti boni quantitate, cum materia inferiore immiſcenda, conſtabant. Ex unoquoque Marco plures, vel pauciores conficiebantur Solidi ideales, ex duodecim nummis cuſis, ſive parvulis, ſive denariis, compoſiti.

I. REM ipſam, quæ Monetæ Aquilejenſis cudendæ rationem ſpectat, jam adgredior. Difficili & obſcuro argumento ſplendidior lux, quoad fieri poteſt, ut accedat, paucis recolenda ſunt quæ priore in Diſſertatione de nummis Aquilejenſium cuſis, ac idealibus ſeu arbitrariis lato calamo pertractavimus. Poponi Patriarchæ facultatem percutiendæ monetæ anno 1028. fecit Conradus, Rex Germaniæ hujus nominis ſecundus, & Imperator primus. Diplomatis verba ſunt, animadverſione digniſſima: *Noſtra Imperiali poteſtate concedimus . . . licentiam, monetam publicam infra civitatem Aquilegiæ faciendi. Igitur denarios ipſius monetæ ex puro argento firmiter præcipimus fieri, & Veronenſis monetæ denariis æquiparari, niſi prænominatus Patriarcha* (Popo) *ſua ſponte voluntate velit meliorare.*

Hac ſibi conceſſa ita Patriarchæ noſtri uſi ſunt facultate, ut juxta morem in aliis Monetariis officinis obtinentem *denarios argenteos*, tum parvulos, cum majores, cudi facerent. Denarii parvi vocari conſueverunt *parvuli* abſolute, & voce populari *pizzuli*, ac demum frequentiſſime *Veronenſes*, propterea quod hujuſmodi nummuli Monetariis Marcæ Veronenſis officinis communes forent. Majores vero denarii, qui alibi dicebantur *ſolidi*, apud Aquilejenſes appellati ſunt *Denarii* abſque addito, & frequentius *denarii Aquilejenſes*. Nummi parvuli, ſive Aquilejæ, ſive alibi in Marca Veroneſi cuſi, ejuſdem erant aut eſſe debebant valoris: non ita majores nummi. Solidi paſſim & ubique conſtabant *parvulis duodecim*: at *quatuordecim parvulos* complectebantur denarii Aquilejenſes, ſeu qua-

Digitized by Google

quatuordecim parvulorum valorem æquabant. Id Patriarcharum arbitrio procul dubio factum pro ea, qua ipsi potiebantur, facultate cudendi signandique argenteos nummos, tum *Veronensis monetæ denariis æquiparatos*, tum etiam *si vellent meliores*. Hinc majores nummi, qui alibi *solidi* vocabantur, ac duodecim constabant nummulis; parte septima apud Aquilejenses aucti sunt, eorum valore ad quatuordecim usque nummulos protenso: appellatique fuere vel *denarii* absolute, vel *denarii Aquilejenses*, ut a solidis distinguerentur. Consule prioris Dissertationis capita II. III. & IV.

Denarios utrosque, tam parvos, quam majores, quanquam dubitandi ratio nulla est pro nummis haberi, qui in officina Monetaria Aquilejensi cudebantur: id attamen certissimis monumentis evinci potest, quæ præsto sunt. Prostant nempe Nicolai Patriarchæ, & Ludovici successoris Tabulæ, *anno* 1356. *Indictione nona, die decima octava Mensis Octobris*, & *anno* 1359. *Indictione duodecima, die decima nona Mensis Octobris* confectæ, quæ initas de ipsa cudenda Moneta conventiones complectuntur. In his vero Patriarcham legimus, *ad fabricationem & constructionem novæ Monetæ Aquilegensis intendere*: Franciscum Bonaquisti *super huiusmodi moneta cudenda, & facienda constitui Magistrum*: custodiri sub clavi oportere *denarios monetatos*, donec a peritis examen *in pondere*, & *in igne* peractum fuerit: prædictos *denarios recipiendos* esse *in quolibet foro, & cambio, per quemcumque, pro quatuordecim denariis parvulis quemlibet*: ac demum teneri Monetarium *cudere monetam* etiam *parvam*, seu *denarios parvulos*. Quot scilicet verba, tot etiam luculentissima rei, qua de agimus, argumenta.

Eadem occurrunt verba in Tabulis Nicolai anno 1351. confectis, quæ nunc in lucem prodeunt: hisque apprime consonat Pagani Syngrapha. Thomasius Monetarius promittit *cudere monetam bonam & puram Frixachensem*. Ponderari & coæquari jubentur *singuli denarii ipsius monetæ, quando incidunturi & cuduntur*. Examinari *in pondere, & in igne* juxta leges constitutas debent, ut *adprobentur boni denarii*. Designatus Custos teneat *omnes denarios, sicuti fient de die in diem*, donec eorum examen *peractum fuerit*. Habeantque *Conductores & Magistri auctoritatem faciendi cudi parvulos*. Parvulos istos, denariosque nemo non videt, nummos fuisse cusos signatosque: illos utique ipsissimos, ne diutius in re perspicua immoremur, quorum typos in calce prioris Dissertationis, quinque Tabellis comprehensos dedimus. Addo verba, quæ occurrunt, ex Statuto insignis Capituli Forojulienſis deprompta Part. II. Capite LVIII. „ Omni die cuilibet Canonico, Missæ „ & Horis, ut præfertur, interessenti, *tres* „ *denarii monetæ currentis* distribuantur: quo„ rum *septem Veronensium parvulorum*, pro „ Matutino, *septem* pro Missa, & *septem* „ pro Vesperis, & *quinque* pro Completorio: „ pro qualibet vero aliarum Horarum, *que„ tuor Veronen. parvulorum* pro cursu, seu „ quotidianis distributionibus lucretur. „ Quammaxime innotescit, *denarios monetæ currentis*, nonnisi cusos nummos intelligi posse: eosque singulos parvulis quatuordecim constitisse, evincit ipsorum parvulorum, seu Veronensium, duorum & quadragiata summa.

Præter integrum denarium, qui parvulorum quatuordecim valorem æquabat, vetusta monumenta produnt, docetque experientia, cusos aliquando in Officina Monetaria Aquilejensi minores majoresque nummos, videlicet dimidium denarium, denarium cum dimidio, ac denarium etiam, qui communes denarios duos æquabat, vel excedebat. Typos eorum præfatæ Tabellæ repræsentant inter nummos Bertoldi, Gregorii de Montelongo, & Bertrandi: ad eosque pertinet postrema, quæ legitur in Syngrapha Pagani, conventio: nempe num. 11. *Iterum fuerunt in concordio ... quod si ipse Dominus Patriarcha voluerit, ut faciant alias monetas a prælictis* (parvulis, & denariis,) *quod eas facient ... majores, vel minores*. Num vero inter minores hujusmodi monetas locum habuerint *solidi*, parvulis duodecim singuli constantes, in officina monetaria Patriarcharum cusi signatique, negantem opinionem in citata dissertatione propugnavimus: qua de re uberius infra agendum.

Nummos etiam ideales ac arbitrarios adhibebant Aquilejenses, ea ratione excogitatos, ut minore summa enunciarentur pretia rerum, ac facilius ratiocinia instituerentur. Rem hanc accuratissime illustrant capita duo prioris Dissertationis, sextum, & septimum. Primo loco *Marcam* memoro, nummis cusis centum & sexaginta constantem: duplicemque *Marcam* vetustæ chartæ Forojulienses distinguunt: aliam *denariorum*, quos cudebat monetaria Patriarcharum officina: aliam *solidorum*. Hanc voco *Marcam communem*, frequentissi-

Digitized by Google

mo emptorum, & venditorum, atque contrahentium uſu adhibitam: ab eaque differebat *Marca ad uſum Curiæ*, quæ valore æquabat quinque communes denariorum Aquilejenſium Marcas. Quarta pars Marcæ erat *Forto*, ſive *Ferto*: conſtabatque denariis quadraginta, vel totidem ſolidis, pro diverſa Marcæ denariorum, vel ſolidorum ratione. Denique *Libra*, in commerciis & ratiociniis frequentiſſima, viginti complectebatur, ſive denarios Aquilejenſes, ſive ſolidos. Hæc vero ſatis de nummis Aquilejenſium cuſis, ac idealibus: quæ recoli paucis hoc loco debuere.

II. Ad ipſam rationem, quæ in cudenda moneta noſtra ſervanda erat, diligentius exponendam accedo. Conventionis primæ, quæ Paganum Patriarcham inter, & monetæ Præfectum inita eſt, verba profero: „ Idem „ Thomaſius pro ſe, & prædictis Sociis pro„ miſit eidem Domino Patriarchæ, cudere „ monetam in Aquilegia . . . bonam & puram „ Frixachenſem, ſcilicet *de unciis quinque*, „ & quarteriis tribus, & dimidio boni & „ puri argenti pro quolibet Marco. „ Conferenda hæc ſunt cum illa conventione, quam Syngraphæ continent, Nicolai & Ludovici Succeſſoris juſſu confectæ, ad annum 1351. 1356. & 1359. pertinentes. Tabulæ anni 1351. ſic habent: „ Quod ipſe Zilius, & So„ cii debeant facere aut fieri facere . . . mo„ netam hujuſmodi bonam & puram, vide„ licet *de unciis quatuor argenti* Venetorum „ groſſorum, & tribus quarteriis pro quoli„ bet Marcho. „ Paria ſunt, quæ Tabulæ ſequiores exhibent. „ Quod ipſe Franciſcus „ (Bonaquiſti, Monetarius) debeat facere, „ vel fieri facere . . . monetam hujuſmodi „ bonam & puram, videlicet *de uncis quatuor argenti Venetorum groſſorum, & tribus quarteriis pro qualibet Marcha.* „ Quod his in locis *argentum Venetorum groſſorum* dicitur, in priore enunciatur *bonum & purum argentum*. Sed iſtud intelligendum eſſe ipſum *argentum Venetorum groſſorum*, evincere videntur verba, quibus Pagano Patriarchæ fidem ſuam num. 7. obſtringit Thomaſius, monetæ Præfectus, *tenendi continue in ipſa moneta Libras ducentas Venetorum groſſorum ad minus*. Singulas hujuſmodi libras conficiebant viginti ſolidi ideales: ac ſolidi groſſis duodecim, qui ſignati conflatique apud Venetos nummi erant, conficiebantur. Id oneris vero cur Monetario Aquilejenſi impoſitum? Ut ſcilicet materia ad monetam Aquilejenſem cudendam neceſſaria, præſto ſemper foret.

Marcum, quem eodem loco enunciatum legis, pondus intellige: minime arbitrarium illum, aut idealem nummum, nomine *Marcæ* appellatum, quem centum & ſexaginta cuſis nummis conſtantem apud Aquilejenſes animadvertimus. Neque tamen putes, integram hujuſce ponderis quantitatem definiri, aut *unciis quatuor & quarteriis tribus* in Syngraphis Nicolai & Ludovici, aut *unciis quinque & quarteriis tribus & dimidio* in Tabulis Pagani: quod priore in Diſſertatione ſedulo adnotandum propoſuimus, iterumque admonitos lectores volumus. Quantitas imo ſolius *argenti boni* adſignatur: cui tantum æris, aut inferioris materiæ commiſceri debeat, quantum ſatis eſſet ad integrum *Marci*, vel *Marcæ* pondus, in officina monetaria notum.

Monetæ cuſæ examen, *in pondere*, & *in igne* juxta leges perficiundum, quæ tum in Pagani Tabulis, tum in illis Nicolai & Ludovici conſtitutæ habentur, certiſſima duo ſuppeditat argumenta, quæ *Marcum* hujuſmodi intelligendum evincunt pondus octo unciarum: quo etiam *Marco* utebatur, ac utitur Officina Monetaria Venetorum. Hac de re accuratiſſime agendum infra. *Marcus* itaque apud Aquilejenſes conficiendus fuerat *quatuor unciis & tribus quarteriis argenti*, ac rurſum tribus unciis cum uno quadrante inferioris materiæ, juxta Syngraphas Nicolai & Ludovici: & juxta illas Pagani, *unciis quinque argenti & quarteriis tribus & dimidio*, itemque duabus unciis inferioris materiæ cum dimidio quadrante.

Ad rem hanc præcipuam, quam hoc loco enarro, maxime facit inſignis Hiſtoriæ Bononienſis locus apud Cherubinum Ghirardaccium Parte I. Libro IX. ad Ann. MCCLXXXIX. ubi decretum de cudenda moneta his verbis affertur: „ Che occorrendo di far la moneta „ di *Bolognini Groſſi* (nummus erat cuſus, „ quem Bononienſes, & Veneti, aliique po„ puli *Groſſum* vocabant, majorem ſolido „ parvulis duodecim conſtante,) ſi doveſſe „ fare bona d'argento, e di lega . . . . Cioè, „ che la lega foſſe di *dieci oncie*, & *un terzo* „ *d'argento Vinitiano groſſo*, & ugualmente „ bono; & due oncie, meno un terzo, di „ rame, in dodici oncie di Bolognini groſſi: „ & ſieno al peſo di tredici ſoldi, & due „ danari in Marcha. „ Luculentiora optari verba non potuiſſent, queis notum compertumque fieret, definitas in Syngraphis noſtris uncias, definitoſque unciæ quadrantes, nonniſi ad quantitatem pertinere argenti boni & puri,

Digitized by Google

puri, ſcilicet groſſorum Venetorum: ipſamque commiſcendam fore cum ea inferioris materiæ quantitate, quæ *Marci*, vel *Marco* pondus adæquaret. In officina Monetaria Bononienſi *Marca*, vel *Marcus* uncias duodecim ponderabat: octo duntaxat uncias complectebatur *Marcus* Aquilejenſis, ut infra latiore ſermone differendum.

Facile quiſque jam animadvertat, quemadmodum plus argenti inerat Marco ſub Pagano Patriarcha, quam Nicolai & Ludovici ætate: ita denarios, jubente illo cuſos, melioris fuiſſe notæ, aut perfectioris gradus, quam poſteriores. Rem confirmat examen *in igne*, quod ſequente Capite exponendum eſt: ipſumque conſonat experimentum, explorata vel ad lydium lapidem, vel per ignem denariorum bonitate.

III. Verba ſequuntur in eadem Paganum Patriarcham inter, ac Thomaſium Monetarium conventione prima, quæ accuratiore indigent examine. Nempe, *De qua Moneta* (Frixachenſi, vel denariorum Aquilejenſium) *debent eſſe in quolibet Marcho* (pondere) *ſolidi decem & octo, numero, & pondere*. Eadem eſt conventio in priore Nicolai Syngrapha anni 1351. *de qua moneta* (Aquilegenſi) *debeant decem & octo ſolidi ponderare Marchum unum*. Differens enunciatur ſolidorum numerus in poſterioribus Nicolai, itemque Succeſſoris Ludovici Tabulis: *De qua moneta debeant viginti ſolidi, & octo denarii Aquilegenſes ponderare Marchum unum*. Numeratos hujuſmodi *viginti ſolidos*, minime pro nummo cuſo accipiendos, ſed pro nummo ideali duodecim cuſis denariis Aquilejenſibus confecto, putabam ego priore in Diſſertatione: itaut perinde fuerit, *viginti ſolidos & octo denarios Aquilejenſes* enunciare, ac *ducenter quadraginta & octo denarios argenteos majores*, parvulis nempe quatuordecim ſingulos conſtantes.

Conjecturam illa verba præſtabant, quæ in Syngraphis Nicolai, & Ludovici leguntur: *Viginti Solidi, & octo denarii Aquilegenſes*. Inquiebam enim, octo illos denarios Aquilejenſes enunciari, veluti numeros fractos, qui continentur in ſolido, tanquam in numero integro, nec plures utique, nec pauciores, quam duodecim; cum duodecim in partes uſu communi dividi ſoleat ſolidus. Præſto erat exemplum, quo conjectura comprobaretur, in illo ideali nummo, qui apud Venetos, alioſque dicebatur *Solidus groſſorum*: qui nempe duodecim groſſos, cuſæ ſignatæque monetæ ſpeciem, complectebatur. His demum vetuſtæ authenticæ chartæ ſumma auctoritas accedebat, quæ novæ Monetæ ſub Nicolao Patriarcha examen exhibet, *anno 1356. Indictione 9. die 20. Menſis Februarii* peractum, ubi ſcilicet, *Marcho* denariorum *ponderato, & poſtmodum numerato, repertum fuiſſe* dicitur, *habere in numero Marcham unam cum dimidio, & Frixachenſes* (ſeu denarios) *quinque*. Senſus enim apertiſſimus eſt, ex uno *Marci* pondere tot denarios argenteos Aquilejenſes conflatos fuiſſe, qui numerati conficerent *Marcham unam* (nummum idealem,) ac præterea *dimidium* Marcæ, & *quinque* demum *Frixachenſes*, ſeu denarios: ideſt 160. *denarios*, quot nempe Marca una complectitur, ac rurſum 80. *denarios*, quibus dimidium Marcæ conficitur, ac inſuper *denarios quinque*: verbo uno, *denarios quadraginta quinque ſupra ducentos*. Noveram equidem, *viginti* illos *ſolidos*, & *octo denarios Aquilejenſes*, ſi pro nummo ideali accipiendi forent illi ſolidi, ſummam efficere paullo majorem, denariorum ſcilicet quadraginta & octo ſupra ducentos. At omnem, quæ oritur ex iſto trium duntaxat denariorum exceſſu, difficultatem verbis illis elidi animadverteram, quæ in Syngraphis Nicolai ſæpe laudatis habentur: *quod ſi eſſent denarii quatuor magis, vel quatuor minus, approbentur boni denarii*. Quod utique in præfato ponderis examine, tribus denariis minus juſto repertis, contigit. Certum hoc, & evidens pronunciaverim ego argumentum.

Illuſtrem confirmationem præbet locus Hiſtoriæ Bononienſis, ex Ghirardaccio jam ſuperius deſcriptus: ex quo addiſcimus, Monetariis in officinis poſitum fuiſſe in more, ut nummorum qui ſignandi forent, & ex uno Marci pondere conficiendi, compendioſior quoad fieri poſſet, facilioris ratiocinii cauſa adhiberetur numerus, majoribus nempe enunciatis enumeratiſque nummis idealibus & arbitrariis. Verba ſunt Italica: *In dodici oncie di Bolognini groſſi, ſieno al peſo di tredici ſoldi, e due danari in Marcha*, quæ duodecim unciis apud Bononienſes conſtabat. Monetaria ipſorum officina inter cæteros nummos cudebat argenteos quoſdam, qui *Groſſi* dicebantur. Mos idem apud Venetos, alioſque populos. Cum vero ex uno duodecim unciarum Marco conflandos legimus *tredecim ſolidos*, & *denarios duos*; ipſa re adigente cogimur, ut hujuſmodi *ſolidos* pro nummo ideali accipiamus, *duodecim groſſis* conſtante, quorum ſinguli cer-

Digitized by Google

certo *denariorum*, aut parvorum numero conficiebantur. In vetustis Venetorum chartis passim *solidi* id genus occurrunt: quod etiam in Forojulienſibus noſtris obſervare licet, ut infra. Itaque numerus *tredecim ſolidorum*, qui in Bononienſium decreto enunciantur, numerum continet centum & quinquaginta ſex groſſorum.

Nihil ergo anceps, pari ſenſu, illa etiam verba intellige, quæ in Pagani Turriani, ac prioribus Nicolai Tabulis habentur: *De qua moneta* (denariorum Aquilejenſium) *debent eſſe in quolibet Marcho ſolidi decem & octo, numero, & pondere*. Solidos accipe nummos ideales, quorum ſinguli denariis duodecim Aquilejenſibus componantur: ut perinde fuerit, ac ſi numerati forent denarii ducenti & ſexdecim. Cur vero ſolidi, aut denarii pauciores in his Pagani & Nicolai Tabulis, pluresque in aliis ejuſdem Nicolai & Ludovici; ideſt *viginti ſolidi & denarii Aquilejenſes, octo* in iſtis, *decem & octo ſolidi* duntaxat in illis, ex uno Marci pondere conficiendi, conſtituantur? Quia nempe ponderoſiores erant denarii Pagani, & Nicolai primo Patriarchatus ejus tempore: minuſque ponderantes denarii, quos cudi fecere ſequiore ætate Nicolaus & Ludovicus, ut priore in Diſſertatione, experimento facto ad lancem, obſervatum eſt, ac inferius lucidiſſime conſtabit. Hinc Pagani, ac priores Nicolai Syngraphæ, quas expendimus, lucem accipiunt ex conjecturis & argumentis eadem in Diſſertatione adhibitis: & hæc viciſſim validiſſime confirmantur ex ipſius Pagani, & prioribus Nicolai Tabulis.

CAPUT IV.

Marci pondus octo definitum unciis fuiſſe in officina Monetaria Aquilejenſi, ſolidumque idealem ibidem adhibitum, evincitur denariorum, qui cudebantur, examine in pondere. Varium colligitur denariorum pondus, qui ſub diverſis, ſub eodemque Patriarcha, cudebantur. Eamdem Marci quantitatem, nummorumque idealium uſum probat ipſorum denariorum examen in igne. Rem utramque confirmat monetæ parvæ examen in pondere, & in igne.

I. AQuilejenſis monetæ examen certis legibus perficiundum conſtituunt Pagani, Nicolai, Ludovici Patriarcharum Syngraphæ: quo ſane unciarum octo quantitas in uno Marci pondere definitur, ſolidorumque idealium uſus, certuſque denariorum cuſorum numerus in ſolidis idealibus contentus confirmatur.

Examen hujuſmodi duplex eſt, alterum *in pondere*, *in igne* alterum. Tabularum Pagani verba refero, quæ habentur num. 1. & 2. „ *Nec expendatur de ipſa moneta* (denario- „ rum, quorum ſcilicet ſinguli parvulis qua- „ tuordecim conſtabant,) niſi prius de qua- „ cumque ſcoſſa fiat ſazium in pondere, & in „ igne. Quod ſazium debet eſſe *de una Mar- „ cha* (ſeu de uno Marcho) *in pondere*, & „ *de uno quarterio unciæ in igne*. Debent „ enim *decem & octo ſolidi* in pondere facere „ Marcham, (ſeu Marchum.) Quod ſi eſ- „ ſent denarii quatuor plus, aut quatuor mi- „ nus, comprobentur boni denarii &c. „ Verba ſequuntur, quæ ad examen in igne pertinent, inferius exponenda. Idem *ſolidorum decem & octo*, qui *debent facere*, *Marchum unum*, numerus enunciatur in Tabulis Nicolai anno 1351. confectis.

Priore illo examine *in pondere* compertiſſima tria fiunt, quæ propoſuimus: tum primo *Marcæ*, vel *Marci* pondus apud Aquilejenſes Monetarios unciis octo conſtitiſſe: tum etiam juxta legem Monetario impoſitam, ex illis unciis octo confici debuiſſe ſexdecim ſupra ducentos denarios: ac illos demum, in decem & octo ſolidorum idealium *numero comprehendi*. Ratiocinio, & experimento rem totam conficio. Integrum Marci pondus fac eſſe unciis octo conſtitutum: reddit ergo ſiliquas, vulgo *Carati*, 1152. Fac vero, decem & octo ſolidos, utpote ideales, complecti denarios cuſos ducentos & ſexdecim: atque per 216. divide numerum 1152. Quotus erit 5. cum reſiduo 72. Quod ducendum erit in grana 4. efficieturque productus 288. quem iterum numerum divide per 216. & quotum habebis 1. cum reſiduo 72. quod etiam ſi ducas in grani trientes, dabit productum 216. quo demum numero diviſo per 216 quotus erit 1. Igitur in hac mea tum Marci ponderis octo unciarum, tum ſolidorum decem & octo idealium hypotheſi conſtituendum foret, ſingulos Pagani denarios, ac etiam Nicolai primo Patriarchatus ejus anno, qui juxta leges in eorum Syngraphis conſtitutas cuſi fuerint, ponderaſſe quinque ſiliquas, granum unum, ac trientem grani.

Atqui denarios Pagani plures ad lancem expendere licuit: quorum aliqui ſiliquas quinque cum dimidio ſeu duobus granis ponderant, & alii quinque ſiliquas duntaxat, aliique

Digitized by Google

que unum insuper granum. Tum isti postremi, tum illi fortasse, qui siliquas quinque duntaxat ponderant, utpote longo usu detriti, adeoque justo pondere carentes, ad illam Monetæ Aquilejensis confectionem dubio procul pertinent, præscriptam in Tabulis, quas pro virili nostra declaramus. Neque miratio subeat, varium deprehendi sub eodem Pagano pondus denariorum ejus: quod etiam, experientia duce, sub aliis Patriarchis evenisse novimus. Hinc enim notum sit compertumque, non easdem omnino, quod ad pondus attinet, notamque insuper argenti, initas fuisse conventiones, quoties nova Aquilejensis moneta, sive sub diversis Patriarchis, sive sub uno cudenda fuerat: sed pro temporum circumstantiis tum denariorum pondus, tum argenti gradum mutationem aliquam subiisse. Id vero certissimi documenti fide numero sequente pluribus illustrandum.

Attentiore jam mente perpende, quomodo prælucente notitia ponderis, quod cusis conflatisque denariis inesse certo experimento deprehenditur, tria quæ sequuntur adserta nostra, perspicua fiunt atque certissima: tum Marci, qui pondus est, definiri quantitatem unciis octo: tum ex octo materiæ ad cudendos nummos paratæ unciis confici sub Pagano debuisse denarios ducentos & sexdecim: atque demum denarios istos sexdecim supra ducentos intelligi debere in Tabulis numero illo enunciatos *solidorum decem & octo*, sine dubio idealium.

Priore in Dissertatione inquiebam ego, Marci pondus in Officina Monetaria Aquilejensi, unum idemque semper invariatum, octo unciis compositum, absque ulla mutatione adhibitum fuisse: denariosque, qui cudebantur, plures paucioresque, prout minus aut plus ponderantes conficiebantur, oportuisse numerari. Quod scilicet opinabar, indubium primo loco patefaciunt Syngraphæ duæ, altera Pagani, Nicolai altera anni 1356. invicem comparatæ. Prior Pagani syngrapha *solidos* ideales *decem & octo*, scilicet denarios ducentos & sexdecim conficiendos præscribit: Nicolai altera, *viginti solidos* ideales, & *octo denarios Aquilejenses*, idest denarios quadraginta & octo supra ducentos. Quid ita? Id oritur nempe ex diverso denariorum pondere. Ponderant denarii Pagani, de quibus agimus, quinque siliquas, & granum unum, & grani trientem: denariosque Nicolai ratiocinio & experimento ponderantes deprehendimus, quatuor siliquas cum dimidio, & amplius aliquanto. Attamen animadverte, ex uno octo duntaxat unciarum pondere, sive Marco tum Pagani denarios 216. confectos fuisse, tum denarios Nicolai 248.

II. Ad pondus quod attinet hujusmodi nummorum, majus illud, minusque fuisse sub uno etiam eodemque Patriarcha, nova quæ in lucem nunc primum prodit Nicolai syngrapha anno 1351. confecta, amplissime docet: quo scilicet Ecclesiam Aquilejensem regente, primo Patriarchatus ejus tempore, denarios paris ponderis percussere Monetarii cum Pagani denariis. Luculentissima sunt, quæ habentur verba num. 1. „ Quod ipse Zilius & Socii debeant „ facere, & fieri facere . . . monetam hujus„ modi (denariorum) bonam, & puram: „ videlicet *de unciis quatuor argenti Veneto„ rum Grossorum, & tribus Quarteriis pro „ quolibet Marcho*. De qua Moneta debeant „ *decem & octo solidi ponderare Marchum „ unum*. Et de ipsa moneta non possint ex„ pendere, nisi prius fiat sazium in pondere, „ & in igne. Quod sazium debet esse de uno „ Marcho in pondere, & de uno Quarterio „ unciæ in igne. Debent enim in pondere „ *decem & octo solidi facere Marchum unum*.

Definita argenti quantitas minor est illa, quæ in Tabulis Pagani statuitur: eadem scilicet, atque in alio ejusdem Nicolai instrumento anni 1356. unde colligitur, melioris notæ, graduque argenti perfectioris denarios Pagani fuisse, quam Nicolai. At nummorum, qui ex uno Marci pondere conficiendi forent, idem numerus legitur in prædictis Nicolai, & Pagani Tabulis: utrobique namque *decem & octo solidi*, seu denarii cusi ducenti & sexdecim numerantur, qui *debeant ponderare & facere Marchum unum*. Solidos ideales plures, nimirum *viginti*, ac insuper *octo denarios*, seu denarios ducentos quadraginta & octo, posterior constituit Nicolai syngrapha, quæ anno 1356. confecta est: unde palam fit, Nicolai denarios, primo Patriarchatus ejus anno signatos, ponderosiores conflari debuisse denariis, qui deinceps, ipso jubente Nicolao, percussi sunt.

Pondus ergo hujusmodi denariorum, quos anno 1351. cudi jussit Nicolaus, æquare quinque siliquas, & granum unum, & grani trientem debuerat. Mihi nondum, fateor, Nicolai denarii inciderunt in manus, quibus prædictum pondus insit. Ponderant non pauci, quos tractavimus, quatuor siliquas cum dimidio, & amplius aliquanto: quod utique pondus conventionibus in Instrumento anni

Digitized by Google

1356 constitutis maxime convenit. Cur vero de re dubitandum fuerit, quam facit compertissimam syngrapha nunc primum in lucem edita? colligendum vero, sub uno etiam, eodemque Patriarcha signatos conflatosque fuisse diversi ponderis denarios: plus nempe ponderantes, qui primo indepti Patriarchatus anno feriebantur, minusque illos qui postea cudebantur: idque demum sine dubio pro variis temporum circumstantiis. Ita vero per conjecturam antea docebamus. Qua conjectura ductus præcipuam diversi ponderis, quod inesse denariis eodem sub Patriarcha conflatis experimentum docebat, aperiri causam posse censebam ego: meamque sententiam modo certissimam facit, quæ nunc primum in lucem prodit Nicolai syngrapha anno 1351. confecta, cum Tabulis comparata, quæ anno 1356. exaratæ fuerunt.

III. Ad operis argumentum sermo redit. Marci ponderis quantitatem, quam unciis octo definiri statuimus, denariorum alterum examen confirmat, quod sequitur, *in igne*. Tabularum Pagani verba accipe num. 3. „ Item quod ipse Thomasius & Socii teneantur, & debeant facere, seu fieri facere „ sazium in igne *de uno quarterio unciæ*, quod „ est *grana centum quadraginta quatuor* pro „ quarterio: & debeant reddere pro quarterio de argento prædicto *grana centum quinque*, *& tres tertiarios grani*, *& dimidium*. Et si reperirentur grana duo, plus „ vel minus, approbentur boni denarii: & si „ fuerint duo minus, teneantur in sequenti scossa facere duo magis, & e converso. „ Recole superiora alia verba, quæ habentur num. 1. *Promisit cudere monetam bonam & puram Frixachensem, scilicet de unciis quinque, & quarteriis tribus, & dimidio boni & puri argenti pro qualibet Marcho*.

Habes primo, integram istam boni argenti quantitatem, quam inferiore cum materia immiscendam fore adnotavimus, ad summam ascendere siliquarum 846. quælibet enim uncia siliquis 144. constat. Habes etiam, hanc boni argenti quantitatem ita per uncias, & unciæ quadrantes distribui debuisse, ut quilibet quadrans igne probatus reddat grana 105. & quælibet proinde uncia siliquas reddat pariter centum & quinque. Fractiones facilitatis gratia prætermitto absque ullo tamen, quod inferatur veritati, dispendio. Itaque siliquas 846 divide per 8. uncias, (quot nempe unciis Marchum unum in Aquilejensi Monetaria officina constitisse adfirmamus:) quotus erit 105. cum residuo 6. Nimirum unciarum octo, quæ Marcum efficiunt, singulæ continent siliquas 105. argenti boni, & singuli unciæ quadrantes continent grana 105. juxta legem in Syngrapha Pagani constitutam. Quod vero siliquarum 6. residuum manet, ad fractiones *trium grani trientum cum dimidio* pertinent: quibuscum jungi debent grana illa duo argenti, quæ tametsi deficerent, impedimento non forent, quominus boni adprobari debeant denarii.

Tutissimam esse hanc a nobis adhibitam methodum, res ipsa per se clamat. Quidni ita fuerit, cum eadem optime quadret ad illud etiam examen denariorum Nicolai, & Ludovici Successoris, quibus non idem inerat gradus argenti, sed utique diversus? Conficienda eorum moneta erat *de unciis quatuor argenti Venetorum grossorum, & tribus quarteriis pro quolibet Marcho*: ac insuper lex imposita fuerat, ut peracto examine *in igne, reddi debeant pro quarterio de argento fino grana octuaginta duo, & dimidium*. Uncias illas quatuor, & tres quadrantes argenti redige in siliquas 684. & hunc siliquarum numerum divide per 8. uncias, quæ Marchum efficiunt. Quotus erit 85. cum residuo 4. qui præter propter ille siliquarum, & granorum argenti numerus est, quot inesse debent aut unciæ, aut quadranti unciæ juxta Tabularum conventiones. Priorem consule Dissertationem Capite VIII. num. V. ubi si quam ingerit difficultatem exiguus aut siliquarum, aut granorum excessus, ratiocinio deprehensus, tollitur omnis eliditurque.

Hinc vero colligendum, varias equidem diversasque, si præsto forent aliorum Patriarcharum Syngraphæ, quod attinet ad denariorum pondus, gradumque argenti, initas deprehensuros nos esse conventiones: sed una tamen eademque, qua utimur methodo, explanari omnes facillime posse. Quo fit, Tabularum interpretationem, quam priore in Dissertatione subtimide, ac veluti conjecturis innixi proferebamus, pro verissima habendam esse, utpote perspicuis ac certissimis argumentis munitam.

IV. Præter denarios argenteos, qui parvulorum Veronensium quatuordecim valorem æquabant singuli, ipsos etiam parvulos cudebat Monetaria nostra Aquilejensis officina. Leges, & conventiones, in eisdem feriundis conflandisque servandas, Pagani Tabulæ exhibent num. 10. „ Item quod dicti Conductores, & „ Magistri habeant auctoritatem faciendi cudi „ *parvulos*, qui sint de liga *quinque quarte-*

„ *rio-*

Digitized by Google

„ *riorum argenti fini*, (ſeu unius unciæ cum „ quadrante) pro Marcho . . . ſolidos duos „ plus vel minus, approbentur boni. Et fiat „ ſazium de *uno quarterio* ipſorum, in quo „ debent eſſe *grana XXII. & dimidium* argen- „ ti fini: & ſi eſſent duo plus vel minus, ſimi „ liter boni reputentur . . . In quo Marcho „ veniant de ipſa moneta (parva) & ſint in „ numero *libræ tres*, *& duo ſolidi*. „ Hæc ſuperiore methodo ſi exponantur, ſplendidiſſimam lucem accipiunt: eademque illuſtrata confirmant quammaxime, tum *Marci* ponderis quantitatem *unciis octo* definiendam eſſe, tum *ſolidi* vocem pro nummo ideali uſurpatam fuiſſe, denariorum & parvulorum, qui ex uno Marcho conficiendi forent, certum numerum complectente. Præcipua hæc ſunt capita duo, quibus Tabularum Pagani, Nicolai, Ludovici Patriarcharum, noſtra innititur interpretatio.

Monetæ parvæ examen *in pondere* primo loco occurrit. Indicitur vero in Syngraphis Pagani, ut Marcum unum æquare debeant *libræ tres*, *& duo ſolidi*. Tres intelligo libras ſolidorum idealium, qui parvulis duodecim ſinguli conſtabant. In Tabulis Nicolai tum anni 1351. tum etiam anni 1356. & Ludovici Succeſſoris decretum legimus: *quod ſint in pondere pro quolibet Marcho ſolidi* (nempe ideales) *ſexaginta ſex*. Itaque ſolidi 66. reddunt parvulos 792. & libræ tres cum duobus ſolidis, ſeu ſolidi 62. continent parvulos 744. Quo diſcrimine jam conficitur, nummulos Pagani aliquantulo ponderoſiores eſſe debuiſſe nummulis Nicolai, & Ludovici. Marcum (pondus) adſumo unciarum octo, quæ ſiliquas, vulgo *Carati*, efficiunt 1152. Hunc numerum divide per 744. parvulos, quot nempe reddunt ſolidi ideales 62. quotus erit 1. cum reſiduo 408. Hunc ſiliquarum numerum duc in 4. grana: productum habes 1632. Quem ſi dividas per 744. quotus erit 2. & reſiduum 144. Hinc nummuli Pagani, juxta præfatas Tabularum leges conflandi, ponderabant ſiliquam unam, & duo grana, & amplius aliquanto. Quo tamen ratiocinio inſtituto, nummulorum Nicolai, & Ludovici pondus deprehenditur, ad ſiliquam unam & grana duo integra non pervenire.

Cudi ſolidos nummulis duodecim conſtantes in officinis populorum & urbium monetariis conſueviſſe, dubitandi ratio nulla eſt: an etiam in Monetaria Patriarcharum officina, inferius diſceptabimus. Certum illud ego compertumque habeo, *ſolidos* parvulorum aut *duos & ſexaginta*, aut *ſexaginta ſex*, in allatis ſyngraphis enunciatos, nonniſi pro ſolido ideali ſumi poſſe. Alioqui namque quomodo ſolidi cuſi ſignatique, ſive ſexaginta duo, ſive ſex & ſexaginta duntaxat, ex integro Marco confici potuiſſent, quæcumque demum Marci quantitas definiatur? Hanc enim ſi unciis octo definitam intelligas, decem & octo ſiliquas, & amplius aliquanto ſinguli ponderarent denarii illi. Si unciam, & quadrantem ſeligas juxta quantitatem boni argenti, jam illi denarii ſiliquas duas duntaxat ponderarent, & aliquot grana: quod utrumque nemo non videt abſurdiſſimum.

Argenti boni *quinque quarteria*, ſcilicet unciam unam & quadrantem, complectebatur integer quique materiæ ad ferundos nummulos paratæ Marcus, ætate Pagani: juxta conventiones vero in Syngraphis Nicolai, & Ludovici conſtitutas, *quodlibet Marchum ponderare* debebat *unciam unam* duntaxat *argenti Veneti*. Hinc argenti gradus in nummulis Pagani innoteſcit aliquantulo perfectior, quam in nummulis aliorum, quos memoravimus, Patriarcharum. Atqui vero quadrans unciæ examinatus igne reddat oportet *grana 22. & dimidium argenti* juxta Pagani conventiones: decretumque in Tabulis Nicolai, & Ludovici legimus, ut *dimidium quarterii unius unciæ reddere debeat de argento fino grana octo & duos tertios*; ideſt integer unciæ quadrans, grana decem & ſeptem cum triente. Itaque ratiocinium conſueta methodo ſic inſtituo. Illa *quinque quarteria*, ſeu uncia cum quadrante *argenti*, quod integro Marco juxta Pagani Syngraphas ineſſe debet, continent ſiliquas, vulgo *Carati* 180. Has divide per 8. uncias: quotus erit 22. cum reſiduo 4. Siliquæ 22. ſi redigantur in grana, ſummam efficiunt granorum 88. Hanc divide per 4. unciæ quadrantes: quotus erit granorum 22. quæ nimirum ſingulis inſunt quadrantibus unciæ. Siliquæ vero 4 ſeu grana ſexdecim, quæ priore in ratiocinio ſuperſunt, ad illud grani dimidium pertinent, quod granis 22. additum legitur: habentque exceſſus aliquantulum, minime hoc loco computandum.

Hæc eadem ſi adplicueris ratiocinia *unciæ argenti*, ſeu ſiliquis 144. quæ juxta Nicolai, & Ludovici conventiones integro ineſſe Marco debuerant; illud ipſum quod exquiritur, certiſſime compertum innoteſcit, ut prioris noſtræ Diſſertationis Capite nono oſtendimus, ſingulis quadrantibus unciarum octo, quibus conſtare Marcum adſerimus, grana octo & am-

Digitized by Google

amplius aliquanto reddentibus. Quæ demum omnia cum adeo bene & optime cohæreant, adfirmari posse nihil ambigimus, interpretationem nostram, qua difficiliorem Tabularum Pagani, Nicolai, Ludovici Patriacharum partem exposuimus, non intra solius conjecturæ limites consistere, verum perspicua atque certissima demonstratione probari.

CAPUT V.

Nummi in Provincia Forijulii Frisachenses dicti, non ideales, sed cusi: iidemque, ac denarii parvulorum quatuordecim singuli. Hisce denariis majores alios, minoresque cudebat Monetaria Patriarcharum Officina. Argenti ibidem adhibiti nota, graduque indagatur. De lucro, quod ex cusione monetæ Patriarchis obveniebat.

¶ 1. ALIA sunt eruditionis emolumenta plura, quæ Monetario Patriarcharum Aquilejensium negotio accedunt ex una Pagani Patriarchæ Syngrapha e tenebris in lucem prolata. Lucem affert ea fulgentissimam ad quæstionem dirimendam, quæ vocat ad examen, num *Frixachenses* nummi, (vocatos etiam in vetustis chartis legimus *Frixachenses*, *Frixachos*, vel etiam *Frixerios*,) differant a denariis argenteis cusis, qui parvulis quatuordecim constabant singuli. Pro nummis *arbitrariis*, non minus *ac Marcas*, certo denariorum numero constantibus, habet illos Justus Fontaninus in *Epistola delle Masnade* pag. 33. Verum cusos conflatosque fuisse nummos, indubiis argumentis confecimus in priore Dissertatione.

Firmissimum suppeditant argumentum ipsæ Tabulæ Pagani. Verba illa refero, quæ num. 1. habentur: „ Venerabilis Pater Do„ minus Paganus Patriarcha .... volens fa„ cere *de novo cudere monetam* .... cum eo„ dem Thomasio ... convenit pactis & stipu„ lationibus infrascriptis: videlicet quod idem „ Thomasius ... promisit *cudere monetam bo„ nam & puram Frixachensem*. „ Animadverte, his agi verbis de moneta *cudenda*, & quidem *bona & pura*: eamque vocari *Frixachensem*. Igitur ille ipse nummus, qui *Frixachensis* vocari consueverat, cudi debuerat a Monetariis bonus & purus. Quispiam vero si diceret, in Officina monetaria Aquilejensi cusas Marcas, & Fortones cusos fuisse bonos & puros, nonne se deridendum propinaret? Cur ita? quia nempe Marcæ, & Fortones nummi sunt arbitrarii, qui neque cuduntur, neque boni & puri dici possunt. Verba sequuntur in eisdem Tabulis: *Debent esse ponderati, & coæquati singuli denarii ipsius monetæ* (*Frixachensis*,) *quando inciduntur & cuduntur*: quo deinceps *denariorum* nomine adhibito, ipsa *moneta Frixachensis* frequentius memoratur in Tabulis. Perinde foret, ac si quispiam diceret, *coæquatos esse debere singulos denarios ipsius Monetæ Aquilejensis*. Unde quemadmodum moneta Aquilejensis, ita Frixachensis, pro nummo ideali accipi non potest: & sicuti illa, ita ista in ipsis consistit cusis denariis signatisque.

At inquies, non ineptam, sed verissimam locutionem esse, si quispiam diceret, *centum* v. g. *Marcas monetæ Aquilejensis cusas fuisse*, tametsi Marcæ sint nummi ideales, qui revera non cuduntur. Cur pari sensu *Monetam Frixachensem cudi*, dici non queat? Apertissimum discrimen nemo non videt. Cum *centum* v. g. *Marcas cudi* dicimus, ipsam simul aut exprimimus, aut certe subintelligimus *monetam Aquilejensem*, quæ cuditur, in denariis sub ideali Marcæ nummo comprehensis consistentem. At Syngraphæ Pagani verba ita *Frixachensem monetam* enunciant, ut satis indicent, hanc esse ipsissimam *novam monetam*, quæ cudi debeat, *bonam* etiam *& puram*, eamdem omnino cum *denariis Aquilejensibus*, eodemque *denariorum* nomine pariter appellatam. Quam porro *monetam Frixachensem* Paganus, *Aquilejensem* vocant Nicolaus, & Ludovicus: ac alia demum adhibita voce, *denarios* appellant, eosque *parvulis quatuordecim* constantes, tres illi Patriarchæ.

In vetusto Codice MS. *dati & expensi*, computata quædam ratio legitur his verbis: „ 1356. expensæ Mensis Madii .... Item die „ 12. dedi Domino Juliano Capitaneo pro „ mensuris, pro parte Domini Patriarchæ „ (Nicolai) *libras soldorum 66. sold.* 13. „ *parv.* 4. quæ faciunt *March.* 7. *Frix.* 2. „ *den.* 23. „ Quo loco inquies, non enunciari parvulos 23. sed *denarios* 23. adeoque certo *denariorum* numero constitisse *Frixachenses*, nummos utique non cusos, sed ideales. Hæc tua abludit a vero interpretatio. Denarios quippe ibidem enunciatos, veluti nummos fractos in Frixachensibus contentos, pro parvulis accipi, putatosque fuisse, ipsum suadet ac evincit ratiocinium: quod attamen

Digitized by Google

tamen vitio laborat. Libræ 66. ſolidor. continent ſolidos 1320. Adde 13. ſunt ergo ſolidi 1333. Hac ſummam duc in 12. nempe parvulos: productum habes 15996. Adde 4. parvulos: conſurgit parvulorum ſumma 16000. Hanc divide per 14. (quot nempe parvulis conſtat denarius Aquilejenſis:) quotus eſt 1142. & reſiduus 12.. Sunt nempe *ſeptem* Marcæ, ſingulæ denariis 160. conſtantes: itemque denarii, ſeu Frixachenſes 22. & parvuli 12. Animadverte, nummos parvulorum quatuordecim apud Aquilejenſes tum *denarios* appellatos, tum *Frixachenſes*: priore uſurpata *denariorum* appellatione, *parvulos* dici debuiſſe nummulos, ne ulla irreperet æquivocatio: ſed altera *Frixachenſium* appellatione adhibita, nummulos eoſdem aliquando legi *denarios* dictos. Cæterum innumeræ in vetuſtis chartis rationes apparent, in quibus *Marchæ denariorum*, deinde *Frixachenſes*, denique *parvuli*, aut *pizzuli* numerantur: quo certe computationis modo indubium fit, *parvos* nummulos immediate contineri in *Frixachenſibus*; iſtoſque non alios eſſe, quam *denarios*, atque denariis confici *Marcham*, nummum idealem.

Vocem hanc, *Frixachenſem*, non compendio, ſed integre ſcriptam, legimus in Pagani Tabulis: quo fit, conjecturam noſtram confirmari de vitiata lectione illa *Frixoriorum*, vel *Frixeriorum*, quæ in Vita Beati Bertrandi Patriarchæ Capite V. occurrit apud Bollandi Continuatores. Veriſimile namque videtur, ut notam compendiariam *Frix.* videntes librarii, legerent ſcriberentque *Frixerios*, aut *Frixorios*; cum legere & ſcribere debuiſſent *Frixachenſes*, aut *Frixachos*: quæ voces in vetuſtis originalibus chartis frequentius offenduntur, quin ullæ mihi hactenus præſto fuerint cum voce integra *Frixeriorum*, aut *Frixoriorum*. Facti res eſt, quæ originalium documentorum inſpectione dirimi debet: nihilque mihi facilius, quam prædictam rejicere conjectationem, ſi viri periti antiquitatum ſcrutatores, de lectione illa in chartis originalibus occurrente teſtimonium perhibeant.

II. Nummos in Officina Aquilejenſi monetaria cuſos, qui prædictis Frixachenſibus aut denariis, parvulorum quatuordecim ſingulis, majores erant minoreſque, jam memoravimus Capite II. n. I. Nummos hujuſmodi, qui ſub Patriarchis, Bertoldo, Gregorio de Montelongo, & Beato Bertrando, percuſſi fuere, Muſæa ſervant: ad eoſque illuſtrandos pertinet poſtrema conventio, quæ legitur in Syngrapha Pagani. Verba ſunt num. 11. „ Item „ fuerunt in concordio ipſi, Dominus Pa„ triarcha, & Conductores, quod ſi ipſe „ Dominus Patriarcha voluerit, ut faciant „ *alias monetas a prædictis* (denariis, aut „ Frixachenſibus, parvulorum quatuordecim „ ſingulis,) facient de prædicta *prima liga* „ *Frixachen.* (Frixachenſium:) & reſponde„ bunt eidem Domino Patriarchæ de lucro „ pro quolibet Marcho, prout reſpondebunt „ de *ipſis Frix.* (Frixachenſibus;) prout „ *majores*, *vel minores* erunt denarii. „ Addiſcimus plura. 1. *Monetas alias*, a denariis aut Frixachenſibus diverſas, hiſque *majores minoreſque*, aliquando in Monetaria Aquilejenſi officina cudi conſueviſſe. 2. Monetas hujuſmodi pro ipſorum Patriarcharum *voluntate* & arbitrio cuſ:s eſſe. 3. Pondere quidem, non argenti nota & gradu, differre illas a denariis aut Frixachenſibus, qui valorem parvulorum quatuordecim æquabant: adeoque earumdem valorem ex ſola ponderis quantitate explorari, comparata ſcilicet cum denariis communibus, majori, vel minori.

Hinc vero ſponte fluit conjectura, *Majores* illas *monetas* vocari fortaſſe apud Aquilejenſes conſueviſſe *Groſſos*, vel *Groſſos Aquilejenſes*, qui duobus denariis, vel denario cum dimidio æquivalerent. Vetuſtas Forojulienſes chartas recenſuimus Capite V. prioris Diſſertationis n. 2. in quibus enunciatos legimus *denarios de viginti*, nempe parvulis. Ad hujuſmodi majorem monetam Aquilejenſem fortaſſe pertinebant: neque tamen pertinacius abnuerim, exteros illos fuiſſe nummos, vel groſſos. Apud Joannem Brunatium de Re Nummaria Patavinorum Cap. VI. pag. 49. vetuſta charta proſtat *anno 1265. Indictione 8. die primo Aprilis* conſignata: ubi enunciantur *libræ tres denariorum Venetorum groſſorum a 27.* (ſcilicet parvulis:) *& libræ tres, & ſolidi ſexdecim denariorum Veronenſium groſſorum a viginti* parvulis. Denarios, vel groſſos habes in Officina Monetaria Veronenſi percuſſos, qui viginti parvulorum valorem æquabant.

In ſerie nummorum Patriarchalium, quam Capite X. prioris Diſſertationis exhibuimus, majorum id genus, minorumque denariorum Aquilejenſium typos recenſuimus. Inter Bertrandi Patriarchæ nummos, qui ad lancem expenſi frequentius ponderare dignoſcuntur ſiliquas, vulgo *Carati*, quatuor cum dimidio, ac etiam integras quinque ſiliquas, occurrunt duo ponderoſiores. Alter eſt, cujus

Digitized by Google

pars una *Crucem* præſtat, intra cujus latera *Deus*, cum epigraphe *Bertrandus Patha*: & in altera viſitur ſedentis Pontificis effigies, qui manum dexteram elevatam habet, ſiniſtra tenet crucem, cum verbis in circuitu, *S. Hmachor. Aquilejenſ.* Ponderantem in lance Veneta referunt poſſeſſores, *novem ſiliquas, & grana tria*: admonentque alii, pondus eſſe *ſiliquarum undecim*. Quod inſigne ponderis diſcrimen oriri videtur ex ipſo nummo magis minuſque tempore & uſu detrito. Nummus alius proſtat, qui parte una *Aquilam* exhibet, cum verbis, *Bertrandus P. Aquilegenſis*: & partem alteram effigiem *Deiparæ*, ulnis puerulum Jeſum geſtantis, cum epigraphe, *Virgo Maria Avocata Mundi*. Ponderat, referentibus aliis, *octo ſiliquas, & grana tria*: & apud alios, integras *decem ſiliquas*.

Minor ejuſdem Bertrandi nummus habetur, *ſiliquas duas* & *tria* circiter *grana* ponderans: qui Virginem Deiparam repræſentat, cum verbis *Bertrandus P.* & Aquilam cum epigraphe, *Aquilegenſis*. Hunc appellare *dimidium denarium* liceat. Inter nummos Bertholdi, & Gregorii de Montelongo denarius viſitur, quem *dimidium* appellamus: pondus enim ineſt illi duplo minus aliorum denariorum pondere, quos cudi prædicti Patriarchæ fecere. Utriuſque vero denarii, qui ſervantur plures in Muſæis, frequentius quinque ſiliquas, ac inſuper dimidium ſiliquæ exæquant: repertique ſunt aliqui ſex ſiliquas æquantes, aliique uno vel altero grano excedentes.

Qua poſita diverſitate ponderum, corollaria ſponte fluunt animadverſione dignillima. Ac primo pro certo compertoque habendum eſt, (quod etiam animadvertimus Capite IV. num. I. & II.) hanc ponderis diverſitatem partim oriri ex ipſa denariorum conditione, quorum alii magis, minuſque alii tempore, & uſu detriti inveniuntur: partim etiam, ac præcipue ex diverſis conventionibus, quibus diverſum pondus, ac diverſa argenti nota ſtatuebantur, quoties moneta nova tum ſub diverſis Patriarchis, tum ſub uno eodemque Patriarcha cudenda fuerat. Ex uno unciarum octo pondere ſive Marcho jubet Syngrapha Pagani, ac prior alia ſub Nicolao anno 1351. exarata, conficiendos denarios fore *ſexdecim* ſupra *ducentos*: jubentque Tabulæ Nicolai anno 1356. confectæ, aliæque Ludovici Succeſſoris, denarios *ducentos quadraginta & octo*: hoc eſt ponderoſiores illos, minus ponderantes iſtos. Ad unum vero eumdemque Patriarcham quod attinet, veriſimillimum puto, meliores magiſque ponderantes fuiſſe denarios primo indepti Patriarchatus tempore cuſos, minuſque bonos, ac minus ponderantes, qui poſtea ſignabantur. Idque ſine dubio factum pro variis temporum circumſtantiis, quas diligentiore opera perſcrutari non libet.

Hinc animadverſio confirmatur, quam priore in Diſſertatione Capite VIII. n. 3. propoſuimus: pondus illud, quod ineſſe denariis experimento lancis deprehenditur, pro certa regula certoque dato ſtatui non debere ad ipſam cudendæ monetæ rationem, quæ in Syngraphis conſtituta legitur, tuto & accuratiſſime exponendam: plurimum tamen lucis, ac utilitatis inde proficiſci. Rem clarius explano. Pagani v. g. nummos ad lancem Venetam expendamus. Occurrunt aliqui, quorum pondus eſt *ſiliquarum quinque cum dimidio*: adæquant alii *ſiliquas quinque* duntaxat, & alii *unum* inſuper *granum*. Quod ſi conventionibus hæreamus, quas Pagani Tabulæ anno 1330. extremo Patriarchatus tempore confectæ ſtatuunt; denariorum ipſius Pagani pondus æquare deberet *ſiliquas quinque, granum unum, & grani trientem*. Ajo ergo, ad explorandam conſtitutam in Tabulis rationem cudendæ monetæ, adſumi veluti certam regulam non debere pondus illud, quod ineſſe denariis ad lancem expenſis deprehenditur: tum quia hujuſmodi denarii, qui ſervantur, nonnihil detrimenti ex uſu, tempore, & loco, unde effoſſi ſunt, pati potuerunt: tum quod etiam ſub uno eodemque Patriarcha diverſæ conventiones, quod attinet ad pondus, ipſamque argenti notam, iniri pro temporum circumſtantiis conſuevere. Addo nihilominus, pondus idem, quod per lancem dignoſcitur, tametſi mutationem aliquam ob allatas cauſas potuerit ſubire, ſatis lucis ac utilitatis afferre, ut ipſam cudendæ monetæ rationem exploremus, ac probe intelligamus. Veriſimillimum namque eſt, denarios illos Pagani, qui *ſiliquas quinque* excedunt, cuſos percuſſoſque in Officina monetaria fuiſſe juxta leges in allegatis Tabulis præſcriptas: itemque denarios illos, qui *ſiliquas quinque* duntaxat adæquant, utpote uſu, tempore, loco detritos, ad eaſdem leges redigi debere: ad aliaſque demum conventiones pertinere, qui *ſiliquas quinque*, & *grana duo* aut æquant, aut excedunt. Quod ajo mirifice confirmant, quæ ſub Nicolao Patriarcha initæ fuerunt anno 1351. conventiones: quibus denarii, ejus nomine cuſi, hactenus mihi noti minime con-

ve-

Digitized by Google

veniunt, si ponderi ipsorum per lancem explorato inhæreamus. Consule, quæ adnotavimus Capite IV. num. II.

III. Hæc vero de pondere denariorum; sive qui communes erant, ac parvulorum quatuordecim valorem æquabant, sive qui hisce denariis majores minoresque pro arbitrio Patriarcharum cudebantur, satis. De nota, sive gradu argenti, quo denarii communes, majoresque, & minores constabant, paullo diligentius inquirendum est. In Tabulis Nicolai & Ludovici, *bonum & purum argentum*, quod in Aquilejensi moneta conflanda adhiberi debeat, dicitur *argentum grossorum Venetorum*. Hæc duntaxat verba, *bonum & purum argentum*, legimus in Syngrapha Pagani: quod attamen non aliud intelligendum esse, quam *argentum grossorum Venetorum*, evincere videtur illa ejusdem Syngraphæ conventio, num 7. posita, qua Monetæ Præfectus obstringitur, *tenere continue in ipsa moneta libras ducentas Venetorum grossorum ad minus*: ut materia scilicet, ni mea me fallat opinio, ad cudendam monetam Aquilejensem necessaria, præsto semper foret.

Argentum, id genus, quod est *Grossorum Venetorum*, in exteris Monetariis officinis adhiberi consueviſſe, liquido certoque patet ex decreto Bononiensium, quod anno 1289. latum refert Ghirardaccius: *Che occorrendo di far la moneta di Bolognini Grossi, si doveſſe fare buona d'argento e di lega .... cioè che la lega foſſe di dieci oncie, & un terzo d'argento Viniziano groſſo, & ugualmente buono: & due oncie meno un terzo di rame in dodici oncie di Bolognini Grossi*. Cudi Venetiis primum cœpere *Grossi* sub Henrico Dandulo, qui Dux anno 1192. renunciatus fuit, ita referente ejus gentili Andrea in Chronico Libro X. Capite III. Parte V. „ Subsequenter Dux *argenteam mo-* „ *netam*, vulgariter dictam *Grossi Venezia-* „ *ni*, vel *Matapani*, cum imagine Jesu Chri- „ sti in throno ab uno latere, & ab alio cum „ figura Sancti Marci, & Ducis: valore „ *viginti sex parvulorum*, primo fieri decre- „ vit. „ Quo de nummo latiore sermone agendum Capite insequente.

Marcus, ponderis species, duodecim uncias apud Bononienses complectebatur: ipsumque, cum agebatur de grossis eorum conflandis, conficiebant unciæ decem cum triente argenti grossorum Venetorum, ac uncia una cum duobus trientibus æris, seu materiæ inferioris. Longe deterior erat mixtura, ex argento & ex ære composita, ex qua denarii Pagani, Nicolai, & Ludovici confecti sunt. Marco enim Aquilejensi, quem unciis octo definitum animadvertimus, Nicolai & Ludovici tempore, inerant *unciæ quatuor, & tria quarteria argenti Venetorum grossorum*: idemque Marcus, ætate Pagani, complectebatur *uncias quinque, & quarteria tria, & dimidium boni & puri argenti*. Hinc vero perspicuum fit, denarios Nicolai & Ludovici, ad argenti notam gradumque quod attinet, pejores fuisse denariis Pagani: ac utrosque Grossis Venetis longe deteriores.

Atqui argento Grossorum Venetorum sua quoque inferior materia immixta fuerat. Quantitas ejus incomperta mihi: sed modicissimam fuisse, peritos Viros referentes audivi. Hinc difficultas emergit ex eo pecuniæ nostræ examine *in igne*, quo in Tabulis Nicolai præscriptum legitur, ut *quarterium unciæ* igne probatum reddere debeat *de argento fino grana octuaginta duo, & dimidium*: & in illis Pagani, ut *quarterium unciæ* debeat *reddere de argento prædicto* (bono & puro) *grana centum quinque, & tres tertiarios*. Porro quadrans unciæ ponderabat grana 144. seu siliquas, vulgo *Carati* 36. & integra uncia siliquas 144. Inquiritur vero, num istud *bonum*, & *purum*, & *finum* argentum, quod examine in igne peracto reddendum fuerat, absolute bonum purumque vocetur: an haberi pro argento puro illa mixtura debeat, ex qua Grossi Veneti conficiebantur? Pars hæc posterior adferenda videtur: quandoquidem numerus granorum, aut siliquarum argenti boni & puri, qui facto per ignem examine reddendus constituitur, ipsam adæquat Grossorum Venetorum quantitatem, integro Marco Aquilejensi juxta leges Tabularum cum materia inferiore immiscendam. Ratiocinia nostra recole, & expende, quæ Capite III. num. 2. & 3. subducta sunt, & Capite VIII. num. 5. prioris Dissertationis.

Quam ego tamen difficultatem, si qua est, accuratiore versandam examine his relinquo, qui Monetariorum leges, & artem penitius callent. Docebunt ipsi, si quid ad rem hanc accuratissime dirimendam conferat numerus granorum in prædictis ratiociniis residuus: & si quid etiam conferre valeat aliquorum granorum defectus in Tabulis permissus. Modicam illam inferioris materiæ quantitatem, quæ argento Venetorum grossorum erat immixta, fortasse non computabant Aquilejenses, aliique Monetarii.

IV. Lucrum denique sequitur paucis exponen-

Digitized by Google

endum, quod Patriarchæ obveniebat, quoties nova cudebatur Aquilejensis Moneta, sive parvuli forent, sive denarii, sive nummi denariis majores minoresque. In Tabulis Pagani hæc habentur num. 4. *Item teneantur & debeant dare, & reddere præfato Domino Patriarchæ, vel ejus Factoribus, de qualibet Marcha denariorum, quos fecerint, solidos quatuor parvorum, dandos & solvendos eidem, quoties scossam fecerint.* Et num. 10. *Item quod dicti Conductores, & Magistri habeant auctoritatem faciendi cudi parvulos .... Et dare debeant de lucro ipsi Domino Patriarchæ pro quolibet Marcho sold. 1. parvorum.* Et n. 11. *Item fuerunt in concordio ... quod si ipse Dominus Patriarcha voluerit, ut faciant alias monetas a prædictis* (denariis & parvulis,) *quod eas facient de prædicta prima liga Frixachen.* (seu denariorum:) *& respondebunt eidem Domino Patriarchæ de lucro pro quolibet Marcho, prout respondebunt de ipsis Frix. prout majores vel minores essent denariis.*

Nummorum species, qui cudebantur in Monetaria Aquilejensi officina, tres distinguuntur: denarii parvulorum quatuordecim singuli, parvuli ipsi, aliæque monetæ denariis majores minoresque. Ex singulis monetæ cusæ Marcis lucrum obveniebat Patriarchæ. Marcum unum, ætate Pagani, ponderabant nummi parvuli cusi 744 quorum *solidus unus parvorum*, seu duodecim cusi parvuli in lucrum solvebantur Patriarchæ. Ex uno item Marci pondere conficiebantur denarii 216. quodve inde reportabatur, lucrum erat *solidorum quatuor parvorum*, seu parvulorum hujusmodi cusorum signatorumque octo supra quadraginta. Idemque demum lucrum obveniebat ex illa moneta, quæ denario major vel minor pro arbitrio Patriarchæ feriebatur. Paullo differens lucrum est, quod in Tabulis Nicolai statutum legitur. Pro singulis Marcis, qui pondere æquabant denarios cusos 216. juxta conventiones anno 1351. initas, numerare Patriarchæ tenebatur Monetarius *solidos quatuordecim parvulorum*: prope singulis Marcis monetæ parvæ, qui parvulos cusos 792. complectebantur, *solidi duo parvulorum*, idest parvuli cusi 24. solvi debuerant. Idem legitur lucrum, quod attinet ad monetam parvam, in aliis ejusdem Nicolai Tabulis anni 1356. quæ tamen pro lucro *ex denariis* 248. obveniente *novem denarios* enunciant.

Quibus in locis cum *solidum unum* legis, itemque *solidos duos*, ac *solidos quatuor parvulorum*, itemque *solidos quatuordecim parvulorum*, cave solidos ipsos pro nummis cusis accipias, cum sint ideales. Recole, tres monetæ cusæ species in præfatis Patriarcharum Syngraphis memorari: videlicet *parvulos*; & *denarios* seu *Frixachenses*, parvulorum quatuordecim singulos; ac monetas alias, denario majores minoresque, nimirum dimidios denarios, denarium cum dimidio, aut denarium duplo majorem. Cum ergo *solidi parvorum* enunciantur, qui lucri causa debeant Patriarchæ solvi; pro nummo ideali accipiuntur *solidi*, numerum complectentes *parvorum*, qui in Officina monetaria cudebantur, ac Patriarchæ solvi a Monetario debuerant. Insignis confirmatio accedit ex his verbis, quæ in Tabulis Nicolai, & Ludovici Successoris habentur: *Et in qualibet solutione cujuscumque mercationis, vel debiti, teneatur quilibet recipere usque ad summam decem solidorum denariorum parvorum.* Cudi ac signari in præfatis Tabulis jubent Patriarchæ, tum *parvulos*, tum *denarios* parvulorum quatuordecim singulos. Jubentque præterea, ut venditores, creditoresque in emptionis & venditionis contractibus, ac æris alieni solutionibus, *denarios parvos* recipere teneantur *usque ad summam decem solidorum*: neque cogant emptores, debitoresque, ut pretia rerum, & æs alienum solvant, *denariis Aquilejensibus* duntaxat enumeratis. Num ergo *decem* isti *solidi* fuerint cusi? Toto erraret ostio, qui allata verba sic intelligenda putaret. Imo sunt *decem solidi* ideales, idest parvuli cusi centum & viginti, quos in solutionibus respui a venditoribus & creditoribus vetant Patriarchæ.

CAPUT VI.

Denariorum Aquilejensium valor, comparatus ad Venetum Ducatum aureum, vulgo Zecchino, itemque ad Florenum. Idem comparatus ad solidos in aliis Monetariis officinis cusos. Grossi Veneti valor, non idem, sed varius. Computatio parvorum, & grossorum ad aurum, ut inquiunt, explicatur.

I. DEnarios argenteos Aquilejenses, communi æstimatione singulos, valorem æquasse parvulorum Veronensium quatuordecim, indubia vetusta monumenta evincunt, quæ recensuimus in priore Dissertatione Capite V. Immotus idem semper denariorum stetit valor, tametsi quod attinet ad pon-

Digitized by Google

pondus, notamque argenti, tum ipsi denarii, tum parvuli, tempore succedente, pejores deterioresque cuderentur. Hinc utique factum, ut Aquilejenses denarii, ad aureum Ducatum Venetorum, vulgo *Zecchino*, itemque ad Florenum comparati, numerandi pauciores forent remotiore ætate, pluresque ævo sequiore, ad ipsius aurei nummi valorem æquandum. Rem hanc animadvertendam loco citato proposuimus, certamque faciunt vetustæ chartæ. Potiores aliquas in lucem proferre præstat, quarum majorem partem humanitati summæ Josephi Binii Archipresbyteri Glemonensis acceptam debeo.

Antiquior, quæ mihi charta præsto est, ratiocinium exhibet, quod sequitur. „ 1356. „ ... Item die 29. Septembris dedi Domino „ Rovereo, qui procuravit factum Commu„ nis (Glemonæ) apud Dominum Imperato„ rem, ex mandato Consilii, *Florenos de„ cem*. Sunt *libræ Frex.* 30. „ Sunt nempe Frexachenses, aut Frixachenses nummi, seu Aquilejenses denarii 600. Quo fit, denarios 60. hoc anno solvi debuisse, ut Floreni aurei valor æquaretur. Florenum, nummum aureum, Florentiæ primo cusum anno 1252. testantur Ricordanus Malespina Capite 152. Joannes Villanius Libro VI. Capite 54. S. Antoninus Parte III. Tit. XIX. §. 6. cujus hæc verba sunt: *Tunc Civitas in felicitate temporali constituta, cœpit cudere Monetam auream, scilicet Florenos ex auro, quæ prius utebatur argentea: & fiebat de auro perfecto &c.*

Quatuor denariorum augmentum exhibent putationes, quæ sequuntur, ad annum 1359. pertinentes. Primum accipe ratiocinium: „ 1359. ... Item dedi Janviso supradicto pro „ æstimatione quatuor suorum equorum, quos „ perdidit in Scluſa, ex mandato Consilii „ majoris, *Florenos auri 72.* in ratione 64. „ *denariorum* pro quolibet. „ Alterum: „ 1359. „ ... Item dedi Magistro Viviano Physico „ salariato ... *Ducatos auri* 22. qui constite„ runt quilibet *denar.* 64. „ Tertium „ 1359. „ ... Item recepi ... Quæ pecunia data fuit „ Medico ab eisdem, qui erant fidejussores „ pro Communi, *Ducatos auri* 61. in ratione „ 64. *denariorum*. „ Quartum: „ 1359. ... „ Item recepi a Raymondolo de Utino *Du„ catos auri* 61. in ratione 64. *denariorum* pro „ quolibet. „ Parem Floreni, & Ducati Veneti valorem habes. De hoc aureo nummo in Chronico Andreæ Danduli Tomo II. sub initium hæc habentur: *Qui* (Joannes Dandulo Dux anno 1289. renunciatus die 24. Mensis Martii) *etiam Ducatos aureos primitus fieri jussit*. Neque Ducis, neque vulgaris æræ annus definitur, quo Ducatus aureus prima vice cusus fuerit. Hunc Franciscus Sansovinus definit 1282. in Chronico Veneto. Marinus Sanutus in Vitis Ducum Venetiarum apud Muratorium in Collectione Scriptorum Italiæ Tomo XXII. col. 575. refert, se in Veneta Monetaria Officina epigraphem insequentem vidisse marmori insculptam: „ In „ Nomine Dei Omnipotentis. Anno ab In„ carnatione Domini nostri Jesu Christi MCC„ LXXXV. Mensis Martii Indictione XIII. „ tempore egregii Viri, & honorabilis co„ ram Deo & hominibus, Domini Johannis „ Dandulo, Inclyti Ducis Venetiarum, fuit „ prius quidem facta Moneta auri, quæ vo„ cata est Ducatus, ad honorem Beati Mar„ ci Evangelisti, & omnium Sanctorum, & „ Reipublicæ Venetorum. „ Christi annus, Indictio, & Martius Mensis recte cohærent in ea pariter, quæ apud Venetos vulgaris erat, anno computandi ratione. Adverbium illud, *prius*, æquivocatione laborat: incertusque sensus est, num moneta illa aurea tum *primo*, idest anno 1285. percussa fuerit, an *prius*. Peritiori cuique rem ego definiendam relinquo. Consule vero Comitem Jo. Rinaldum Carlium in Epistolari Dissertatione, quam laudavimus, differentem plura, & anecdota monumenta proferentem.

Ludovico Turriano Ecclesiam Aquilejensem administrante, alia est denariorum comparatio cum Ducato Veneto, alia cum Floreno. In Codice MS. *Rationum Reverendissimi in Christo Patris & Domini D. Ludovici Dei gratia Sedis Aquilegensis dignissimi Patriarchæ*, ad Annum 1360. hæc habentur: „ Item „ die XXVIIII. Octobris recepit (Ambro„ sius de la Turre, Canonicus Aquilejensis, „ & laudati Ludovici Patriarchæ Thesaura„ rius,) a Matthiussio de Prampergo, nomi„ ne ejusdem Domini Panzerræ, *Ducatos quin„ quagintaquatuor*, in ratione *LXIIII. denar.* „ pro quolibet. „ Quis ille fuerit Dominus Panzerra, verba patefaciunt, quæ paullo superius descripta sunt: *Item Gastaldia Carneæ concessa fuit Nobili Viro Domino Panzerræ de la Turre ad annum &c.* Quo Panzerræ nomine vocatum adnotat Dominicus Capodaleus in Civitate Utini illustrata, *Castolinum*, *filium Napoleonis*. (seu Napi, aut Napini,) *consanguineum Ludovici Patriarchæ*. Alias profero rationum putationes: „ 1360. Item recepit ab

Digitized by Google

„ eodem *Florenos viginti unum*, in ratione „ *LXIII. denar.* pro quolibet . . . . . Recepit „ . . . super solutione dictorum, Gastaldiæ, „ & Capitaneatus, (Medunæ, & Sancti „ Steni,) *Ducatos quadringentos*, in ratio„ ne *denar. sexagintatrium, & parvorum de„ cem* pro quolibet Ducato. „ Quænam hujusce diversitatis causa fuerit? Num diversum Floreni, & Ducati pondus? An aliqua in ipsa auri nota immutatio? An etiam Ducatorum, qui dudum, & qui recens cusi fuerint distinctio? Diligentius causam perquirere nec libet mihi, nec vacat. Quæ vero in denariorum numero differentia notatur, ex eorum certe oriebatur conditione, ut infra dicendum.

Idem erat denariorum 64. cum dimidio, & unius Floreni valor anno 1363. „ Item dede„ runt Johanni Nuncio, qui ivit ad Dominum „ Imperatorem, & portavit litteras Commu„ nis, *Florenos duos*, & *solidos viginti*. *De„ nar. CXLVIIII.* „ Putantur nempe denarii 64. cum dimidio pro singulis Florenis, ac supersunt denarii viginti. Hinc animadverte, *solidos* eo loco sumi pro denariis parvulorum quatuordecim singulis. Uno denario imminutum Floreni valorem anno 1370. insequentes Tabulæ docent: „ 1370. . . Item dedit „ Federico de Venzono, & testibus tribus „ de Trasagiis, qui iverunt Utinum testatum „ in quæstione, quam Commune habet cum „ Georio de Venzono, *Florenos quatuor* in „ ratione *denar.* 63. pro quolibet. *Libr. de„ nar. XII. denar. XII.*

Veneti Ducati valor, comparatus ad Aquilejenses denarios, incrementum deinceps accepit: idemque ut æquaretur, denarii quinque supra sexaginta requirebantur. „ 1374. „ . . . Item dedit Presbytero Karolo de Pigna„ no, qui ter fuit Glemonæ suis sumptibus, „ & laboravit ad nobis inveniendum Magi„ strum Scholarum, *Ducatos quatuor*. (vi„ del.) *March.* 1. *denar. LXXXXVI.* „ Marca una, nummus idealis, cum denariis 96. summam efficiunt denariorum 256. Quo numero distributo per 4. nempe Florenos, quotus erit 64. Idem nempe hoc etiam anno 1274. valor Ducati Veneti, qui annis superioribus. Auctum ipsum jam vide: „ Item die „ 27. Junii dedi Vicario de Pers, & ejus „ uxori, de mandato Consilii, *Ducatos de„ cem*, qui faciunt in ratione *LXV. denar.* „ *Marchas IIII. & denarios X.* „ Ex his quatuor Marcis, & denariis decem summa consurgit denariorum 650. Hanc divide per *decem* Ducatos: quotus est 65. Eadem anno 1376. occurrit valoris comparatio: „ 1376. „ . . . Die 28. dicti Mensis Augusti post deli„ berationem Consilii, dedi Domino Rainaldo „ Capitaneo *Ducatos quindecim*, in ratione „ *LXV. denar.* „

Deteriores pejoresque insequentibus annis cudit Aquilejensis Monetaria officina denarios, qui numerari plures debuerunt, ut Venetum Ducatum exæquarent, nimirum tres & septuaginta. „ 1380. . . . Item expendidi de man„ dato meorum Provisorum, & quatuor Ele„ ctorum super facto guerræ: quos dedi Sr. „ Georio Francischini pro quatuor lanzeis, „ in ratione *XX. ducatorum* pro lanzea: va„ lore cujuslibet Ducati, *LXXIII. denar.* „

Comparatum deinceps hujusmodi valorem in denariis 70. 71. 72. constitutum, deprehendimus ex Tabulis, quas profero. „ 1381. „ . . . Die lunæ 24. Februarii. Post delibera„ tionem Majoris Consilii, dedi Turino, qui „ portavit Ambaxiatoribus, qui vadunt ad „ Dominum Regem Ungariæ, & Ducem „ Leopoldum, pro treguis slongandis inter „ Dominum Patriarcham & Dominum Du„ cem, *Ducatos sex* pro *denariis LXXII.* pro „ quolibet. 1383. . . . *Ducatos viginti septem* „ in ratione *denariorum septuaginta* pro Duca„ to . . . . Die XV. Februarii (anno, ut „ puto, 1384.) expendidi juxta deliberatio„ nem octo Electorum: quos dedi Francisco „ de Clusa, familiari Domini Paduani, quia „ portavit novam super facto Tarvisini distri„ ctus nuper devento dicto Domino Paduano, „ *Ducatos sex*. (idest) *March. denar. II.* „ *denar. CVI.* „ Marcæ duæ, denariorum 160. singulæ, ac insuper denarii 106. summam constituunt denariorum 426. Hanc divide per 6. nempe Ducatos: quotus est 71. Hæc in numero denariorum, qui pro singulis aureis Ducatis plures pauciores que computabantur, differentia ex ipsa oriri denariorum conditione debuit: qui nempe vel antiquiores meliores que erant, vel recens cusi pejores que: itemque sub uno eodemque Patriarcha notæ pejoris alii, aliique melioris pro temporum circumstantiis cudebantur.

Augeri insequentibus annis denariorum numerum oportuisse, numeratosque denarios 72. 74. 75. & 76. imo demum 80. docent dati & expensi rationes, quas profero. „ 1391. „ die XII. Augusti . . . expendi, quos dedi „ Christophoro Roberti, qui ivit ad S. Vi„ tum . . . juxta deliberationem Consilii, *Du„ catos tres*, in ratione *denariorum septua„ gin-*

Digitized by Google

„ *ginta quinque* pro ſingulo . 1393. die VII. „ Septembris expendi , quem dedi juxta „ deliberationem meorum Proviſorum Can„ dido Coletti , ut exactori Dacii com„ munis, pro malis expenſis, *Ducatum unum*, „ in ratione *ſeptuaginta duorum denariorum* . „ . . Die 26. Febr. item expendi , quos dedi „ Petro Pitaſſi , qui ivit Romam ex delibera„ tione quatuor Electorum . . . *Ducatos duo„ decim* in ratione *ſeptuaginta quatuor dena„ riorum* pro ſingulo . . . 1397. . . Recepi a „ Joſeph Judæo . . . *Ducatos decem* , videlicet „ quatuor in auro , & ſex in moneta , in ra„ tione *ſeptuaginta ſex denar.* pro ſingulo . „ Denique in Inſtrumento , quod *anno a Nat. ejuſdem* (Domini) 1399. *Indict. 7. die ultima Menſis Junii actum eſt Utini ſuper Platea Communis* computatos lego Ducatos quinquaginta auri , *in ratione dimidiæ Marchæ*, ideſt *denariorum Aquilejenſium octoginta* ſingulos .

II. Hactenus de valore denariorum Aquilejenſium, cum Florenis & Ducatis aureis comparato . Liceat illos modo conferre cum ſolidis , quos an officina monetaria Patriarcharum cuderet , diſſidium eſt , ac negans utique opinio noſtra : cudebant certe aliæ populorum , & urbium officinæ . Duodecim denariis , ſive parvulis nummis ubique conſtabat ſolidus : unde Aquilejenſis denarius, qui parvulorum quatuordecim valorem æquabat , ſolidum excedebat parte ſeptima. Hinc vero factum , ſolidos plures , quam denarios numerari debuiſſe , ut Floreni ac Ducati aurei valor æquaretur : Solidorum quippe numerus requirebatur , qui parte ſeptima numerum denariorum excederet .

Hanc denariorum ſi comparationem inſtitueres cum ſolidis univerſim , qui diverſis in locis cudebantur , graviſſimos in errores incideres : neque enim hujuſmodi ſolidis , ac denariis ſeu parvulis , alibi cuſis , idem inerat valor , idemque pretium ; quod etiam a Doctiſſimo Muratorio obſervatum in Antiquitatibus Italicis medii ævi Tomo II. Diſſert. XXVIII. col. 779. Inſtitui comparationem oportere nullus ego dubito , cum ſolidis qui in Officinis Marcæ Veronenſis cudebantur. Facultas quippe Patriarchis facta eſt cudendi *denarios Veronenſibus pares*, aut meliores : cuderuntque ipſi pro ſibi data facultate denarios parvulos , qui cum Veronenſibus pares forent , *Veronenſes* etiam appellatos : proque ſibi conceſſo arbitrio cudi majores nummos fecere , *denarios Aquilejenſes* dictos, qui parvulis Veronenſibus quatuordecim conſtabant ; cum reliquæ officinæ ſignarent ſolidos parte ſeptima minores , duodecim videlicet parvulis conſtantes . Solidos intellige , non æreos hodiernos , ſed argenteos .

Num ratiocinio noſtro , quod juſtiſſimum puto , res ipſa conſonet , vetuſtis chartis Veronenſibus, Patavinis , ſimilibuſque, quæ mihi præſto non ſunt, comprobandum foret . Apud Brunatium De Re nummaria Patavinorum Capite XII. computatos Ducatos lego anno 1398. *in ratione librarum IIII. ſolidorum X. pro quoque* , ideſt ſolidorum Patavinorum 90. eandemque video putationem anno 1399. & anno 1400. Apud Aquilejenſes anno 1397. *denarii Aquilejenſes 76.* requirebantur ad æquandum aurei Ducati valorem : idemque denariorum numerus annis inſequentibus dubio procul augeri debuit. Hinc haud inepta ſuſpicio eſt, eam denarios Aquilejenſes inter , ac Patavinos interceſſiſſe rationem , quæ ſeptimæ partis differentia eſt . Syngraphas alias occurrere nullus dubito , quæ difficultatem ingerant : neque tamen quiſpiam præſumat , ut omnes difficultates , quarum non una , ſed varia origo eſſe poteſt , facile ac perſpicue expediantur .

Quid ? quod Aquilejenſium denariorum comparatione inſtituta cum ſolidis argenteis Venetis , qui ævo remotiore cudebantur , ſeptimæ partis præter propter differentia paſſim deprehenditur . Schedæ proſtant typis editæ , ac manuſcriptæ , quæ valorem Ducati exhibent , ſolidorum Venetorum libris expreſſum . Comparationem , quæ ſequitur , attentiore mente expende .

Valor Ducati aurei , vulgo *Zecchino* .

Apud Aquilejenſes .	Apud Venetos .
Anno 1356. Florenus, ac Ducatus aureus pretium æquabat *denar.* 60.	Eodem anno *libr.* 3. *ſolid.* 8. ideſt *ſolid.* 68.
Ab anno 1359. ad annum 1374. *denar.* 64.	Ab anno 1359. ad annum 1374. *libr.* 3. *ſolid.* 10. & *libr.* 3. *ſolid.* 13. ſeu *ſol.* 70. & 73.
Anno 1374. 1375. 1376 *denar.* 65.	Eodem tempore *libr.* 3. *ſol.* 14. & *libr.* 3. *ſol.* 16. nempe *ſolid.* 74. & 76.
Ab anno 1380. ad annum 1384. *denar.*	Anno 1380. *libr.* 4. *ſol.* 2. Anno 1382.

70.

Digitized by Google

70. 71. 72. 73. *libr.* 4. *ſolid.* 4. Integra denariorum ſumma eſt 82. 84.

Ab anno 1391. ad annum 1399. *denar.* 74. 75. 76. & 80. Anno 1399. *libr.* 4. *ſol.* 13. ſeu *ſol.* 93.

In hiſce computationibus invicem collatis exceſſus occurrit ſeptimæ partis præter propter in ſolidorum Venetorum numero. Exactiſſimum ejuſdem ſeptimæ partis incrementum haud obſervari, fateor; ne videlicet fractionibus parvulorum difficillima ratiocinia, implicatique venditionum & emptionum contractus, ac ferme impoſſibiles pretiorum ſolutiones redderentur. Hæc lucem afferunt ad eam quæſtionem dirimendam, quæ inferius excitanda mihi eſt, vocatque ad examen, num præter parvulos, ac denarios parvulorum quatuordecim ſingulos, cuderet ſolidos Monetaria officina Patriarcharum.

III. De tabula manus mihi ſubducenda non eſt, quin de *Groſſo* Veneto in ſyngraphis noſtris memorato, ejuſque valore paullo diligentius agam. Nummum iſtum, *Groſſum*, & *Mattapanem* vocatum, primo cuſum ſignatumque, juſſu Henrici Danduli Ducis, adnotavimus Capite IV. num. 3. Certo numero *denariorum*, ſeu *parvulorum* Groſſus conficiebatur: *duodecim groſſis* conſtabat ſolidus, nummus idealis; ac *ſolidi* id genus *viginti* conficiebant libram, quæ *libra magna* dicebatur.

Stanislaus Santinellus, e Congregatione Somaſcha Clericus Regularis longe doctiſſimus, quem mortis fato non ita pridem amiſſum dolent boni omnes, inter Epiſtolas anno 1734. typis editas, Epiſtola III. ad Nobilem Virum Franciſcum Teupolum, valorem Groſſi ſeu Mattapanis ad examen vocat. Ait vero: „ Mat„ tapanem *ſex & viginti parvulos* valuiſſe„, „ ait Dandulus. Si *parvuli iſti* minutiſſimi illi „ nummi ſunt, qui in deſuetudinem abiere„, „ ac duodecies ærea moneta, quam *ſolidum*, „ aut *Marculum* ab impreſſa Sancti Marci fi„ gura appellamus, continebantur, *Bagattini* „ dicti, longe abeſt Mattapanis ab eo, quod „ modo pretii illi eſt. Si *parvuli* ſunt ipſi „ nummi ærei, ſeu *ſolidi* noſtrates, qui vi„ ceni in ſingulas libellas Venetas numerantur, „ nimium exſuperat pretium, quo nunc æſti„ matur .... Quem vero id torqueat? Aliud „ olim, aliud ad præſens argenti pretium, ne„ que vacat utriuſque rationem inire, neque„ „ res hæc brevi codicillo perſtringenda„. „ Brevi tamen codicillo rem hanc perſtringens ego, animadverto, *parvulos nummos*, quorum certo numero, puta *ſex & viginti*, conſtabat *Groſſus*, cum primo cuſus eſt, neque *ſolidos* æreos unquam fuiſſe, neque *Bagattinos* aut parvulos, qui duodecies æreo ſolido continebantur. Bagattinos æreos olim cudebat Monetaria Venetorum officina: qui modo ſunt nummi ideales. Recole vero, ſolidum argenteum ævo illo remotiore cudi conſueviſſe, itemque parvulos: iſtoſque duodecies numeratos, eorum expenſo pondere & argenti gradu, ſolidi unius valorem aut pretium exæquaſſe. Sic etiam in Aquilejenſi officina monetaria parvuli cudebantur, eo pondere & gradu argenti pollentes, ut quatuordecim id genus nummi denarium argenteum æquarent. Itaque *parvulos* iſtos Venetos *viginti ſex* valebat *Groſſus*, ab Henrico Dandulo cuſus.

Groſſos cudere perrexerunt Duces Succeſſores: quorum attamen valor, ad parvulos comparatus, non idem, ſed varius in vetuſtis chartis dignoſcitur. Apud laudatum Brunatium De Re nummaria Patavinorum Capite VI. in Syngrapha *anni* 1265. legere eſt *libras tres denariorum Venetorum groſſorum a* 27. Intellige, Groſſum Venetum valuiſſe parvulos 27. Unius parvuli augmentum indicant, quæ ſequuntur verba Anno 1274. ... *denarii Venecialium Groſſi accipiantur & expendantur pro denariis viginti octo parvis pro uno.* Numerari deinceps debuere parvuli 32. unde in vetuſta charta anni 1290. hæc habentur pag. 49. *Pro libris ducentis & quinquaginta denariorum parvorum in denariis Venetis Groſſis, computatis ad valorem denariorum triginta duorum parvorum pro quolibet Groſſo.* Quibus in locis animadverte, *denarios* appellari tum parvulos, tum Groſſos: nempe *denarios* groſſos, & *denarios* parvos.

Hunc Groſſi valorem, parvulis duobus ac triginta æquivalentem, immotum exhibent chartæ, anno 1297. & anno 1306. ſcriptæ apud eundem Brunatium. In Glemonenſi dati & expenſi codice MS hæc habentur verba: „ Anno 1383.... Item expendi pro „ *libris ſexaginta novem clavorum* emptorum„ „ a Conſtancio Fabro, in ratione *unius Groſſi* „ *pro libra*, occaſione dicti laborerii. Sumant „ in totum *denarios* (Aquilejenſes) *centum„* „ *quinquaginta octo*.„ Hanc denariorum Aquilejenſium ſummam duc in 14. (quot nempe„ parvulis conſtabat denarius Aquilejenſis:) productum habes 2212. Si dividas per 32. quotus erit 69. cum reſiduo 4. parvulorum. Itaque„ anno illo Groſſus æſtimabatur pretio 32. parvulo-

Digitized by Google

vulorum. In Scheda MS. valorem Ducati aurei exhibente hæc lego verba: *Le lire di Grossi valevano lire* (di soldi) *trentadue*, anno scilicet 1408. Libra una grossorum continet viginti solidos grossorum, ac grossis duodecim constant solidi singuli: unde libra una grossorum complectitur grossos 240. Fac vero grossi valorem adhuc exæquari duorum & triginta parvulorum pretio. Sunt ergo parvuli 7680. Divide per 12. (quot nempe parvulis constat Solidus:) quotus est 640. Quibus nempe solidis conficiuntur *libræ solidorum duæ & triginta*, in Scheda MS. enunciatæ. Jam constat, Grossorum valorem constanti pretio definitum fuisse parvulis 32.

Animadverte, parvulorum numerum ad annum usque 1274. & ultra, ad æquandum Grossi valorem, augeri debuisse a 26. ad 32. & hunc deinceps numerum parvulorum invariatum fuisse pretium Grossi: quod fortasse mirum videatur, cum solidi argentei & parvuli apud Venetos, sicut etiam denarii & parvuli apud Aquilejenses, pejores deterioresque, pondere, & gradu argenti, tempore succedente cuderentur. An etiam ipsi Grossi argentei pejores fierent? In re obscura hariolari non licet: quam peritiores fortasse felicius detegant.

IV. Vetustam chartam anni 1411. cum Nota manu *Nicolai Codorossii Notarii Glemonensis* exarata, interpretatione donandam ad me transmisit sæpe laudatus Josephus Binius, Glemonæ Archipresbyter dignissimus. Nempe, „ Ratio Grossorum secundum usum Civitatis Venetiarum. *Denarii* (seu parvuli) 32. *valent grossum*. *Grossi* 12. *valent soldum*. *Soldus* 1. *valet medium Ducatum*. *Libra* 1. *Solderum valet Ducatos* 10. *Grossi* 24. *valent Ducatum*: intelligendo, & expresse nominando omnia hæc *ad aurum*.

Ducatus aureus medio circiter seculo quartodecimo æstimabatur *libris Solidorum*, vel etiam *parvorum*, ut appellari consueverant *tribus*, & *solidis quatuor*, seu *solidis* 64. Porro solidi 64 summam parvulorum efficiunt 768. Hanc divide per 24. nempe grossos: quotus est 32. Notæ Codorossii consonat ratiocinium. At anno 1411. quo ipse scribebat Codorossius, Ducatus aureus valebat *libras quatuor & solidos trestecim*, seu *solidos* 93. Ex his summa parvulorum efficitur 1116. Qui si distribuantur per 24 quotus est 46. cum residuo 12. Dissonum vides a nota Codorossii ratiocinium. At omnis facili negotio expediri difficultas potest, si valorem Ducati, ad grossos & ad parvulos comparatum, intelligas grossis idealibus 24. & parvulis idealibus 32. in singulos grossos definitum. Quinimo & ipse demum Ducatus accipi pro nummo ideali cœpit.

Rem omnem diligentissime expositam lego a Dominico Manzono Opitergino in Libro Italice Venetiis impresso anno 1573. inscriptoque: *Libro Mercantile ordinato col suo giornale, & alfabetto, per tener conti doppj al modo di Venezia, e potrà servir in ogni altro luogo &c.* Hæc habentur vero Cap. XIIII.„ Gli „ è da notare, che communemente due sono „ le sorti di monete, che si usano nel vende„ re, e comprare. La prima è quella, che „ dal volgo è frequentata, *la qual si vede*, „ *e con mano si tocca*: e con questa moneta „ communemente si comprano quelle cose, „ che sono necessarie all' uso commune. La „ quale si divide a questo modo, che *soldi* „ *venti* fanno *una libra*, e *piccoli* 12. fanno „ *un soldo*: e propriamente sono dimandate „ *lire de' piccioli*, a moneta commune. Un' „ altra sorte di moneta vi è, che molto fra „ Mercatanti di quì è usata: la quale quan„ tunque *non si veda ne si tocchi*, come que„ la di sopra; nondimeno ella *s'intende* in „ vero essere, come appunto si maneggiasse; „ & è quella, con la quale si vende, e com„ pra quasi ogni sorte di mercanzie. Adun„ que questa sorte di Moneta in tal modo si „ divide, che 24. *grossi* fanno *un Ducato*, „ e 32. *piccioli* fanno *un grosso*, intendendo „ *piccioli a oro*, & non a moneta: che *un* „ *picciolo a oro* ne fa *quasi due a moneta*; „ che verrìa a essere *piccioli uno*, e 15. *se„ decimi l'uno*, a punto . . . Altri Mercatanti „ tengono un' altra sorte di moneta . . . . & „ è dimandata *a lire di grossi*. La quale in „ tal modo si divide, che *una lira* prima „ s'intende esser *dieci ducati*, e poi le dette „ lire si dividono in soldi, li soldi in grossi, „ & li grossi in piccioli: che *soldi* 20. fanno „ similmente *una lira*: & *grossi* 12. fanno *un* „ *soldo*: & 32. *piccioli* fanno *un grosso*, co„ me di sopra. Cioè *piccioli a oro*, che a „ moneta commune verriano a essere *piccioli* „ 62. per grosso; perciocchè ogni *grosso a* „ *oro* viene a essere *soldi* 5. *piccioli* 2. a mo„ neta commune. Et questo è, perchè il „ Ducato corrente s'intende Lire 6. 4. a mo„ neta commune. „

Quo in loco animadvertendum est, parvulos 32. *ad aurum*, Manzoni ætate, singulos valuisse quidem parvulos 62. *ad monetam*: at inferiorem tempore præcedente, seu medietate prima seculi quintidecimi, eo-

Digitized by Google

rumdem fuisse valorem, eumdemque varium pro incremento, quod aureus Ducatus cusus accipiebat, donec idealis usurpari Ducatus cœpit, grossis idealibus 24. constans, qui parvulos ideales *ad aurum* 32. & *ad monetam duos & sexaginta* complectebantur. In Schedа MS. sæpe citata ad Annum 1408. hæc habentur verba: *Le Lire di grossi valevano L. 32. e a oro L.* 48. Libra una solidorum grossorum continet grossos 240. Fac vero, singulos constitisse *parvulis* 32. *ad aurum*, ideſt *ad Monetam* 48. Summa consurgit parvulorum 11520. Hanc divide per 12. (quot parvulis conficitur solidus:) quotus est solido um 960. qui *libras* 48. conficiunt. Ducas modo 24. grossos, (quot nempe grossis confici Ducatus fingitur) in 48. parvulos: productum habes 1152. Hanc summam parvulorum dividas per duodecim: in quoto erunt *solidi* 96. seu *libræ* 4. *& solidi* 16. Atqui vero juxta memoratas Schedas MSS. & typis editas, aurei Ducati valorem præstantes, valor ejusdem anno 1412. æquabat libras 4. & solidos 14. & anno 1417. libras quinque: adeoque spatio temporis intercedente, fortasse prædictas *libras quatuor*, *& solidos sexdecim* exæquavit.

Hanc rationem computandi, Ducato scilicet distributo in grossos 24. & singulis grossis in parvulos 32. nullus dubito, incœpisse anno circiter 1351. quo valorem Ducati Schedæ memoratæ æstimatum repræsentant pretio librarum trium & solidorum quatuor, ideſt grossis cusis 24. qui ætate illa valebant singuli cusos parvulos 32. ut superius ostensum est. At anno circiter 1453. ut aliquæ Schedæ habent, vel postea, aurei Ducati valorem æquabant libræ sex & solidi quatuor, seu solidi 124. Duc vero 24. grossos in 62. parvulos *ad monetam* juxta grossorum pretium, quod laudati Manzoni ætate, ac etiam superiore illis inerat; productum habes parvulorum 1488. Hanc summam divide per 12. & in quoto erunt solidi 124. seu libræ sex & solidi quatuor. Hinc colligitur, Ducatum nummum idealem circa hæc tempora invectum esse, qui certo ac stabili grossorum 24. numero computari consuevit, parvulis etiam 62. seu solidis quinque & parvulis duobus, absque ulla immutatione pro singulis grossis computatis: qui tamen parvuli 62. perinde erant, ac parvuli 32. *ad aurum*, ut inquiebant. Hæc vero satis. Meliora doceant peritiores.

CAPUT VII.

Solidos, parvulorum duodecim singulos, florente Patriarcharum dominatione, non cudebat Monetaria Aquilejensis Officina. Solido tamen ideali adhibito, fieri contractus venditionum, & emptionum, similesque consuevere. Usus etiam solidorum permissus, quos aliæ officinæ cudebant. Eorumdem solidorum exempla. Solidi vox aliquando accepta pro denariis Aquilejensibus, parvulorum quatuordecim singulis.

I. QUæstionem hanc, quæ ad examen vocat, num solidos, parvulorum duodecim singulos, cuderet Monetaria Patriarcharum Aquilejensium officina, priore nostra in Dissertatione lato calamo discussam, secundis curis pertractandam adsumo non absque insigni emolumento, quod Pagani Turriani Patriarchæ, ac Nicolai Tabulæ nunc primum in lucem vulgatæ suppeditant. Negantem opinionem argumentis plurimis loco citato propugnavimus: quam etiam, extremis dominationis Patriarchalis temporibus tantisper sepositis, tueri & confirmare pergimus.

Juliani auctoritate primum utor in Chronico Forojulienſi, quod is anno 1293. scribebat, ac deinceps cum Joanne fratre continuavit. De moneta Raimundi Patriarchæ agit Auctor: eamdemque pluries *mutatam*, sive cusam fignaramque, adnotat ad Annum 1274. 1277. 1281. & 1287. Quid vero? Monetam memorat *valentem sexdecim Veronenses* sive parvulos, aliamque, quæ communis erat, *valentem quatuordecim Veronenses*: solidi, quem cuderent Aquilejenses Monetarii, duodecim parvulos valentis, meminit nunquam.

Pagani a Turre Patriarchæ Syngrapha sequitur, anno 1330. scripta. Moneta nova feriunda indicitur. Monetarum, quæ cudi debeant, diversæ species distinguuntur: ipsarumque pondus constituitur, ac nota argenti. Sunt vero *parvuli*: sunt etiam *denarii*, seu *Frixachenses*, quatuordecim parvulorum singuli: sunt postremo monetæ, *denariis majores minoresque*, quibus eadem ac Frixachensibus inerat *liga*, aut nota argenti, pro arbitrio ipsius Pagani Patriarchæ signandæ, videlicet *dimidius denarius*, *denarius cum dimidio*, aut etiam *denarius duplo major*. De solido parvulorum duodecim mentio nul-

Digitized by Google

nulla. Conſule, quæ diſſeruimus Capite V. num. 2.

Æque validum ſplendidumque exhibent argumentum Tabulæ Nicolai Patriarchæ anno 1351. & anno 1356. datæ, aliæque Ludovici Turriani Succeſſoris anno 1359. conſignatæ. Conventiones in his continentur initæ de nova cudenda moneta Aquilejenſi. Non alia vero conflanda indicitur, niſi quæ *denariorum parvulorum* nomine, quæve nomine *denariorum* abſolute, aut *denariorum Aquilejenſium* appellabatur. Valor inſuper conſtituitur hujuſmodi denariorum, qui *recipiantur in quolibet foro, & cambio per quemcumque, pro quatuordecim denariis parvulis quilibet*: caveturque, *ut in qualibet ſolutione cujuſcumque mercationis, vel debiti, teneatur quilibet recipere uſque ad ſummam decem ſolidorum denariorum parvorum*. Ubi decem illi ſolidi accipiuntur ideales: cuſi vero ſunt ipſi *denarii parvuli*, quos in contractibus emptionum, aliiſque ſolutionibus recipi debere ad conſtitutam ſummam jubet Patriarcha. Jam ergo ſolidi, nummi cuſi in Officina Monetaria Aquilejenſi, occurrunt nulli.

Cuſæ monetæ examina *in pondere*, & *in igne*, quæ a Viris peritis ad id munus deſignatis peracta fuere, in lucem protulimus plura Capite VIII. prioris Diſſertationis. Vetuſtæ illæ chartæ pertinent ad annum 1356. ſub Nicolao Patriarcha, & ad annum 1360. ſub Ludovico Turriano. Hæc verba ſunt animadverſione digna: *Uno marcho* (pondere) *dictæ monetæ* (novæ Aquilejenſis,) *ponderato, & poſtmodum numerato, repertum fuit habere in numero Marcham unam* (nummum idealem) *cum dimidio, & Frix. quinque*. Hujuſmodi *Frixachenſes quinque* dubio procul ſunt ipſi *denarii Aquilejenſes*, parvulorum quatuordecim ſinguli. Marca nummus idealis continebat *centum & ſexaginta Frixachenſes*, & dimidium Marcæ *octoginta Frixachenſes*: unde ſumma *Frixachenſium* 245. prædicto in examine æquavit unius Marci pondus. Hoc loco ſolidos cuſos non habes. Illa etiam animadverte verba: *Facta fuit tracta monetæ de Marchis .... in pondere: & inventa fuit Marcha* (pondus) *de ſolidis viginti, & Frix. octo*. Fractus ille *Frixachenſium* numerus indicat ac evincit, *ſolidos* illos, qui *viginti* numerantur, *Frixachenſibus* (duodecim nempe) conſtitiſſe ſingulos: unde ſolidi viginti & Frixachenſes octo ſummam efficiunt *Frixachenſium* 248. Hinc habes, Frixachenſes nummos eſſe, qui in officina Patriarcharum cudebantur: ſolidos vero ideales uſurpari conſueviſſe, ad enunciandum Frixachenſium nummorum, aut denariorum numerum.

Ex nova moneta, quæ feriebatur, lucrum obveniebat Patriarchæ. In Tabulis Nicolai hæc habentur: „ Teneatur idem Franciſcus „ (Monetæ Præfectus) dare eidem Domino „ Patriarchæ pro quolibet Marcho, *denarios* „ *novem* dictæ Aquilejenſis monetæ (*denario-* „ *rum*,) ſolvendos ipſi Domino Patriarchæ „ de tribus in tres menſes, incipiendo in „ prima cuſione dictæ monetæ (denariorum.)„ Et ad *monetam parvam*, ſeu denarios parvulos quod attinet: „ Teneatur pro quolibet „ Marcho eidem Domino Patriarchæ dare „ *ſolidos duos parvulorum*. „ In Libro MS. *Rationum* Ludovici Turriani Patriarchæ, ad Annum 1361. ſic lego: „ Conceſſa fuit cuſio „ & Magiſterium *Monetæ Aquilejenſis* Fran- „ ciſco Bonaquiſti .... pretio quadringenta- „ rum Marcharum *denariorum*, ſolvendorum „ in quatuor terminis .. ad rationem *octo de-* „ *nariorum* pro Marcho. „ Nimirum in ſingulos denariorum Marcos lucrum Patriarchæ obveniebat *denariorum octo*, vel *novem*: & in ſingulos *monetæ parvæ*, ſeu *parvulorum* Marcos a Monetario ſolvebantur *parvuli* 24. qui ſub numero *duorum ſolidorum*, abſque dubio idealium, enunciantur. Paria legere eſt in Syngrapha Pagani Patriarchæ, & Nicolai Tabulis anno 1351. confectis, quin unquam ſolidi cuſi occurrant, nec ullum hujuſmodi ſolidorum lucrum Patriarchæ obveniens memoretur.

Favent apertiſſime litteræ *ad Joannem de Rabatta Capitaneum Goritiæ*, anno 1399. jubente Antonio Cajetano Patriarcha ſcriptæ, datæque a Zenobio Florentino Monetæ Præfecto. Verba hæc refero: „ Noveritis, Re- „ verendiſſimum Dominum D. Antonium Pa- „ triarcham Aquilegenſem *modo noviter mu-* „ *taſſe monetam*. Et ipſius monetæ regalia, „ debenda Magnificis Domini Comitibus Go- „ ritianis, idem Dominus Patriarcha mittit „ præſentium per latorem, *de dicta moneta* „ *nova, modo noviter mutata*: videlicet „ *denarios novos* ex dicta moneta, aſcenden- „ tes ad ſummam *centum librarum ſolidorum*, „ quæ debentur præfatis Dominis Comitibus „ pro eorum regalia. „ Quo loco *monetam novam* legis, *noviter mutatam*, cuſam ſcilicet juſſu & nomine Antonii Cajetani Patriarchæ. Num hanc *monetam novam* intelligere *ſolidos* debeamus: an *denarios* quidem, ſimul atta-

Digitized by Google

attamen & *ſolidos*, quos cuderit Aquilejenſis Monetarius? Dubium omne excutiunt allata verba, quæ *monetam* illam *novam*, & *noviter mutatam*, vocant *ſcilicet denarios novos*, nulla certe ſolidorum facta mentione. Quid? quod ea nummorum largitio, quæ pro munere quodam, cum *nova moneta Aquilejenſis* cudebatur, fieri Comitibus de Goritia conſueverat, dicitur quidem *ad ſummam* aſcendere *centum librarum ſolidorum*: at nulla tamen ſolidorum, qui cuſi fuerint, fit ſolutio aut enumeratio. Diſertiſſime quippe *pro regalia centum librarum ſolidorum* dicitur *mittere* Patriarcha, minime quidem ſolidos, verum *denarios novos ex dicta moneta*, (nova, noviter mutata,) *aſcendentes ad ſummam centum librarum ſolidorum*. Peremptorium ego pro ſelecta opinione argumentum puto.

II. Vetuſtæ chartæ innumeræ videntur repugnare, quæ initos emptionum & venditionum contractus, aliaſque æris alieni ſolutiones, enunciant, *ſolidorum*, aut *librarum ſolidorum*, aut *Marcharum ſolidorum* pretio enunciato. Priore in Diſſertatione Capite III. proſtant Syngraphæ ſequentes. Anno 1252. *pro pretio trecentum librarum Veronenſium parvulorum*. 1299. *quinque ſolidi Veronenſium parvulorum*. Scatet hujuſmodi ſolidorum pretiis Liber MS. *Rationum Ludovici Turriani Patriarchæ*. Exempla pauca profero.

„ Marchionatus Iſtriæ primo conceſſus fuit „ Nobili Militi D. Simoni de Walveſono pro „ *libris mille Veronenſ.*

„ Primo recepit Dominus Ambroſius de la „ Turre, Theſaurarius, a Johanne de Falcis, ſolvente nomine Dicti D. Simonis, „ *libras Veronen. ducentas*, quæ capiunt in „ moneta Aquileg. Mr. XXI. Frix. LXVIII. „ piz. VIII.

„ Item Gaſtaldia Carneæ conceſſa fuit Nobili Viro Domino Pancerre de la Turre ad „ annum, precio *Marcharum ſoldorum octingentarum*. Capiunt Mr. Frix. DC. LXX. „ XV. $\frac{1}{2}$. denar. XXXIIII. p. IIII. Recepit „ dictus D. Ambroſius in duabus vicibus a „ Manfredo, familiari D. Guecelonis (de „ Porcileis,) ſuper ſolutione dictæ Gaſtaldiæ „ (Aviani,) *libras parvorum* 149. *& ſoldos „ ſex*. Capiunt Mar. XV. minus piz. VIII.

„ Item recepit .... a D. Hermanno, Plebano in Raſech Archidiaconatus Karinthiæ, „ pro decimis Papalibus trium annorum, „ *Mar. ſoldorum quatuor, & mediam*.

„ Item recepit a D. Johanne de Tiver, „ Archidiacono Carniolæ & Marchiæ, *Mar.* „ *ſoldorum triginta*. Capiunt Mar. XXV. „ $\frac{1}{2}$. denar. XXXIIII. piz. IIII.

Vetuſtos *dati expenſi* Codices Glemonenſia Tabularia ſervant, in quibus plurima id genus ratiocinia occurrunt. „ Anno 1353. Item „ dedi Nicoſo Seraphini pro vinea ſua, quæ „ ivit in Foſſatum, *libr. Veronen.* 20. Faciunt „ Marchas duas, denarios 23. Anno 1356. „ dedi D. Juliano Capitaneo pro menſuris, „ pro parte Domini Patriarchæ, *libr. ſoldorum 66. ſol. 13. par. 4.* quæ faciunt March. „ 7. Frix. 2. 23. denar. Anno 1357. Dedi „ Magiſtro Johanni Scholarum, pro medietate anni ſui, *March. ſoldor.* 12. quæ conſtituunt March. denar. 10. & denar. 46. „ Anno 1359. Recepi a Sandro Brugni pro „ carcerato de Venzono, *lib. ſoldor.* 200. „ quæ faciunt March. denar. 21. & denar. „ 68. & medium. „ Hæc ſatis. Hinc argumentum depromi putant non pauci, quos rei antiquariæ eruditio exornat, quod vires adverſum noſtram opinionem validiſſimas exſerat.

Reſponſio prima eſt, contractus in Aquilejenſi Provincia iniri, ac ſolutiones fieri conſueviſſe, pretio enunciato *ſolidorum idealium*, at certe numeratis nummis cuſis, qui minime *ſolidi* erant, ſed *parvuli*, ac *denarii* parvulorum quatuordecim ſinguli. Simile quidpiam quotidie accidere videmus. Merces quippe venditas, emptaſque dicimus pretio tot ſolidorum, aut tot librarum ſolidorum, parvorumque; tametſi frequentius haud ullus reipſa numeretur ſolidus, ſed aurei vel argentei nummi ſolvantur, qui pretium in ſolidorum libris conſtitutum exæquant. V. g. quæro a Bibliopola, quodnam ſit libri alicujus pretium, quem emere volo. Exigit ille libras octo ſolidorum. Aquieſco, pretiumque ſolidorum libris enunciatum ſolvo, minime ſolidis enumeratis, ſed argenteis nummis. Cuſi equidem, ſignatique ſolidi nobis præſto ſunt: at illi profecto idealium loco habentur in iis contractibus ac ſolutionibus, in quibus non ipſi ſolidi cuſi, ſed aliæ numerantur argenteæ, aut aureæ monetæ.

Rem hanc adeo perſpicuam putaverim ego, ut nonniſi pertinacius pro partium ſtudio negari queat. Inſignia luculentiſſima accedunt exempla. Ac illud primum affero, quod exhibent litteræ a Zenobio monetæ Aquilejenſi præfecto datæ ad Joannem de Rabatta Capitaneum Goritiæ. Munus, quod Comitibus

Go-

Digitized by Google

Goritianis, cum nova moneta Aquilejenſis cudebatur, fieri a Patriarchis conſuêrat, *centum libris ſolidorum* definitum legimus. Num vero ſolidos cuſos numeraverit Antonius Cajetanus Patriarcha? Immo numeratos legimus *denarios novos*, parvulorum quatuordecim ſingulos. Diſertiſſima accipe verba: „ Idem „ Dominus Patriarcha *mittit* præſentium per „ latorem *de dicta moneta nova*, modo no„ viter mutata: *videlicet denarios novos* ex „ dicta moneta, *aſcendentes* ad ſummam „ *centum librarum ſolidorum*, quæ debentur „ præfatis Dominis Dominis Comitibus pro „ eorum regalia. „ Alia ſunt exempla in Tabulis Pagani, Nicolai, & Ludovici Patriarcharum: quibus in lucrum Patriarchæ ex *euſione monetæ parvæ* obveniens, *ſolidus unus parvulorum*, & *ſolidi duo parvulorum* indicuntur. Nempe nummi cuſi, quos Monetatius ſolvebat, erant *parvuli*, pretium æquantes vel unius, vel duorum ſolidorum idealium. Cavetur etiam, indiciturque in eiſdem Nicolai & Ludovici Tabulis, ut in venditionum contractibus, ac æris alieni ſolutionibus, *teneantur* venditores creditoreſque *recipere uſque ad ſummam decem ſolidorum denariorum parvorum*. Ideſt, *decem illi ſolidi* ſunt ideales: qui vero cuſi nummi numerabantur, ac recipi debuerant, ſunt ipſi *denarii parvi*. Syngrapham addo luculentiſſimam: „ 1279. „ Sivridus q. Domini Gotfridi de Canalibus „ Uſuncii (forte *Sontii* fluminis) .... jure „ proprio, precio 132. *librarum Veronenſium* „ parvorum in *denariis antiquis* diffinito ... „ dederunt ... Domino Ottoni Plebano de „ Treven. „ Pretium habes *libris Veronenſium parvorum*, ſeu libellis ſolidorum enunciatum: quod attamen ſolvitur, *denariis* Aquilejenſibus numeratis, iiſdemque *antiquis*, parvulorum quatuordecim ſingulis; nummis utique in Aquilejenſi Monetaria officina cuſis.

Appoſitiſſimum, ni fallor, aliud exemplum præbet Inſtrumentum dotis, quod legitur in *Quaterno Notarum* Chriſtophori Miſſulini de Utino *in Milleſimo. CCC. LXXXIIII. Indictione ſeptima*. Codicem evolvendum pro ſua humanitate tradidit illuſtriſſimus Comes Franciſcus Berretta. Longiuſculum textum affero, ex quo vetuſti mores in contrahendo matrimonio ſervati innoteſcunt. „ Die quinta Men„ ſis Maii, Utini in domo ... præſentibus „ &c. .... dicta Domina Agniſutta ad inter„ rogationem mei Chriſtophori Notarii in„ fraſcripti per verba de præſenti laudavit an„ tedictum Ucellum præſentem ſemel, ſe„ cundo, & tertio, & in ipſum tamquam „ in ſuum verum & legitimum ſponſum & „ maritum conſenſit ſecundum ſancta præcepta Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, jura Eccle„ ſiæ Aquilejenſis, & conſuetudinem patriæ „ Forijulii: verſaque vice antedictus Ucellus „ modo ſimili ad interrogationem mei Nota„ rii infraſcripti ſupraſcripti & infraſcripti „ laudavit antedictam Dominam Agniſuttam „ præſentem & conſentientem per verba de „ præſenti ſemel, ſecundo, & tertio, & in „ ipſam tanquam veram & legitimam ſponſam „ & uxorem conſenſit ſecundum conſuetudi„ nem, præcepta, & jura antedicta. Ubi „ quidem ante hujuſmodi contractum matri„ monium, antedicta Domina Agniſutta cum „ voluntate & conſenſu Dominarum Margare„ tæ ejus matris, & ... ſuæ Sororis, ſeip„ ſam dotavit, & dotis nomine promiſit, & „ ſtetit dare & ſolvere eidem Ucello ſuo Ma„ rito ibidem præſenti, ſtipulanti, & reci„ pienti pro ſe, & eorum jugalium futuris „ heredibus, *Marchas ſoldorum Monetæ Aqui„ legenſis octuaginta*: quarum quidem octua„ ginta Marcharum ſoldorum, *quadraginta „ Marchæ videl. denariorum* ſunt & fuerunt „ primæ dotis conſtitutionis dictæ Dominæ „ Agniſuttæ cum dicto olim Franciſco Nota„ rio ſuo primo marito, exhibendæ tamen „ & quæ adhuc ſolvi debent & reſtant de, „ in, & ſuper bonis hereditariis dicti quon. „ Sr. Ancelloti patris ipſius Dominæ Agni„ ſuttæ. Reſiduum vero dictæ pecuniæ ſup„ plens, & conſtituens ad dictam *ſummam „ octuaginta Marcharum ſoldorum* præfatæ „ novæ dotis conſtitutionis exhibetur & ſolvi „ debet ex juribus præfatæ Dominæ Agniſut„ tæ, videl. ... Quod ſi contigerit, ipſam „ Dominam Agniſuttam præmori dicto Ucel„ lo ejus futuro marito ſine communibus „ filio ſeu filiis, & herede ſeu heredibus, ex „ ipſis legitime deſcendente ſeu deſcendenti„ bus, ac ſupervivente ſeu ſuperviventibus, „ tunc dicta Domina Agniſutta poſſit, & „ valeat, & auctoritatem omnimodam habeat, „ de dicta tota ejus dote, tam in pecunia „ quam in bonis conſtituta, ut ſupra decla„ ratur, excepto quidem *de duodecim Mar„ chis denariorum* pro compacto, ut in pro„ ximo declaratur, retinendis, diſponere & „ ordinare pro ſuo libito voluntatis, & eam„ dem dotem cui voluerit legare & judicare „ &c. „ Verba illa recolenda ſunt, quibus dotem ſuam conſtituit Agnes *Marchas ſoldorum monetæ Aquilegenſis octuoginta*. Dotem

Digitized by Google

ſcilicet intellexerim ego in *Marchis ſoldorum octuaginta* conſtitutam; quæ tamen *Aquilejenſi moneta* numerata præſtari debuerat. Hinc vero ſubdit Agnes, prædictam *octuaginta Marcharum ſoldorum* ſummam ita confici, ut primo numerandæ ſint *quadraginta Marchæ videl. denariorum*: quibus verbis propria Aquilejenſis moneta declaratur, quam poſitam ignorat nemo in argenteis denariis, qui parvulis quatuordecim conſtabant ſinguli: ac infra demum *duodecim Marchas denariorum* excipit Agnes, de quibus conſtituere nihil valeat, ſi marito ſuperſtite obierit abſque prole. At *ſolidos* etiam *Aquilejenſis monetæ* ſi quiſpiam intelligere malit ipſos denarios, per me licet: qua de re inferius agendum.

Cur vero, inquies, hæc apud Aquilejenſes computandi ratio invaluerit. Reponam ego, in emptionibus venditionibuſque quotidianis, quæ occurrunt, apud alios alioſque populos, mercium pretia certo ſolidorum, aut librarum ſolidorum numero enunciari: eademque tamen ſolvi pecunia aurea, & argentea frequentius numerata. Id nempe olim factum, hodieque paſſim fit pro arbitrio, vel facilioris ratiocinia ſubducendi methodi cauſa. Adde, proprios in Aquilejenſi Provincia in curſu fuiſſe nummos cuſos, *parvulos* videlicet, qui & *Veronenſes* vocabantur, ac *denarios* parvulorum quatuordecim ſingulos: cæteras vero civitates, ac provincias, quæ circum poſitæ erant, uſu communi *parvulos* cuſos, cuſoſque *ſolidos* parvulorum duodecim ſingulos adhibuiſſe: ac iſtos demum in eadem Aquilejenſi provincia permiſſos, ut infra dicendum. Hinc ratio computandi pretia mercium, ac æris alieni ſolutiones duplex apud Aquilejenſes invaluit: altera propria, propriis enunciatis numeratiſque nummis, *parvulis*, & *denariis*, & *parvulorum ac denariorum* libris, Fortonibus, Marcis: altera vero, quam a vicinis circumpoſitiſque populis mutuati fuerant, *ſolidis* nempe enunciatis, ac *ſolidorum* & *parvorum libris*, at propria numerata Aquilejenſi moneta. Imo tertia demum diſtingui poſſe computandi ratio videtur, cum nempe *ſolidas*, proprios aliarum gentium nummos, enunciabant: ipſoſque redigebant ad nummos ideales *Marcarum*, & *Fortonum*, qui Aquilejenſium quodammodo ea cauſa proprii dici poterant, quatenus numero *ſolidorum centum & ſexaginta* Marca, *numero ſolidorum quadraginta* Forto definiebatur. Apertiſſimæ cauſæ videntur, quæ *ſolidorum* nempe idealium, ac *librarum ſolidorum parvorumque* computationis apud Aquilejenſes invectæ originem pandunt.

III. Quæ cum ego diſſero, inficiari nolim, initos frequentius in Provincia noſtra contractus fuiſſe, tum ſolidorum pretio enunciato, tum ſolidis etiam cuſis conflatiſque numeratis, quos videlicet exteræ Monetariæ officinæ feriebant. Exteræ quidem monetæ uſum vetari conſueviſſe, Tabulæ Pagani docent num. 7. ubi hæc habentur: „ Item quod „ teneatur (Patriarcha) *facere bannire omnes* „ *alias monetas*: & quod nullus præſumat „ emere, vel vendere, vel aliquod forum „ facere, niſi in prædicta moneta: „ in *denariis* nempe, aut *Frixachenſibus*, parvulorum quatuordecim ſingulis, & in ipſis *parvulis*. At ipſas exteras tamen monetas utplurimum in Provincia adhibitas nullus dubito, Patriarcharum permiſſu pro temporum circumſtantiis. Rei, quam adfero, certiſſimum profero monumentum, quod Comiti Franciſco Florio acceptum debeo, ex Archivis Utinenſibus erutum. „ Die 4. Januarii „ 1388. ſtatutum fuit & ordinatum per Do„ minos quinque Deputatos Terræ Utini ad „ communem utilitatem ſtatus Terræ Utini, „ & pro removendis illicitis erroribus, qui „ ſuper hoc oriebantur: quod omnes Solidi „ Veneti, tam veteres, quam novi, qui „ expenduntur Venetiis, debeant habere in „ Terra Utini liberum & communem cur„ ſum, ii qui tamen non ſunt falſificati: & „ quod ab omnibus tam maſculis quam fœ„ minis in Terra Utini debeant recipi ſine „ aliqua recuſatione, & hoc ſub pœna 20. „ ſolidorum; quam irremiſibiliter ſolvere „ oportebit, quicumque contrafecerit huic „ ordinamento, & toties quoties contrafe„ cerit. „ Anno 1388. incepto, nondum in Aquilejenſem Provinciam novus ab Urbano VI. renunciatus Patriarcha venerat, Joannes de Moravia: hinc vero ab Utinenſibus prædictum decretum latum pro Civitate Utini. Miratio ergo ſubeat nulla, tot in vetuſtis Codicibus, *dati* & *expenſi*, aut æris alieni ſolutiones aut mercium pretia legi, certo *ſolidorum* numero, aut ſolidorum libellis definita, & enunciata.

Hinc ſane factum, ut inter contrahentes fieri conventio conſueverit de pretio ſolvendo, vel propriis Aquilejenſibus nummis, ideſt *denariis* numeratis; vel numeratis etiam *ſolidis*, nummis videlicet exteris, quos aliæ Monetariæ officinæ cudebant. Certa etiam ipſorum *denariorum Aquilejenſium* conditio re-

Digitized by Google

redigi in pactum consueverat, vel *novorum*, vel *antiquorum*: unde formulas insequentes haud raro legere est, v. g. *promisit dare & solvere Marchas denariorum novorum*; vel *Marchas denariorum veteris monetæ Aquilegensis*: aliasque consimiles. Hæc altera responsio est, qua positæ objectioni satis posse fieri, nemo non videt.

IV. Quinam isti fuerint solidi, argentei videlicet, parvulorum duodecim singuli, quos exteram monetam appellamus? Venetos primo loco memoro: quorum usum in civitate Utini certo evincit superius anni 1388. documentum. Venetos etiam videre solidos mihi videor in Testamento anni 1311. in quo *quadraginta solidos Veronensium argenti* legato relictos legimus. Dictos quippe *solidos Veronensium* puto, ut diversi intelligerentur a *solido grossorum*, nummo ideali apud Venetos usitato. Quidni demum Solidorum Venetorum usum in Aquilejensi provincia satis indicet inita illa denarium Aquilejensem inter, ac Venetum Solidum comparatio, qua constat, valorem istius comparatum ad illum, constantissimo ratiocinio, septima parte inferiorem fuisse. Consule, quæ late disseruimus Capite VI. num. 2. Cusos alios in Monetariis Marcæ Veronensis Officinis addo solidos. Quemadmodum enim parvuli ab Aquilejensibus conflati, Veronensibus parvulis pares erant: ita solidorum hujusmodi valor comparatus cum denariis nostris, nisi fortasse tempore succedente pro Dominorum arbitrio aliæ invectæ fuerint leges, debuit septima parte minor esse.

Tergestinos etiam nummos, quandiu Civitas Tergestina, aut ejus Civitatis Episcopi nummos cuderunt, inter solidos computandos esse, parte septima minores denario Aquilejensi, priore in Dissertatione suspicabamur. Opponi potest Instrumentum Brisæ Episcopi Tergestini anno 1295. confectum: quo in Cives, eorumque universitatem jura quædam temporalia ad Ecclesiam pertinentia transferuntur, *precio ducentarum Marcharum Frix. novorum denariorum Aquilegensis, vel Tergestinæ monetæ*. Tum Aquilejensis monetæ, tum etiam Tergestinæ nummi, appellantur *denarii*, & *Frixachenses*: adeoque parvulis quatuordecim singuli constabant. Haud abnuerim rem ita esse: neque tamen si qui admissus error est, insigne quodpiam detrimentum parit. Quidni vero præterea *Frixachenses* ac *denarii* enunciati ad *Aquilejensem* duntaxat pertineant *monetam*? Tunc sensus fuerit, nummos *Tergestinæ monetæ*, utpote solidos parte septima minores, tot fuisse numerandos, quot requirebantur ad valorem Frixachensium, aut denariorum Aquilejensis monetæ exæquandum.

In hunc solidorum censum redigere fortasse liceat *Tirolenses* & *Goritienses* nummos, si qui sunt. Cusam aliquando Goritiæ monetam, liberaliter dare priore in Dissertatione maluimus, quam accuratiorem hac de re instituere indaginem. Chartam ego vetustam, *anno 1202. 13. die intrante Decembrio, Indictione 15.* (corrige, & lege, 5.) confectam, inter Monumenta Aquilejensia, sub Peregrino II. Patriarcha, in lucem protuli: ubi Goritiensis Comes *Monetam non habuisse* dicitur. Locum hunc merito animadvertendum proponit Lirutus. An eam vero postea obtinuerit, aut sibi adrogaverit facultatem Comes Goritiensis, diligentiore examine non perquiro. In Tabella V. loco citato post nummos Patriarcharum, typus prostat, cujus pars altera stemma bipartitum præfert, in ejusque superiore loco *il leone rampante*, proprium Goritiensis Comitatus insigne: Epigraphes initum legitur aliis HENRI. aliisque, MAIN. (sunt enim detritæ, & evanescentes litteræ:) tum COMES GORICIEN. Visitur in altera parte Crux, cujus latera occupant stellulæ, & lunulæ: In epigraphe vox apparere videtur, DVX, ac verba cætera edaci tempore consumpta desiderantur. Titulus *Ducis*, si tamen constet, cusam monetam evinceret vel a Mainardo, vel ab Henrico filio, Ducibus Carinthiæ, Comitibusque Tiroli, & Goritiæ. In Monumentis Ecclesiæ Aquilejensis Mainardum, & Albertum memoravimus, filios Mainardi Comitis Goritiensis: illumque migrasse in Tirolim, ac istum sedem Goritiæ habuisse. Ditioni Tirolensi idem Mainardus adjunxit Carinthiæ Ducatum: quem ejus filii, ipsorumque postremus Henricus, ad annum usque 1335. tenuerunt. Ita vero utraque Familia titulis ac juribus promiscue utebatur, ut Mainardus & posteri inscriberent sese *Comites Tirolenses, & Goritianos*: Albertus vero, & Successores dicti sint *Comites Goritiani, & Tirolenses*. Innumeræ vetustæ chartæ quod ajo, apertissime docent. Hinc fortasse moneta cusa credi posset in utriusque Comitum Tirolensium, & Goritiensium stirpis gratiam: num vero in Tiroli provincia, num in Carinthia, an demum Goritiæ, viderint alii.

Inter filios memorati Alberti eminuit Henricus Comes Goritiæ, qui Tarvisinæ Civitatis

tis regimen tenuit, ſibi ab Henrico VII. Imperatore demandatum, confirmatumque a Friderico Auſtriaco, Ludovici Bavari æmulo. Geſta ejus recenſent Cortuſii ab anno 1312. ad annum 1322. Tomo XII. Scriptorum Italiæ. Ad hunc referri ſolent nummuli quidam in Muſæis adſervati, quorum pars una Crucem præfert, cum epigraphe *Comes Gor.* & altera pars cruculam, cum his verbis *Tarviſi*. In illo majore, quo de egimus nummo ſi quiſpiam contendat legi *Henricum* debere, ac titulum *Ducis* non legi, ipſumque huic Henrico *Comiti Goritienſi* adſcribendum cenſeat, pugnam ego non inſtituam: neque rem certe obſcuram diligentiore verſare examine vacat. Nummum laudatus Lirutus affert cum epigraphe una ex parte, *Comes Albertus*, & ex altera *Moneta de Luenze*. Loncium, vulgo *Lientz*, aut *Luentz*, Caſtrum olim Carinthiæ, (ab anno 1511. intra fines Tiroli,) ad Comites Goritianos pertinebat. Julianus in Chronico ad Annum MCCCIV. ſic ait: *Nobilis Vir Dominus Albertus Comes Goritiæ obiit Lonytz* (Lientz) *& ſepultus fuit Roſacis*, (in Benedictinorum Aſcetarum Abbatia in Forojulio) *in vigilia Nativitatis Sanctæ Mariæ*.

Communis erat hujuſmodi nummorum, ac ſimilium, quos ſolidos appellamus, uſus Goritiæ, & in Comitatu, præter denarios Aquilejenſes. Hinc perſpicua cauſa patet, cur Zenobius Monetarius in litteris jam citatis *ad Joannem de Rabatta Capitaneum Goritiæ*, nomine ac juſſu Antonii Cajetani Patriarchæ, denunciet: *quod unuſquiſque habitator, & ſubditus dictorum locorum præfatorum Dominorum Comitum recipere dictam monetam debeat, videlicet ſingulum denarium pro quatuordecim parvulis, & ſolidum pro duodecim parvulis*. Factam nempe denunciationem ita intellige, ut *denarii novi*, quos tum cuderat Officina Monetaria Patriarchæ, pro parvulis quatuordecim, quicumque illi forent, recipi deberent: cæterique nummi, uſu communi in commerciis adhibiti, in aliis cuſi officinis, appellatique *ſolidi* valore & pretio duodecim duntaxat parvulorum reciperentur.

V. Charta vetuſta *anni* 1375. præſto eſt, in qua erogantur *quadraginta ſoldi veteres Aquilegenſes*: itemque alia *anni* 1386. in qua venditio domus cujuſdam recenſetur *pro precio, & foro Marcharum ſoldorum Furlanorum XVI. & ſoldorum XX.* Quidni *ſolidi Furlani*, inquies, & *Aquilegenſes* intelligantur nummi parvulorum duodecim ſinguli; ea ratione *Furlani* & *Aquilegenſes* dicti, quod officina Patriarcharum Monetaria in Forojulio eos cuderet, adeoque diſtinctos a ſolidis, quos exteræ aliæ officinæ conflabant? Imo denarios ipſos Aquilejenſes parvulorum quatuordecim ſingulos putaverim ego, hac ætate *ſolidos Furlanos* & *Aquilegenſes* appellatos: a cæteris nempe ſolidis, quorum curſus in provincia permittebatur, diſtinctos, qui duodecim tantum parvulis conſtabant. Quemadmodum quippe externæ Monetariæ officinæ, ita Aquilejenſis Patriarcharum, tum parvulos nummos, tum majores certo parvulorum numero conſtantes cudebant: unde quemadmodum majores exteri præfati nummi uſu conſtantiſſimo *ſolidi* appellati ſunt, ita majores nummi Aquilejenſes eodem aliquando *ſolidorum*, aut *ſolidorum Furlanorum*, & *Aquilegenſium* nomine appellari potuerunt.

Luculentiſſimum affero exemplum, quod Glemonenſis vetuſtus codex offert. Nempe „ *anno* 1363. *Expenſæ Menſis Septembris* .... „ *Item dederunt Johanni Nuncio, qui ivit ad* „ *Dominum Imperatorem, & portavit litteras* „ *Communis, Florenos duos, & ſol. viginti.* „ *Denar. CXLVIIII.* „ Floreni valorem anno 1363 exæquatum fuiſſe denariis Aquilejenſibus quatuor & ſexaginta cum dimidio, adnotavimus Capite V. num. 1. Hinc Floreni duo valebant denarios 129. Ad æquandum denariorum 149. numerum, adhuc *viginti* requiruntur *denarii*, quos eo loco *ſolidos viginti* appellatos legis.

CAPUT VIII.

Extremo dominationis Patriarcharum tempore agi primo cœptum de mutanda Aquilejenſi moneta: unde validiſſime opinio confirmatur, quæ negat, ſolidos in Aquilejenſi officina monetaria, ſuperiore ætate cuſos. Capta demum deliberatio, ut ſoldi cuderentur, non denarii: quod utique factum.

I. DIgniſſimæ animadverſione, extremo dominationis Patriarcharum tempore, poſt æræ vulgaris annum 1400. chartæ occurrunt, ex Archivis Utini, Civitatis Auſtriæ, & Glemonæ depromptæ, quæ factam in Aquilejenſi moneta mutationem patefaciunt. Primam, quæ in manus incidit, inſequentem profero: „ Jacobus de Giſtardis de Arpino in „ Spiritualibus Generalis Vicarius, Artichus „ Comes de Porcileis, & Muſchinus de la „ Turre, Reverendiſſimi Domini noſtri D. Antonii, Patriarchæ Aquilegienſis digniſſimi „ Lo-

Digitized by Google

„ Locumtenentes: Prudentibus Capitaneis, Vi-
„ cecapitaneis, & Gaſtaldionibus, Conſiliis,
„ & Communitatibus Terrarum Glemonæ,
„ Venzoni, & Tumetii, amicis cariſſimis,
„ ſalutem in Domino. Significamus vobis,
„ quod pro honore Reverendiſſimi Domini no-
„ ſtri præfati, ac utilitate & ſtatu totius hujus
„ ſuæ Patriæ, *in Facto Monetæ*, videlicet *de-*
„ *nariorum*, cum pluribus Compatriotis in-
„ his doctis & expertis conſilium habere vo-
„ luimus: quo habito mature, non ſemel,
„ ſed pluries, pro bono & utilitate ipſius Pa-
„ triæ decrevimus, quod ipſa *moneta in dena-*
„ *riis* pro nunc exiſtente, *proclamaretur in-*
„ *ſoldos*; ſicque fieri juſſimus. Quare vos ſimi-
„ liter requirimus, & hortamur mandantes:
„ quatenus ipſam *monetam de cætero per ſol-*
„ *dos habeatis*, & eam in locis conſuetis (ut
„ moris eſt) *per ſoldos publicari faciatis*: do-
„ nec per præfatum Dominum noſtrum, ſeu
„ nos in præmiſſis fuerit aliter ordinatum. Da-
„ tum Utini ſub impreſſione ſigilli Vicedomi-
„ natus, die XII. Aprilis Indictione VIIII.
„ anno Chriſti 1401. Chartam ſervat Tabula-
„ rium Glemonæ.

Anno præcedente Antonius Cajetanus Patriarcha, tum infirmæ valetudinis ſarciendæ cauſa, tum etiam ortas in Provincia turbas ut declinaret, Menſe Martio diſceſſerat. Monumenta noſtra Eccleſiæ Aquilejenſis conſulenda ſunt. Hoc abſentiæ tempore *Conſervatores* creati, qui publicam nomine Patriarchæ rem adminiſtrarent. Nomina *Conſervatorum* offerunt Tabulæ, quas in lucem protulimus. Animadvertebant illi, ob diuturna diſſidia, ac bella plurima, quæ mota præcedentibus annis, geſtaque fuerant, publicum ærarium peſſumdatum inveniri, ipſamque monetam maximum paſſam eſſe detrimentum, ac plurima ſequi in commutationibus & commerciis incommoda. Inſedit ergo conſilium, ut ipſi *denarii* Aquilejenſes cuſi, quorum valor æquare debuerat quatuordecim parvulos, utpote ad imperfectiſſimum gradum redacti, pro *ſolidis* parvulorum duodecim ſingulis haberentur. Id vero coram palamque denunciant ipſi, litteris ad Univerſitates ac Proceres provinciæ datis. Quod ego conſervatorum conſilium expendens, firmior opinioni hæreo, quæ ſolidos negat ſuperiori ætate ab Aquilejenſibus cuſos. Si namque Patriarcharum officina *ſolidos* æque, ac *denarios* cudiſſet, id unum peragendum fuerat, ut denarii juſto gradu carentes, ad monetariam revocarentur officinam: ibique aut meliores efficerentur, aut in ſolidos conflarentur.

Litteras Conſervatorum accepere Utinenſes. Quænam eorum deliberatio fuerit, accipe: „ Die XV. Septembris MCCCCI. Super litte-
„ ra miſſa huic Communitati *per Dominos Lo-*
„ *cumtenentes*, requirentes hanc Communita-
„ tem, ut hodie mitteret duos bonos viros ad
„ providendum *ſuper moneta cudenda*, una cum
„ aliis de Patria. Deliberatum fuit quod mit-
„ tatur. Et ſic miſſi fuerunt Sr. Nicolaus de
„ Soldeneriis, & Magiſter Jacobus de Monte-
„ gnacco ad providendum cum aliis, & præ-
„ cipue ad conferendum cum noſtris fratribus
„ & vicinis de Civitate Auſtria, *de modis* ſub
„ quibus *ſolidi poſſint cudi*, cum minori damno
„ hujus Patriæ. „ Ita nempe ſcriptum legitur in MSS. Annalibus Civitatis Utini. Animadverte, in ſuperioribus Conſervatorum litteris juſſionem haberi, ut qui *denarii* Aquilejenſes cuſi ſignatique exſtabant, *proclamarentur in ſoldos*, proque *ſolidis impoſterum* haberentur: minime vero heic ſtetiſſe hocce monetæ negotium: poſitumque in diſcuſſione, *quibus modis cudi poſſent ſoldi*, *cum minori damno Patriæ*: ac demum hac de re Forojulienſium Communitatum conſilium requiſitum fuiſſe. In MSS. Civitatis Auſtriæ, ſeu Forijulii Annalibus ad *Annum M. CCCC. II.* hæc habentur: „ Die Ve-
„ neris, ſecundo Menſis Junii, in Civitate Au-
„ ſtria, in Stupa Conſilii, in pleno Conſilio ut
„ ſupra, deputati fuerunt Nobiles & honora-
„ biles Viri, Nicolaus de Portis, & Virgi-
„ lius, ut vadant ad conferendum *in facto Mo-*
„ *netæ Aquilegenſis* cum Utinenſibus: & ſe-
„ cundum quod fuerit captum, & definitum
„ per ipſos & per Utinenſes concorditer, ita
„ fiat: & ſint cum Domino noſtro Domino Pa-
„ triarcha. „ Tantæ ne molis erat, *ſolidos* cudere, parvulorum duodecim ſingulos! Cur tota Provincia, ac Provinciæ Communitates incitandæ fuerant, ut *modos* expenderent, quibus *cudendi ſolidi* forent *cum minori damno Patriæ*, ſi monetam hanc ævo ſuperiore ſimul cum denariis cudi feciſſent ſinguli poſt Poponem Patriarchæ? Pronum eſt intelligere, de moneta Aquilejenſi mutanda, deque ſolidis loco denariorum, qui hactenus percuſſi fuerant, cudendis juxta morem Venetiis, & alibi in Veronenſi Marca ſervatum, hac tempeſtate, cum Patriarcharum Aquilejenſium dominatio peſſum in dies ibat, actum eſſe.

Antonio Cajetano ad purpuram evecto, in-ſedem Aquilejenſem conſcenderat Antonius de Portugruario eodem anno 1402. penultimo die menſis Februarii. Quænam fuerit circa propoſitam monetæ mutationem capta deliberatio,

Digitized by Google

sam ipsius Patriarchæ sententia, monumenta præsto mihi non sunt, quæ doceant.

II. Turbarum Forojulienſium pertæſus Antonius de Portugruario, Patriarchatu abdicato, purpuram induit a Joanne XXIII collatam anno 1411. Inſequente anno, dieque decima Februarii menſis, Ludovicum Ducem de Tech ſibi Patriarcham poſtularunt Canonici Aquilejenſes. Confirmationem Sedis Apoſtolicæ non obtinuit ille ante annum 1418. At Eccleſiam ſuam ſive primum poſtulatus, ſive poſtea confirmatus, quiete rexit nunquam. Sigiſmundi Imperatoris, qui contra Venetos arma moverat, partibus adhæſit, ſua demum ipſe ſede pulſus, ac dominatione multatus. Tabulas Utinenſe Archivum ſervat, quæ mutandæ monetæ negotium iterum ad examen vocatum produnt, captamque ab Utinenſibus deliberationem. „ In Conſilio Magnificæ Civitatis Utini, „ die Martis ultimo Menſis Januarii M. CCCC. „ XIII. Super propoſitis per Sr. Girardum Notarium de Gratarolis, unum ex Dominis deputatis ad regimen, exponentem qualiter venerunt Ambaſſiatores de Civitate Auſtriæ, „ de Glemona, & de aliis locis Patriæ, *ſuper facto monetæ faciendæ &c.* inſtantes provideri, & deliberari per Communitatem noſtram, „ *utrum debeant fieri Dinarii, vel Soldi*: ut „ Dominus Patriarcha poſſit eſſe certus de voce, & intentione noſtræ Communitatis. Deliberatum, conſultum, & obtentum fuit per „ majorem partem ballotarum: quod *debeant* „ *fieri Soldi*, conſideratis *certis legitimis cauſis* ibidem expreſſatis. Cum hoc tamen, „ quod debeat inſtari coram Reverendiſſimo „ Domino noſtro Patriarcha Ludovico: quod „ debeat obſervari *liga antiqua*, & non degenerare monetam ſeu *ſoldos* a dicta liga. Su„ per quibus facta fuit commiſſio Sr. Jacobo „ Aurifici de Montegnacco, & Sr. Paulo Draperio ad eſſendum cum Domino Worlico, „ & cum Dominis Ambaſſiatoribus ſuper præ„ miſſis, & informatione capienda &c.

Negotium, quod iterato examine & conſilio pertractandum adſumitur, abſque ulla verborum ambage mutationem Monetæ ſpectat: *utrum debeant fieri Dinarii, vel Soldi*. Fac vero, præter *denarios* parvulorum quatuordecim ſingulos, cudi in officina Aquilejenſi Monetaria *ſolidos* etiam parvulis duodecim valentes conſueviſſe; quid opus erat, Procerum & Univerſitatum Provinciæ conſilia exquirere, deque mente ac deliberatione Utinenſium certiorem facere Patriarcham? Hæc oppido quidpiam novi, quod circa monetam perficiundum fuerat, ſatis indicant ac evincunt. Deliberatum vero ab Utinenſibus, decretumque fuit, *quod debeant fieri ſoldi*. Decreti rationes generatim efferuntur: *conſideratis certis legitimis cauſis*. Atque ea demum ſervanda conditio præcipua conſtituitur, *quod debeat obſervari liga antiqua*: quæ nempe in cudendis denariis ſervabatur. Dignum certe animadverſione, non agi de pondere, utpote quod minus debuerat *ſolidis* ineſſe: agi vero de nota argenti, ſcilicet *antiqua*, ſeu bona, quæ ſervari debebat, ut novi ſolidi ab exteris ac vicinis populis abſque ulla difficultate in commutationibus, & commerciis reciperentur.

Forojulienſium conſilia, ac Utinenſium deliberatio minime Patriarchæ arriſerunt. Quod ajo, certum compertumque facit Notitia ſequens, eodem anno 1413. menſe Martio ſcripta: „ Innoteſcat unicuique perſonæ: qualiter „ cum hoc ſit, quod ad honorem & reverentiam Omnipotentis Dei, & ſuæ glorioſæ Genitricis Mariæ, & pro fructu & communi „ utilitate totius Patriæ Forijulii; illuſtris Prin„ ceps & Reverendiſſimus Dominus noſter D. „ Ludovicus Dux de Dech, & Sanctæ Sedis „ Aquilegienſis dignisſimus Patriarcha, *noviſſime ordinaverit*, & fieri fecerit *monetam novam*, videlicet *denarios*, ſecundum *antiquam* „ conſuetudinem *antiquorum* Dominorum Pa„ triarcharum, & bonorum Paſtorum, & Re„ ctorum dictæ Sanctæ Sedis Aquilegienſis: „ necnon ſecundum *antiquum ſtylum*, & ordi„ nem uſitatum in dicta Patria. „ (Quot ſcilicet habentur verba, tot ſunt argumenta quæ probant, nova Forojulienſium conſilia haud placuiſſe Techio: ab eoque pro ſua Patriarchali juſſum auctoritate, ut nulla circa monetam immutatio fieret.) „ Et nunc dicta mo„ neta fuit ſazata, & approbata hodierna die „ per Magiſtrum ad id ſpecialiter deputatum: „ quæ reputatur eſſe boni ponderis, & finæ li„ gæ argenti. Ideo pro parte dicti Reveren„ diſſimi Domini noſtri D. Patriarchæ, ego „ Dominicus præco mando unicuique perſonæ, „ vicinæ & forenſi, ut debeat recipere & ex„ pendere de dicta moneta *pro denariis*, in„ ratione pro ſingulo *parvulorum quatuorde„ cim*, per totam dictam Patriam &c. Datum „ Utini die Sabbati XXVI. (25.) Martii M. „ CCCC. XIII. Indictione VI. „ Denarios conflatos habes, qui parvulos quatuordecim valebant: neque ulla ſolidorum mentio ingeritur.

Denarios item, minime ſolidos, inſequente Menſe Aprili, percuſſit ſignavitque Monetaria Aquilejenſis Officina. Certum perhibet teſti-

mo-

Digitized by Google

monium Chartæ, quam affero. „ In Chriſti „ nomine Amen. Anno Nativitatis ejuſdem „ MCCCCXIII. Indictione VI. die vero Sab„ bati VIII. Menſis Aprilis. Actum Utini „ Aquilegien. Dioc. in domo Honorabilis Vi„ ri Sr. Ambroſii Marcheſinæ, Monetarii an„ tefacti Domini noſtri Patriarchæ Ludovici, „ in Camino inferiori: præſentibus &c. Pro„ vidus Vir, Magiſter Dominicus Aurifex „ de Brunatiis de dicto Utino, tanquam „ homo deputatus ad probandum ſazium mo„ netæ præfati Domini noſtri Lodovici Pa„ triarchæ Aquilegienſis, in præſentia Ho„ norabilis juvenis Sr. Antonii de Cavalcanti„ bus, tanquam Cuſtodis dictæ monetæ, a „ liga facto ſazio juſto & diligenti, judica„ vit, ſententiavit, & ratificavit, & appro„ bavit Ducentos tres Marchos *monetæ dena„ riorum Aquilegenſium* ibidem præſentes: „ ipſam monetam eſſe in pondere, numero, „ & argento juſtam, veram, & non ficti„ tiam: ſed eſſe in liga & forma conſueta „ juxta pacta ejuſdem Domini Patriarchæ, & „ conſtitutiones Patriæ Forijulii &c. „

Prævaluiſſe tamen Forojulienſium conſilia de ſolidis loco denariorum percutiendis, conflandiſque, ipſorumque demum votis indulſiſſe Techium Patriarcham, Tabulæ plures docent, inſequentibus annis confectæ. Accipe illas, quæ præſto ſunt. „ In Chriſti nomine Amen. „ Anno Nativitatis ejuſdem MCCCCXIIII. „ Indictione VII. Infraſcripta ſunt Inſtrumenta „ Sr. Ambroſii Marcheſinæ ſuper ſazio mone„ tæ Reverendiſſimi Domini noſtri D. Ludo„ vici Ducis de Dech, Dei gratia Patriarchæ „ Aquilegenſis digniſſimi, ſcripta & annota„ ta manu mei Johannis Notarii q. Thomæ, „ diebus & menſibus infraſcriptis . . . Die „ Jovis XIX. Aprilis. Actum Utini in Cami„ no inferiori domorum habitationis dicti Sr. „ Ambroſii Monetarii, ubi ſolet fieri ſazium „ monetæ: præſentibus &c. Providus Vir „ Magiſter Dominicus Aurifex de Brunatiis, „ tanquam Magiſter deputatus ad probandum „ ſazium monetæ *Soldorum novorum* Reve„ rendiſſimi Domini noſtri D. Lodovici „ Ducis de Dech, Dei gratia Patriarchæ „ Aquilegenſis, in præſentia Honorabilis Vi„ ri Sr. Antonii de Cavalcantibus de Utino, „ tanquam Cuſtodis dictæ monetæ, a liga „ facto diligenter ſazio, & probatione ipſius „ monetæ; ſententiavit, judicavit, ac ra„ tificavit, & approbavit Marchos ejuſdem „ *monetæ Soldorum* ducentos ſexaginta quin„ que: ipſam videlicet *monetam Soldorum* eſſe „ in pondere, numero, & argento juſtam, „ & veram, & non fictitiam: ſed eſſe in li„ ga & forma debita juxta & ſecundum pacta „ prælibati Domini noſtri Patriarchæ, & „ conſuetudines Patriæ Forijulii &c. . . . Item „ anno MCCCCXVIII. Indictione XI. die Jo„ vis penultimo Decembris . . . Idem Domi„ nicus de Brunatiis, . . . in præſentia Sr. An„ tonii de Cavalcantibus . . . probat Marchos „ *Solidorum* ſexcentum & ſexdecim . . . . Eo„ dem anno XV. Aprilis . . . Petrus Aurifex „ de Spegnimbergo, deputatus ad ſazium, „ in præſentia Antonii de Cavalcantibus, pro„ bat Marchos *Soldorum* ducentum triginta „ ſeptem, cuſos a dicto Ambroſio Monetario „ . . . Item anno MCCCCXX. Indictio„ ne XIII. die Martis XXX. Januarii . . . idem „ Petrus Magiſter ſazii, in præſentia ante„ dicti Cuſtodis Antonii, probat Marchos „ *Soldorum* quingentos ſeptuaginta quinque, „ cuſos a dicto Ambroſio Monetario juxta „ pacta firmata cum Ludovico de Dech Pa„ triarcha. „

Solidos hocce tempore in Provincia Forijulii, Eccleſiam Aquilejenſem regente Techio, cuſos fuiſſe, injici dubium nullum, ſuſpicio nulla jam poteſt. Dolendum vero, Tabulas adhuc latere, vel periiſſe, quæ Patriarchæ Techii mandatum, ut ſolidi cuderentur, commemorantur. Sed hanc ſolidorum cuſionem imperatam, factamque animadverte poſt inſtitutam inter Forojulienſes quæſtionem, *utrum debeant fieri denarii, vel ſoldi*: poſt requiſita Univerſitatum, ac Procerum conſilia *de modis, quibus cudi ſoldi poſſint cum minori damno Patriæ*: poſt captam deliberationem, *quod debeant fieri ſoldi, conſideratis certis legitimis cauſis*. Nondum Techii Patriarchæ conſenſus acceſſerat. Imo juſſit ille anno 1413. fieri *monetam novam*, videlicet *denarios*, ſecundum *antiquam* conſuetudinem *antiquorum Patriarcharum*. Anno ergo inſequente votis Forojulienſium indulſiſſe Patriarcham, dicendum eſt: ac *ſolidos* utique, non *denarios*, in officina Monetaria cuſos, produnt allatæ indubiæ chartæ. Quæ demum omnia, factam monetæ Aquilejenſis mutationem luculentiſſime demonſtrare videntur.

Interim pretia rerum enunciant ejus ætatis Syngraphæ, aut ſoluta, aut ſolvenda, tum *denariis* Aquilejenſibus, tum *ſolidis*. Chartas vidi & expendi, ex Archivo inſignis Capituli Forojulienſis erutas, in quibus anno 1413. occurrunt *Fortones denariorum*: anno 1414. *Marchæ denariorum*: 1418. *denarii*

Aqui-

Digitized by Google

Aquilejenſes. Nempe denarii, qui ad annum uſque 1414. cuſi fuerant, permittebantur & erant in curſu. Quinimo Chartæ anni 1417. & 1418. *denarios novos Aquilegienſis monetæ* exhibent: quos intelligere par eſt, denarios anno 1413. cuſos, *novos* appellatos, facta ad antiquiores comparatione. Sub Venetæ Majeſtatis, quæ anno 1420. potita eſt Forojulienſi Provincia, Imperio liberum ad plures annos curſum habuere denarii Aquilejenſes: at ſolidorum frequentior uſus erat. Pauca profero ex Glemonenſibus dati, & expenſi Codicibus exempla. „ Anno 1427. Summa „ ſummarum omnium receptorum per Nico- „ laum Furizini de Glemona, tempore ſui „ Maſſariatus: *Marchæ ſoldorum* trecentum „ & quadraginta quatuor, & *ſoldi* ſexaginta „ ... 1433. primo expendi, quas dedi Sr. „ Franciſco de Faganea, Capitaneo Glemo- „ næ, *Marchas denar. duodecim*: videlicet „ *Marchas ſolidorum quatuordecim* .... 1436. „ Expendi datas mihi Maſſario ſecundum „ *antiquam conſuetudinem* Marchar. *denario-* „ *rum* quatuor: quæ conſtituunt *in ſolidis* „ Marchas *ſolidorum* quatuor, libras quin- „ que, & ſolidos ſeptem. „ Paria inſequentibus annis occurrunt plurima. Animadverte *antiquam conſuetudinem*, quæ memoratur. Novus erat ſolidorum, qui proprii forent, in Provincia Forojulienſi uſus, paucis abhinc annis invectus: denariorumque uſus, qui permittebatur, & computus ad *antiquam* pertinebat *conſuetudinem*.



Digitized by Google

JOANNIS BRUNATII DE RE NUMMARIA PATAVINORUM.

Digitized by Google

Jam tempus est quædam ex nostra, ut ita dicam, Moneta proferri.
Senec. de Benefic. lib. III. cap. 35.

Digitized by Google

M. FOSCARENO

EQUITI, DIVIQUE MARCI

PROCURATORI

JOANNES BRUNATIUS
F.

Librum de re Nummaria Patavinorum Tibi cenſebam, MARCE EQUES AC PROCURATOR; ea quando ſeculi felicitas eſt, ut literas & earum cultores ames: alteras ex uſu teneas, alteros ex liberalitate juves; utriſque ex officio præſideas. Tu celeberrimo Patavinorum Gymnaſio præfectus es, & principem Reipubl. Bibliothecam curas; ipſe bibliothecam domi ſic habes, ut colas: ea libros & plurimos & pulcherrimos & optimos. Namque tibi mens omnium capax; eloquentia vero iis efferendis egregia eſt.

Equidem laudes tuas arcto, Vir Præſtans. Ita quippe ſum. Nec ampullas affecto, reſque nec aliorum facto nec meas. Id enim ex ipſo hoc conſtat opuſculo quod in promptu eſt. At Ipſe jam fereris omnium & linguis & ſcriptis; ultraque montes & maria favore mortalium ſtudiiſque perſonas. Ajunt te FOSCARENUM Veneta nobilitate Patricium, deinde Senatorem, præterea Equitem, ad hæc D. Marci Procuratorem, vivente pari faſtigio Patre, quo memorabilius id etiam ſit; Oratorem diu apud Reges apud Pontifices apud Cæſares, iis auctum titulis & meritis & factis, eo tamen eſſe notabiliorem, quod græca latinis admiſceas, quod philoſophica politicis addas, quod oratores poetis, hiſtoricos utriſque conjungas; idem vetuſtis

Digitized by Google

tuſtis ævi monumentis impalleas, & membranarum voluminibus inhies; omnia Reipublicæ tempora nexumque rerum ſeriemque geſtorum ſic ab origine teneas ediſſeras ornes, ea regnis ac Rebuspublicis aliis hinc præferas inde conferas, ut nunquam aut ingenio areſcas, aut memoria ſubſiſtas, aut facundia non placeas.

Urbi quidem tuæ florentiſſimæ, congratulandum eſſe mihi ſcio, quæ Te Scriptorem rerum ſuarum & Oratorem nacta ſit, eum hominem qui magnitudinem ſuam ſtilo atque oratione æquare poſſis. Etſi enim ut Romani quondam, & nunc Veneti Tui facere malint, quam dicere, reſque ſuas laudari poſſe ab aliis optent, quam ipſi alienas laudare, non minima tamen bene geſtæ rei pars eſt, ut præclare quis geſſerit, ita & eſſe aliquem qui præclare dicat. Laterent ſiquidem res majorum noſtrorum, nullaque ad poſteros noſtros præſentium rerum memoria pervenire poſſet, niſi prodita eſſent divina quædam ingenia, qualia apud priſcos multa, apud nos Tuum, quæ & ſuarum & ſuperiorum ætatum geſta litteris complecterentur.

Hæc ineunte quintodecimo jam ſeculo Vergerius e MSS. meis: Ut inde parata tibi, MARCE Vir, hoc eſt, famæ tuæ, doctrinæ tuæ, ſcriptis tuis eruditorum ſuffragia vix ambigas. Vale.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

COmmentariolum de re Nummaria Patavinorum, quod in manibus eſt, hanc habet cauſam. Diu verſor in his tabulariis & urbium quæ proximæ ſunt, id agens ut hæc Italiæ portio fama nobilis & opum ac virorum ferax obſcuris maxime ſeculis inclareat, & inde barbarica temporum juvetur eruditio, quæ dudum literatos ævi ſollicitat. Itaque vetuſtis annorum chartis ac pergamenis incubo, privatis itemque publicis. Ibi vero nihil tam frequens ac pecuniaria res. Ubique nummos & denarios ubique ſolidos habes; aut parvos aut groſſos; hinc libras & marcas, hinc ducatus ac florenos: adde Byzantios & imperiales, adde maraboti nos, alios. Hæc properantem retardant, & retardando fatigant. Ac mihi vix erat quies ab ejuſmodi ſcabie; tandemque putavi commodius ut ex iis maturius emergerem; atque ita ſtomachum eo velut eruditionis indigeſtæ faſtidio ſolverem. Præterea ſi non oſcitanter hæc agas, id quoque comperies, eum, qui res has antiquitatis invaſerit, de pecuniaria fore ſollicitiorem; quippe quæ reliquarum nexus ac vinculum eſt. Age bella ſive paces; age teſtamenta, nuptias, emptiones, emphyteuſes, acta cauſarum, jura feudorum, vectigalia, decimas, ac præbendas; age literas & artes, quæ ſolemnior eſt archivorum materies: ea fere pecunia coëunt: ut proinde quantum promovendis hominum negotiis valet pecuniaria res, tantum valeat iis intime perſcrutandis exacta rei pecuniariæ tractatio.

At non ſic agimus hæc, ut eam lucem rudibus ævi moribus ingerant. Aliqua indico, pauca conficio, reliqua jacent; idque fit monumentorum conditione, vel operis. Et monumenta, ſi numerum ſpectes, innumerabilia ſunt, quæ nummos hos & monetas offerant ac nomine vocent. At rem vix ultra provehunt. Idque ſtomachere magis, ut in ea nimietate jejunium ſentias. Hæc ab anno CML. ad MCCXX. Deinde major eſt adhuc membranarum ſatietas; &, ſi vis, alia rerum momenta conferunt. At nondum ſatis hæc erant; & erant communia Diſſertationibus aliis, (quæ fortaſſe ſunt ad manus) ex quibus Antiquitatum medii ævi Patavinarum non inſolens opus exiſteret. Ex. grat. ſic anno *milleſimo ducent. ſeptuageſimo quinto, indictione tertia, menſe decembris* apud Patavinos ſtatutum eſt, ut *in rocheta S. Victoris continue ſtare debeat unus capitaneus miles vel pedes ab omnibus armis: & ſex cuſtodes. Et quilibet cuſtos habeat pro ſuo ſalario libras tres & dimidiam pro quolibet menſe. Quorum ſalarium debet ſolvere dominus Epiſcopus Feltrenſis & commune Feltri.* Rurſus anno *milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quinto.* Statutum eſt, ut *ſindicus communis qui mittitur ad denunciandum electionem alicujus doctoris, habeat ſolidos decem pro perſona & equo, & non poſſit habere ſolucionem niſi pro tribus equis.* Statutum quoque eſt *ante milleſimum ducenteſimum trigeſimum ſextum, ut nullus ſartor accipere debeat de ſua arte ultra modum inferius comprehenſum. Modus autem eſt iſte. Pro gonella ab homine ſolidos duos, pro paludello ab homine ſolidos decem & octo, pro pelle & guarnacia ab homine ſolidos tres, &c.*

Hæc nonnihil ad res Patavinorum nummarias. Sed nec ſatis ea ſunt, & in Exercitationes de re militari, de re literaria, de re veſtiaria Patavinorum melius inferas. Ita de pluribus aliis: ut hæc propterea vel omittenda prorſus, aut alio reſervanda fuerint. Ubi vero nodus inquiſitionum eſt, monumenta ceſſerunt. Quid non egi hic, ut uni ſaltem ex tot nummis, quos edo, precium certo ſtatuerem? Quo nempe firmato reliquos iiſdem ſupputationibus agerem. Dixi quid eſſet mar-

Digitized by Google

cha ad ducatum, quid ducatus ad libram, quid libra ad ſolidum, quid ſolidus ad denarium; denariumque medium notavi, quartum quintumque denarii. Sed quid tandem quinta hæc denarii pars? aut quæ libra denariorum? Num ſemper ex argenteis? At habebamus & æreos. Horum quis ortus apud nos, aut ſectio, quis modus aut lex, aut quibus expendenda momentis? hæreo, chartæ faceſſunt, antiquitas ſilet. Itaque fruſtratis eo calculo progredi nefas, ac tantum conjecturæ ſuperſunt.

Inſtiti pariter, ut haberem nummos ad normam diplomatis Henriciani, quod eſt capite II. Jam illud a Muratorio defendi, ſed eo modo quo fuerat impugnatum, nempe leviter, & quaſi diſſimulando. Plura, quibus exaggerari poterat res, omiſi, ne ſuperflua congererem. Sed parum intereſt verum falſumve teneas, cum nonniſi ducentos ac viginti poſt annos h. e. MCCLXXI. *denariorum Paduanorum parvorum* nomen inaudias; & quos anno M. circiter ac CCC. vides, ipſi decreto repugnent. Hinc ei non admodum blandior; atque in eo recenſendo plus Veronenſi quam Patavinæ monetæ conſulo.

Ex his habes cauſſam Diſſertationis, & modum. Ordo ſic erit. Primum tractabo nummos in urbem receptos; dein nummos in urbe ſignatos.

Haud dubito prodituras exinde chartas his refricandis idoneas; at vellem perficiendis. Ea quippe vel apud auctores æquævos implicatiora ſunt. Et Oreſmius anno MCCC. circiter LXXX. tractaturus hæc in opere *De mutatione monetarum*, quod eſt Tom. XXVI. Biblioth. PP. ſic demum profeſſus eſt. *Magnum*, inquit, *ſcandalum eſt & vile principi, quod moneta regni ſui nunquam in eodem ſtatu permanet; ſed de die in diem variatur: & quandoque in uno loco plus quam in alio pro eodem tempore. Item ſæpiſſime ignoratur his durantibus temporibus vel mutationibus, quantum valeat hoc numiſma vel illud. Et ſic rei quæ debet eſſe certiſſima, nulla eſt certitudo, ſeu potius incerta & inordinata confuſio in vituperium principatus.*

INDEX CAPITUM.

CAPUT I. *De Veneta pecunia uſui Patavinorum Seculo X. atque XI.* pag. 223

CAPUT II. *De Veronenſe Pecunia apud Patavinos Seculo XI.* 224

CAPUT III. *De Lucenſe pecunia Patavii, deque Bizantiis ac Marabotinis Seculo XI. ac XII.* 225

CAPUT IV. *De nummis Veronenſibus ac Venetis ab anno 1080. ad 1128.* 227

CAPUT V. *De iiſdem ab 1128. ad 1173. rurſus a 1173. ad 1221.* 229

CAPUT VI. *De pluribus Pecuniis Seculo XIII. Patavium accitis.* 232

CAPUT VII. *De nummis Patavinæ monetæ. De falſariis.* 236

CAPUT VIII. *De nummo PADUA REGIA CIVITAS.* 239

CAPUT IX. *De eodem nummo.* 242

CAPUT X. *Inſignia Carrarienſium.* 244

CAPUT XI. *De nummis Marſilii Ubertini Jacobini Franciſci ſenioris.* 247

CAPUT XII. *De Ducatis.* 250

CAPUT XIII. *De carrareſiis, carrarinis, aliis.* 253

CAPUT XIV. *De loco Præfectiſque monetæ. De numiſmate Franciſci II.* 256

CAPUT XV. *Franciſcus II. an. 1398 monetam publicam locat. Inde ſyngrapha hæc.* 259

DE

Digitized by Google

DE RE NUMMARIA PATAVINORUM

CAPUT I.

De Veneta pecunia uſui Patavinorum Seculo X. atque XI.

ANtiquior eſt mentio Nummorum quos aliunde Patavini ſumpſerunt, quam quos ipſi conflarunt. Anno nongenteſimo quinquagemo, Lotharii *nonodecimo ſub die de menſe madio indictione hoctava-Kavaſino de Civem Patavenſis* Teudiverge conjugi *ſolidos numeros centum* pollicitus eſt. *Hacto in civem Patavenſis*. Anno nongenteſimo ſexageſimo octavo, *domni Hotoni Deo propicio Imperatore ſeptimo & item Hotto filio ejus imperii primo ſub die de menſe Julio indictione undecima*; venditor Stephanus ab emptore Martino, *pro argento & alia ſpecie valente ſolidos ſexſainta* recepit. *Acto in Civitate Patavenſis*. Anno quoque ab *Incarnacione domini noſtri Jheſu Chriſti pos mileſimo quarieſimo quarto quarta die intrrante menſe Feburario indicione terciadecima*, quod eſt a Nativitate milleſimo quadrageſimo quintò, *tunc inferamus ad illa parte contra quam exinde litem intulerimus multa denari obtimo uncias vinti, arienti poderas quadrinta*. Pariter id *Actum infar civitate Patavit*. Hæc remotiora penes nos inquilinæ monumenta pecuniæ. Quas inaui, membranæ tres autographæ ſunt, ac de ſacrario templi maximi prodeunt. Eas Viri Canonici deſcribendas ceſſerunt. Præter has etiam plurimas obtulerunt. Eruditionis arcanæ theſauros aperuerunt. Nobilitatem ſanguinis æqua magnanimitate penſarunt.

Hinc ſi quæras unde Patavina gens hos nummos haberet, alius alias invehat monetas. Veneta certe non aberat. Effero chartam, quam mihi velatæ S. Stephani Matronæ cum toto tabulario domum miſerunt. Hoc antea Petrianæ Virgines, & Agathenſes, & aliæ præſtiterant. Factum laudabile poſteris ſilendum non erat. Hæc autem archetypa eſt, annumque refert milleſimum quinquageſimum tertium. Sic habet „ In Chriſti nomine. Pla„ cuit atque convenit inter domna Gepa Aba„ tiſſa de moneſterio Sancti Stefani martir „ Criſti foris civitate Patavi pro ponte Sancto „ Stefano, nec non & inter Dominico filius „ quondam Chriſtiano, ut in Dei nomine de„ beant dare, ſicut a preſenti dedit ipſa dom„ na Gepa Abatiſa ad laborandum libellario „ nomine uſque ad annos viinti & novem ex„ pletos, oc eſt pecia una de terra arato„ ria ad vinea plantandum in lo e fundo ubi „ dicitur Porcila jure de ſupraſcripto ſuo mo„ neſterio. Quoerit ei de omnes partes fo„ ſa, ſico eque alie ſunt coerentes. Ea ra„ cione uti amodo ipſe Dominicus & ſuos he„ redes (&c.) Pena vero inter ſe poſue„ runt, ut quis ex ipſis non compleverint „ omnia qualiter ſuperius leitur, vel ſi tollere „ aut relaxare voluerint ante ſupraſcriptos „ viinti & novem annis expletis, compona „ pars partem fidem ſervandi, pena argentum „ ſolidos viinti & novem de Veneciarum mo„ nete, & poſt pena compoſita unc libellum „ in ſua manead firmitate. Anno vero Dom„ nus Enricus Secundo Dei gratia Imperator „ obguſtus, anno imperii ejus Deo propicio „ ic in Italia ſeptimo, quarto die menſe de„ cember, indicione ſeſta. Actum infra clau„ ſti a de ſcripto moneſterio feliciter. + Ego „ Gepa Atiſa que hanc cartula libello a me „ fata mm. ss. Ego Lanita. Ego Alburga „ manus mea ſcriſip. Ego Angelberga manus „ meas ſcripſit. Ego Burga manus meas „ ſcripſit. Signum ††††† manibus Aruſti„ gello, & Laurencio, & Johannes, & „ Dominico, & Martino de fornaſe rogati „ teſtes. Ego Ugo notarius & judex ſcriptor „ ujus cartule libello poſtradita coplevi & „ dedit. „ Ergo tum *ſolidi Veneciarum monete* Patavinis aderant, ac vulgo jactati minute quoque rei nempe ſanctioni libellaticæ pares erant.

Adde litteras Henrici Quarti Regis anno regni

Digitized by Google

regni sui *XXIII. Dominice incarnationis millesimo LXXVIIII.* quas etiam Muratorius e manuscriptis *Estensibus* in *Italicas* intulit *Antiquitates* Dissertat. XIX. *Stabilimus*, ait Henricus Rex in gratiam Patavini Præsulis Odelrici, *quidquid eadem Ecclesia habere videtur. Nominatim septem libras monete Venetiarum, quas in nostro adventu in Regnum Italicum Saccenses ex Præcepto Patris nostri dicunt se nobis debere.* Saccus agri Patavini portio est ad orientem contermina mari; caput Populorum Plebs. Hos hic habes *septem Venetis libris* Italico Regi devinctos. Ajunt autem eas sibi pendendas ex Præcepto Patris Henrici. Quale Præceptum hoc? Dicam. Vetus exemplar annorum plus quingentorum Canonici tenent. Ibi chronologia deest; quam tamen haud ægre suppleas. In eo memorantur Henrici duo Tertius, itemque Quartus Italiæ Reges. Tertius excessit octobri mense, MLVI. Quartus extitit Rex aprili; MLIV. Stat eo triennio Diplomatis epocha. Signare placet annum MLV. mensemque novembrem, quo legimus apud Muratorium Dissertat. XLV. datum Diploma Mantuanis, actamque similem causam. Forte sibi populus populo fuit incitamento vel usui.

„ *In nomine sancte & individue Trinitatis.*
„ *Henricus divina favente clementia Roma-*
„ *norum Imperator Augustus. Si miseris &* pau-
„ *peribus secundum quod scriptum est*, subve-
„ nite misero, *manum misericordie prout Im-*
„ *perialem decet clementiam porrigimus, vide-*
„ *licet ut a violentis oppressionibus*, * *& hic*
„ *& in futuro premium nos recepturos sperare*
„ *debemus. Quapropter notum sit omnibus san-*
„ *cte Dei nostrisque Fidelibus tam futuris quam*
„ *presentibus, qualiter Homines in Valle que*
„ *vocatur Saccus habitantes clementiam nostram*
„ *audierunt de injuste servitutis oppressione in*
„ *quam Patavensis Episcopus violenter eos com-*
„ *puleris miserabiliter conquerentes. Verum*
„ *nos pro remedio anime nostre, & ob inter-*
„ *ventum dilectissime Conjugis nostre Impe-*
„ *ratricis Agnetis, & propter incremen-*
„ *tum Filii nostri Henrici Quarti Regis preci-*
„ *pimus & confirmamus, ut quicquid Pata-*
„ *vienſis Episcopus per violentiam illis abstu-*
„ *lit, aut cartas ab eisdem fieri compulit, in-*
„ *tegre ipsis restituatur: & ut deinceps ab*
„ *injusta servitute sint soluti sancimus; hocque*
„ *nomen ab Imperiali auctoritate nostra stabi-*
„ *litum obtineant ut in omni succedenti tempo-*
„ *re Eremanni dicantur; & ea consuetudine*
„ *qua nunc ceteri Eremanni in comitatu Tar-*
„ *visiano utantur.* Preterea cum nos in re-
„ gnum Italicum venerimus, sicut antiquis
„ temporibus solitis fuerant, septem libras ut
„ impendant, *& decimas per unum quemque*
„ *annum precipimus. Insuper vero Episcopus,*
„ *nec aliqua magna vel parva nostri Regni*
„ *persona predictos homines molestare inquieta-*
„ *re sine legali judicio presumat. Statuimus*
„ *quia partibus autem Ecclesie secundum justi-*
„ *ciam faventes, ut predictis hominibus non li-*
„ *ceat ipsum Eremannium suam vendere aut*
„ *Archiepiscopo, aut Patriarche, aut Duci,*
„ *Marchioni, Comiti, Vicecomiti, neque ali-*
„ *quibus se Potencioribus vendant, nisi quod*
„ *secundum eandem consuetudinem debitum*
„ *Eremannie predicte Patavienſis Ecclesie justi-*
„ *tiam suam persolvere velint. Si quis vero*
„ *contra hanc nostram Imperialem confirmatio-*
„ *nem a predictis Eremannis aliquid exegerit*
„ *aut nostrum Preceptum infringere tempta-*
„ *verit. C. libras auri optimi componat, me-*
„ *dietatem Camere Imperiali, & medietatem*
„ *ipsis hominibus. Quod ut verius credatur*
„ *hanc cartam inde conscriptam manu propria*
„ *ut infra videtur corroborantes sigilli nostri*
„ *impressione jussimus insigniri.*

Hoc erat præceptum Patris Henrici, quod Henrico Filio Saccenses ingesserant. Alterum itaque alteri jungas. Ait Henricus Rex III. ad Saccenses, *septem libras ut impendant*. Henricus Rex IV. eas asserit *septem libras monete Venetiarum*. Venetas ergo libras septem Saccenses Italico Regi solvebant anno MLV. Rursus ait Henricus Rex III. id eos facere ex antiqua consuetudine temporum: *Sicut antiquis temporibus soliti fuerant*. Nos antiqua hæc tempora metiamur annis saltem centenis. Jam res anno nongentesimo quinquagesimo resedit, quo Venetos nummos accersebamus Urbi Patavio.

CAPUT II.

De Veronense Pecunia apud Patavinos Seculo XI.

SEquitur Moneta Veronensis. Apud nos primum celebratur illo Diplomate quod Imperator Henricus Episcopo Bernardo cunctæque Civitati novo munere cohonestandis expediit anno MXLIX. Tritum est apud Sigonium, Ugellium, Ursatum, Muratorium, atque alios. Nondum tamen omni labe caret. Ei vulgando pergamena duplex e chartophylacio Canonicorum præsto est. Recen-

Digitized by Google

centior anno *millesimo trecentesimo undecimo indictione nona die prima Decembris* manu *Virgilii notarii*. Vetustior autographo par annos exhibet undecimi seculi postremos. Ex hoc Virgilius, ex Virgilio ceteri deinde sumpserunt. Singula spectanti res patuit. Attentos enim oculos adhibere satis erat.

„ IN NOMINE SANCTAE ET INDIVI-
„ DUAE TRINITATIS HEINRICUS divi-
„ na favente clementia Romanorum Imperator
„ AUGUSTUS. Si sacris & venerabilibus
„ locis proficua dona concedimus, animæ no-
„ stræ profuturum nullo modo ambigimus.
„ Quapropter omnibus Christi nostrique Fide-
„ libus, tam futuris quam & presentibus no-
„ tum fieri volumus, qualiter nos ob inter-
„ ventum nostri thori Regnique consortis sci-
„ licet AGNETIS Imperatricis Augustæ, nec
„ non ob devotum servicium & peticionem
„ BERENHARDI PATAVIENSIS Episcopi,
„ licentiam & potestatem monetam faciendi
„ in Civitate PATAVIENSI secundum pon-
„ dus VERONENSIS monetæ sibi suæque
„ Ecclesiæ perpetualiter concedimus atque
„ permittimus. Et ut certior auctoritas hu-
„ jus nostræ concessionis videatur, in una su-
„ perficiae denariorum nostri nominis & ima-
„ ginis impressionem, in altera vero ejusdem
„ Civitatis figuram imprimi jussimus. Et quo-
„ niam secundum Imperialem auctoritatem
„ nostrorum antecessorum regum vel imperato-
„ torum pro animæ nostræ remedio sanctæ
„ Dei Ecclesiæ prælibatum donum conditione
„ stabili tradimus, volumus firmiterque pre-
„ cipimus ut nulla major minorve persona Ec-
„ clesiam Dei suumque provisorem BERE-
„ NHARDUM videlicet Episcopum ejusque
„ successores hoc nostræ benignitatis dono de-
„ stituere aut molestare presumat. Quod ut
„ verius credatur ab omnibus, & per succe-
„ dentis temporis evum ab omnibus diligen-
„ tius observetur: hoc nostræ donationis
„ Præceptum manu propria corroborantes.
„ Sigilli nostri impressione inferius jussimus in-
„ signiri.

„ Signum Domni Heinrici „ Tercii Regis.

„ Herimannus Colonienſis Archiepiſcopus atque Archicancellarius Recognovi.

„ Data XVI. Kal. maj. Anno dominicæ Incarnationis M. XLVIIII. indict. II. Anno autem
„ domni Heinrici tercii Regis Imperatoris ſecundi ordinationis ejus XX. regni quidem X.
„ Imperii autem III. in nomine Domini.

„ Actum Goslare fel. Amen.

Monumentum hoc Muratorius an *certum ſincerumque* ſit hæret. Primum quia non Epiſcopum, ſed Civitatis Principem moneta deceret; deinde quia Epiſcopus in nummis non Civitatem ſignaret nec Cæſarem, ſed S. Proſdocimum genti Patronum; tertio quia repugnat Epiſcopi monetam eſſe, typum Civitatis: ejuſdem quippe ſit nummus oportet ac imago nummi. Nos contra. Vidimus anno MLV. Præſulem Patavinum Saccenſibus inſultare ſubactis, hoc quidem præpotentis eſt rerumque domini. Saccenſes autem non Patavinum nec Tarviſinum Comites adeunt, ſed Cæſarem pulſant; ut vi proximum. Rurſus hoc anno MLV. menſe novembri, ex Muratorio Diſſertat. XLV. *Mantuani Cives* eundem poſtularunt Auguſtum *ſuas miſerias & diuturnas oppreſſiones conquerentes*. Idemque *predictos Cives videlicet Eremannos in Mantua civitate habitantes* integros eſſe jubet. Jam ſi quæramus a quo Mantuani Cives & Eremanni crudelia paſſi forent, ipſe reponet Muratorius, a Bonifacio *Comite* Mantuano. Liceat hoc idem de Saccenſibus Eremannis: ut eos premeret qui Comes iis ac Præſes erat, hoc eſt; ut Patavinæ ditionis arctaret populos qui Patavinorum Reipublicæ præerat. Nec ſilendum eſt *Præceptum*, ut alia mittam, quod Urſa-

Digitized by Google

tus interpolatum dedit, ipse apud Canonicos evolvi duabus autographis chartis, altera pendente sigillo, altera infixo, utraque Cancellarii manu firmatis, quo quidem *Heinricus* anno *M. nonagesimo primo indictione XIII. VI. Kalendas* Julias *Urbem Patavienſem* Episcopo Miloni cessit, omnemque *Arimaniam ejusdem Civitatis omnemque districtum cum placitis*; ut ea, inquit Augustus, *juxta constitutionem Anteceſſorum noſtrorum confirmaremus*. Anteceſſorum statuta latent. Ex hoc tamen agnoscimus, Antistites Patavinos iis seculis ea in Urbe sub Imperii munimine dominos. Ex quibus ipse Bernardus impetravit monetæ jus. In nummis autem signabat imaginem Civitatis, in qua Princeps erat; ac Cæsaris imaginem sub quo Princeps. Hoc ergo diplomate moneta Veronensis apud Patavinos laudata est; Anno deinc MLXVII. privatis quoque rationibus adhibita est. Habe chartam e S. Stephani gynecæo.

„ In Christi nomine. Placuit adque conve-
„ nit inter domna Gepa abatipsam de mone-
„ sterio S Stefano martire Christi, quod est
„ constructum foris civitate Padua, nec non
„ & inter Pagano qui dicitur de Berengarda
„ ut in Dei nomine debeat dare sicut a pre-
„ senti dedit ipsa domna Gepa abatipsa eidem
„ Pagano, at ficto censo redendum libellario
„ nomine usque at annis viginti & novem ex-
„ pletis. ---- Ita ut per jam dicto Pagano --
„ meliorentur, nam non pegiorentur, & per-
„ solvere ex inde debet per omni anno in fe-
„ sta S. Justina que venit de mense Octuber a
„ ficto soldos octo de moneta Veronensi, &
„ in festo S. Stephani (&c.) Unde duo libel-
„ li uno tinore scripti sunt. Hanni ab Incar-
„ nacione Domini nostri Jhesu Christi milleſi-
„ mo sexagesimo septimo, octavo Kalendas
„ Augustus, indicione quinta. Actum in su-
„ prascripto monesterio feliciter. Signum „
&c. ex autographis. Tunc & Aquilejam fama pecuniæ Veronensis impleverat, urgente *Conrado* Cæsare, qui nummos in nova ejus Urbis officina cudendos *Veronenſis monetæ denariis æquiparari* vult, anno d. 1. *MXXVIII. indictione XI. XIII. idus Septembris*. Edidit ex authenticis Bernardus de Rubeis.

Ac mihi potiora Vincentiæ tabularia Joh. Checotius aperuit, alia quorum Mabillonio, alia Bollando, alia Muratorio restiterant: isque sic in me Veicetinorum devinxit animos, ut hominem ignotum omnibus amoris ac liberalitatis officiis auxerint. Ibi Veronenses nummos hoc ævo solos animadverti. Princeps eorum mentio e *S. Felicis* autographo. *In nomine Domini Dei eterni. Anno ab Incarnacione Domini noſtri Jheſu Chriſti milleſimo XXV. primo die de menſis September indicione octava. Conſtat nos Tiſo & Elica jugalibus que profeſa ſum ego ipſa Elica ex nacione mea lege vivere Longobardorum ſet nunc pro ipſo viro meo lege vivere ſaliba: ipſo namque jugale & mundoaldo meo mihi conſenciente & ſubtus confirmante; & juſta legem meam una cum noticia de propinquioribus parentibus meis cujus ſupra Elicæ i ſunt Vilano & Ariprando germani mei, in corum preſencia & teſtium certa facio profeſione & manifeſtacione quod nulla me pati violencia ad quempiam omine nec ab ipſo jugale & mundoaldo meo niſi mea bona & ſpontanea voluntate accepiſemus nos comuniter ſicuti & in preſencia teſtium accepimus nos ad te Warnerius qui eſt abitator in Caſtro Pedaola inter* argentum & alia re valaente liberas quarainta de Verona *finitum precium ſicut inter nobis convenit pro maſaricias trex cum omnia ſuarum pertinencis juris noſtri qua nos abere viſi ſumus in Comitato Vicentino in loco & fundo Mareſtica a locus a dicitur planicia & in coſta de Molvena ſecundum quod ſunt rete per ipſi maſarj. Prima maſaricia in jam dicta coſta, que fuit donicarj de Walcauſo; & eſt reta, & laborata per Martino zoto libero omine. Secunda eſt reta & laborata per Johanes libero omo. tercia in loco Planica que eſt recta & laborata per Viviano maſario libero omo. & ſunt predictes maſaricias --- Al illam partem contra quam exinde lite intollerimus mullta que eſt pena auro obtimo uncias decem & argenti * ponderas viginti & quod repecierimus ---- & bergamina cum aſtramentario de terra levavi. pagina Ugo notarius tradidit & ſcribere rogavi in qua ſubtus confirmans teſtibuſque obtulit ad roborandum. Actum in colo ranpone feliciter. Signum †† manuu ſupraſcriptorum Tiſo & Elica, qui ad jugale ſua conſenſi ut ſupra. Signum manuu †††††† Conrado, & Fulco, Wiperto ..... dal colo, & Alberto, & Gauſilino de planicia teſteſtes *. Quidem ego Ugo notarius ſacri palacii hanc vendicionis cartulam ſcripſi, poſtradita conplevi.* Ergo si vel Aquilejensem, vel & Vincentinam Civitates anno M. circiter & XX. nummi Veronenses invaserant. cur non & Patavinam? Quæ alteri finitima est, utrique interjacet.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

De Lucenſe pecunia Patavii, deque Bizantiis ac Marabotinis Seculo XI. ac XII.

NUnc de lucenſe. Muratorius Antiquitates Eſtenſes cumulat ſyngrapha quadam, cujus archetypum tabulario Mutinenſi creditum eſt. „ Anno ab Incarnatione D. N. „ J. C. milleſimo nonogeſimo quinto, ſexto „ die Aprilis, indictione tertia. Tibi Ugo „ germano meo ego Fulco filius Alberti Marchionis qui Azo Marchio dicitur, qui profeſſus ſum ex natione mea lege vivere Longobardorum, ſicut ipſe genitor meus vivere viſus eſt. Propterea dixi; manifeſtum eſt mihi qui ſupra Fulco, eo quod tu qui ſupra Ugo odie in me emiſiſti cartulam vendicionis ſub dupla deffenſione pro accepto precio librarum mille Lucenſis monete nominative de cunctis Curtibus, Caſtris, Eccleſiis, & Capellis, Caſis, & Maſſariciis, & omnibus territoriis, que mihi evenerunt per cartulas a Marchione Azone noſtro genitore factas ---- Actum in loco Adeſte feliciter ---- „ Ut Adeſte ſic pecunia Lucenſis ibi repoſita noſtras erat. Ea nec ſecuto deinde ſeculo defuit. Anno quippe *milleſimo centeſimo trigeſimo ſexto. die quartodecimo menſis Auguſti, indicione quartadecima ---- Domnus Placitus dei gratia venerabilis Abbas Monaſterii S. Petri juſta urbem Mutinam inveſtivit Domnum Georgium Abbatem S. Michaelis de loco Candiana de hoc ---- eo pacto ut predictus Georgius Abbas & ejus ſucceſſores ---- annualiter perſolvant quadraginta ſolidos denariorum Lucenſium bonos & expendibiles quales pro tempore cucurrerint.* E Canonicorum ſcriniis. Ut etiam *milleſimo centeſimo ſeptuageſimo tercio. die ſabati, quarto Kal. Madii, indicione ſexta ---- convenit ut annuum cenſum quadraginta ſolidorum Lucenſium predicta Candianenſis Eccleſia Eccleſiæ S. Petri perſolvat.* Præterea nuſquam mihi lecta eſt. Quare parcius a noſtris admiſſam reor.

Idem de nummis habe quos a loco monetæ vocabant Byzantios. Hi ſemel occurrunt. „ Anno milleſimo centeſimo nonageſimo quarto. menſe Julii. indicione duodecima. Teſtis Adam dixit. Ego eram ..... cum Abbate Odelrico, & domnus Johannes Padue „ Epiſcopus erat ibi. Et multociens fuit ante „ dominum Papam, quando memoratus Epiſcopus Padue placitabat cum predicto Abbate O. & dicebat Johannes Epiſcopus, quod „ ipſe erat Dominus illius monaſterii, & omnem dominationes ad eum pertinebat. Et „ Abbas dicebat, Non. Et ad finem dominus „ Papa, ſicut audivit dicere, dixit eidem Epiſcopo — Nos talem ſententiam damus, quod „ volumus, ut amodo habeas omnem rationem quam nos inde habemus. Interrogatus; „ quid inde habebat dominus Papa. Reſponſit; ſicut audivi, Biſantium unum per annum. „ Scilicet e Carrarienſe cœnobio. Charta Canonicorum eſt. Ex ea aliaque gemina didici Odelricum hunc Abbatem Carrariæ datum circiter anno milleſimo centeſimo ſexageſimo, deſiiſſe ſub Epiſcopo Gerardo. Gerardus ipſe creatur anno milleſimo centeſimo ſexageſimo quinto, *a ſancta Maria de menſe martio. hora diei circa tertiam.* Sic e variis tabulis ac tabulariis. Non iis modo vulgandis immoror aut explicandis; quod & longius irem, nec hoc inſtat; tantum indicabo chartulam, quæ Canonicis autentica eſt. *In nomine domini Dei. Anno nativitatis ejus M. C. LXVI. die V. Junii. indicione IIII. X. Gerardus dei gratia Paduanus Epiſcopus.* &c. Ughellus autem Gerardi pontificium quadriennio retardat. Idque facit more quodam ſuo. Quippe ei ſolemne eſt omnia noſtrorum Præſulum invertere. Res erat nec parvi pretii nec exiguæ moræ Dyptica reſtituere florentis Eccleſiæ. Id egi. Singulos horum maxime temporum Antiſtites ordine ſuo locavi. Quantum monumenta chartarum valent, omnia nunc apte conſtant. Ea autem, quæ dicta ſunt, litem Johannis & Odelrici cohercent intra milleſim. centeſ. ſexageſimum, milleſimumque C. ſexag. quintum. Tunc Rom. Pontifex Epiſcopo reſignavit Bizantium, quem Monachi Carrarienſes hucuſque ſolverant. At quando cœpit ea penſionis indictio? Hæc quidem obvia interrogatio eſt. Adde ex Libro *Cenſuum Rom. Eccleſiæ*, quem *Cynthius Cæleſtini Papæ III. Camerarius* anno *M. C. XC. II.* confecit, Muratorius Diſſertat. LXIX. vulgavit. Unde ſic habes.

In Epiſcopatu Paduano Eccleſia S. Mariæ de Pratalia IV. Marabutinos. Eccleſia S. Crucis de monte Sion duos Marabutinos. Monaſterium de Iſpida unum Marabutinum; nummos hos quotannis Romam mittebant. Hinc ergo rurſus eſt quæſtio, num quos ea Patavinorum Sacraria ſeu Byzantios, ſeu Marabutinos ævo duodecimo dabant, undecimo quoque darent. Cauſa quærendi eſt, quod penſiones publicæ ſtabiles ſunt, nec privatis ſimiles; at ſacræ

ſunt

Digitized by Google

ſunt etiam firmiores. Quare centenaria earum præſcriptio non fruſtra præſumitur. Id autem nec repugnat ex parte nummorum quibus ea fieret ſolutio. Nam *duo millia Biſancios auri* vides anno *Milleſimo ſeptuageſimo nono, pridie nonas decembris, indictione tercia*. Sic *Marabotinorum* mentio eſt anno *MLXXVI.* quorum *ſepteni unciam conflarent*. Chartas Diſſertat. XXVIII. Muratorius exhibet. Hi ergo penſionibus ea quoque ætate ſolvendis faciles erant. Rurſus id non repugnat ex parte Cœnobiorum quæ penſiones ipſas ſolverent. Nam Carrarienſe vel anno 1068. nomen habet.

Anno ab incarnatione D. N. J. X. milleſimo ſexageſimo octavo. ſexto die menſis auguſti, indicione ſexta. Monaſterio beatiſſimi S. Steffani, qui eſt conſtructo in loco & fundo Carraria. — Tabulas obtulit Ubertinus Papa-fava Marchio; eaſque reliquumque tabularium inlares meos intulit. Aſceterium Prataliæ noſtri conditum putant anno MLXXX. Nec iis deſunt inde quædam memoriolæ, quas in eo chartophylacio vidi, non quidem authenticæ, ſed nec improbabiles. Hoc autem ex autographis eſt *milleſimo centeſimo ſeptimo decimo indicione decima* &c. in eo memoratur *Abas de Pradalla*; notarius *Ugo* chartulam fecit. Hic ſumus adhuc non procul ab ævo quod verſamus undecimo. Sequitur Iſpidæ Monaſterium, quod eſt aliis vectigalibus additum. Ex eo Cynthii libello revocatur ad hoc ſæculum; nec a ſuperiore dejicitur. Ei quidem pauciores ætates adſcribere potes: at etiam plures. Hoc autem ipſe faciam. Ex adverſo quippe nihil eſt. Ultima ex eo codice eſt *Eccleſia S. Crucis de monte Sion*. In eam præjudicaverunt, qui nomina hæc locorum, velut mons Sion & alia tranſmarinis æqua vocabulis, apud nos orta denique putant, ex quo Cruceſignatorum gens Aſiæ Paleſtinæque ſpolia ac titulos in occidentem tranſtulit. Audi Maffejum Veron. III. parte III. cap. I. latine ſic redditum. „ Nec ſilendum, inquit, quæ proxima Vero„ næ pars inſidet monti ferre quædam nomina „ locorum quæ Jeroſolymis adjacent. Ea ſunt „ Valdonica quæ vallis Dominica; Calvarium „ qui S. Rochi mons eſt; & clauſa modo mæ„ nibus hinc Nazaret, inde Bethlehem. Di„ ctus & Oliveti mons ubi cœnobium Trini„ tatis eſt. Hæc noſtri induxere Cives ab Je„ roſolymiticis bellis in patriam reduces. Has „ ſedes iis admodum ſimiles videbant, ipſas „ eodem vocabulo notabant. „ Hæc ille non ſine aliqua veri ſpecie. Sed mihi ex autographis Canonicorum charta eſt quæ negotium expedit. Totam deſcribere placuit, ut certum ſit legentibus inde judicium. Quæ lacunis hiant vetuſtas eluit. Uſitatas quoque tabellionum nænias omiſi. Cætera ſic habent.

„ In nomine domini Dei & Salvatori noſtri „ Jheſu Xpiſti. Enricus Secundo dei gracia „ Inperator Abguſtus. Anno inperii eius Deo „ propicio ic in Italia anno quarto; ſeptimo „ die mens . . . . . indicione tercia. Eccle„ ſie & Canonice Sancte Marie Patavenſis Ec„ cleſie, que eſt conſtructa in . . . . . vitate „ Patavi Ego Vito presbytero qui profeſo ſum „ ex nacionem meam leiem vivere romana, „ offertor & donator ipſius Eccleſie Sancte „ Marie preſens preſentibus dixit. Quiſquis „ (&c.) Ideoque ego iam dicto Viro presbi„ tero dono & ofero in eadem Canonice San„ cte Marie it eſt pecia una de terra aratoria „ . . . . . quam abere viſo ſum infra comitato „ Patavenſis & infra fine de civitate Patavi & „ in loco & fundo Mezana; & eſt pecia ipſa „ de terra aratoria . . . . . uno latere iure „ ipſius Sancte Marie abente, & de alio late„ re ingreſo . . . . . noſtris conſortes ſabente, „ & de alio capite via plubica percurrente „ (&c.) Hanc enim cartulam oferſionis me„ painam Johannes notarius tradidit & ſcribe„ re rogavit, in qua ſubter confirma teſtibuſ„ que obtulit at roborandam. Actum in Mon„ te Oliveto feliciter; Signum ††† manibus „ Bonoomo, & Amedeo, & Bernardo roma„ ni teſtes. Signum †† manibus Paulo, & „ Zorzo teſtes. Ego Johannes notarius ſcri„ ptor uius cartule oferſionis poſtradicta con„ plevit. „ Jam conſtat eos Cruceſignatorum reditus ævo tantum duodecimo factos. Hæc autem charta non dubium quin anno ML. reſpondeat. Ea ergo non expectavit ovantes ab oriente milites, ut *Oliveto Monti* nomen imponerent. Hinc antelati ſyſthematis exciſa compages. Exemplo hoc reliqua apud nos loca Paleſtinis aucta vocabulis alios alioſque ſibi quam qui putantur auctores adſtruent. Age nunc *Eccleſia S. Crucis de monte Sion*, quæ cauſa differendi fuit. At ea ex dictis confecta res. Ajo itaque, ut *Olivetus* apud noſtros ea ætate *Mons* erat, haberi potuiſſe *Montem* quoque *Sion* eique additam *S. Crucis* ædem, quæ Carrarienſi Pratalienſi atque Iſpidenſi juncta cœnobiis eos aut Bizantios aut Marabotinos annuam Romæ penſionem, ſicut ævo duodecimo, ſic & undecimo perſolveret. Ac demum juvit huc omnes congeſſiſſe pecunias, quarum temporibus iis apud nos rara mentio leviſque ſuſpicio eſt, & tamen aliqua eſt. Inde Veronen-

Digitized by Google

nenſem retractamus ac Venetam ; quæ , quoniam loco , frequentia potiores erant .

CAPUT IV.

De nummis Veronenſibus ac Venetis ab anno 1080. *ad* 1128.

NUmos Verona Venetiiſque Patavium tranſtuli . Dehinc anno mill. ſeptuag. nono coævos exhibui . Nunc utroſque jungam , ſimul eorum velut ætates exequar . Ætas prima eſt ab anno milleſimo octuageſimo ad milleſimum cent. vigeſimum octavum : quo ſpatio tabulas pecunia Veronenſe triginta plus habeo , Veneta tres . Omnes e Canonicorum ſcriniis . Harum prima notatur . *Mill. cent. vigeſ. quarto* . Data *vigo novo* Saccenſium finibus . Altera *M. C. XXVI.* Tertia *mill. cent. XX. octavo* ſcriptae *Patavii* . Moneta Veronenſium eſt anno *milleſimo octuageſimo nono* . Actum *infra* (S. Stephani) *moneſterio* . Secunda *M. C. XX. quarto . XIIII. dies mid. indicione ſecunda . In clauſtro Canonice beate Marie de Padua* . Demum *milleſimo cent. vigeſimo quinto , menſis Julii die decima, indicione tercia ---- Patavii in clauſtro S. Marie* . Prima ex archetypo S. Stephani , altera ex authentico , tertia ex autographo Pratalienſis archivi . Reliquas exerere non eſt opus. Itaque pecunia Veronenſis erat frequentior uſui Patavinorum . De pondere ſic habe. Primum Venetos ex argento fuiſſe nummos. Innui chartam *M. C. XXVI. X. die octubris indicione quarta* . Nunc addo in ea laudari *ſolidos quatuor & medium denarii monete Venecie de qualicumque moneta albulorum cucurrerit per hanc patriam* . Legis albulos , intelligis argenteos. His quadrupli Veronenſes erant : ex altera quam cenſui pagina Canonicorum ; ſumma cujus eſt : Dadolus venetas libras viginti ſeptem fœneratus erat Natigerio . Hic contra fecit ei Syngraphan quaſi maſſariciam venderet ; ut , ſi Natigerius datam pecuniam cum fœnore ſolveret , ei Dadolus chartam remitteret . Sin autem , ſibi retineret . Fœnus erat denariorum ſex in menſem pro ſingulis libris. Hæc Julio menſe . Tum Septembri . Dadolus eodem fœnore libras Veronenſes quatuor & ſolidos tres Natigerio dedit , ut is æque rederet aut libras quatuor & ſolidos tres Veronenſium , vel ſexdecim libras Venetiarum . Nunc ex autographo .

„ Teſtes Lemizo de Gafarello . Arenge-
„ rio . Albericus de Maraldo . Johannes de
„ Pivota . Merze menuda . M. C. XXIIII.
„ quartox die intrante menſe Julii . indicione
„ ſecunda . Fecit Natigerius da vigo novo
„ cartula vendicionis ſub dupla defenſione in
„ manu Dadolo de Pre Litardo nominative de
„ maſaricia una de terra iuris ſuis que iacet
„ in villa vigo novo & in eis finibus iuſta ,
„ que eſt recta per predicto Natigerio cum
„ capulo & paſculo , & cum omni iure a
„ predicta maſaricia pertinentibus (&c.) .
„ Hec cartula vendicionis pignus ſit poſita per
„ precium libras XXVII. Veneciarum mone-
„ te . terminum de hinc ad ano novum
„ proxime venientem . Promiſſionis fecit
„ inter ſe uni alter , quod ſi prædicto Na-
„ tigerius vel ſuos heredes fecit ſanacionem de
„ ſupraſcripti denarii libre XXVII. Venecia-
„ rum cum proficuo per libras in menſem de-
„ nariorum ſex a Dadolo , vel a ſuos heredes
„ de hinc a feſta de ano novo proxime ve-
„ niente vel ad anno expletos , reddere debet
„ Dadolo vel a ſuos heredes iſta cartule raſa
„ & inciſa ſub pena duplo . Et ſi predicto
„ Natigero vel ſuos heredes non fecit ſanacio-
„ nem de ſupraſcripti denarii libras XXVII.
„ Veneciarum cum proficuo per libras in
„ menſe denariorum ſex a Dadolo vel a ſuos
„ heredes de hinc ac ſtatutum terminum qua-
„ liter legitur , deinde in antea iſta cartula
„ vendicionis firma & ſtabile permaneat ſub
„ pena dupli ..... abere debet launichild ca-
„ pello . Et pacti ſunt quod denarii diſpendi-
„ biles ſub eſtimacione boni viri acipere debet
„ quando ſanacionem facit. Ego Johannes no-
„ tarius rogatus ſcripſi . Et poſtea alia vice
„ in media menſe Septembris dedit Dadolo
„ libras IIII. Veronenſes & ſolidos III. a
„ Natigero . de hinc a ſex menſes expletis
„ cum proficuo per libras in menſe denario-
„ rum ſex : & ipſe Natigerius inveſtivit Da-
„ dolo de omnibus iuriis ſuis immobilibus
„ quam ab . . . Et ſi in capite de ſex menſes
„ predicto Natigero vel ſuos heredes fecit ſa-
„ nacionem de libras IIII. & ſolidos III. Ve-
„ ronenſes , vel ſedecim libras Veneciarum ,
„ cum proficuo per libras in menſe denarii
„ VI. accipere debet Dadolo ſine proficua .
„ Sic pacti ſunt .„ Exſcripſi ſchedam barbarie
ſcatentem ac tricis , dii boni ! quo tædio .
Sed hæc horum ſtudiorum infelicitas , quam
compenſat ex abdito ducta veritas . In ea exi-
gi vides aut libras IIII. & ſolidos III. Vero-
nenſes , aut ſedecim libras Veneciarum .
Si libris Veronenſibus addas ſolidos tres ,
erunt quadruplæ Venetis .

Digitized by Google

Aquilejenſe monumentum eſt e tabulario Forijulii, quo Bergomenſis Epiſcopus *argenteos denarios bonos Mediolanenſes ſolum quinque aut de Venetia ſolum decem* quotannis remittere iuſſus eſt. Illud vulgavit ſupra Bernardus de Rubeis, annoque nongenteſimo ſeptuag. ſecundo locavit ac dixit autographum. Lege itaque autographorum puto ſcripſiſſe notarium non *pro ſingulis locis & vocabulis*, ut in edito eſt, ſed *per ſingulis loeis*: non *perſolvere ei inde debet*, ſed *perſolvere exinde debet*: non *dari ipſi denarium*, *ſed dati ipſi denarium*: non *per juramentum inter ſe poſuerunt*, ſed *penam vero inter ſe poſuerunt*: non *ejuſdem Ottoni filio & ſimiliter Imperator*, ſed *& item Ottoni filio ejus ſimiliter Imperator*: non *menſe Julii in die quintadecima*, ſed *indicione quintadecima*: non *Rambaldus Comes ſuus*, ſed *Rambaldus Comes ſubſcripſi*. Quæ quidem & alia virum maioribus inhiantem præterire decuit. Mihi dum minutiora perſequor, hæc etiam momento ſunt.

Igitur anno nongenteſimo ſeptuag. ſecundo denarii quinque Mediolanenſes erant Veneti decem. Rurſus anno milleſ. cent. vigeſimo quarto Veronenſes libræ quatuor erant Venetæ ſexdecim. Quare, niſi quid ævo mutatum eſt, ut Mediolanenſes nummi dupli Venetis, ſic Veronenſes dupli Mediolanenſibus erant. Hi quippe dupli Venetis, ii fere quadrupli. Princeps ergo Veronenſium pondus eſt, deinde Mediolanenſium, denique Venetorum.

Nunc ipſa nummorum ſpectanda vis ex archetypis Canonicorum chartis „ milleſimo nonogeſimo ſexto. nono Kal. aprilis, indicione „ quarta. Conſtat me Andrea filius quondam „ Dominico de Elena, qui profeſſu ſum ex „ nacione mea lege vivere romana, accepiſſe ſicuti & in preſencia teſtium accepi a te „ Alberto clerico filius cuiuſdam Johannis de „ Raimberto inter argentum & alia re valente ſolidos decem denariorum Veronenſium „ finitum precium ſicut inter nobis convenit „ pro pecia una de terra aratoria cum vite „ ſuper ſe abente, quod ſunt ordines quinque „ iuris mei quam abere & poſſidere viſu ſum „ in comitatu Patavino foris civitate Padua, „ in loco qui vocatur Martineſe. coeret &c. „ Actum in monaſterio ſancte Juſtine „ ---- Terra bene culta frugumque ferax & ordines quinque vitium ſolidis decem Veronenſibus empta ſunt, ac proinde quadraginta ferme Venetis. Anno quoque *milleſimo C. ſexto, ſecundo die intrante menſe ſeptembris, indicione quartadecima* ---- *quinque ordines de vinea* proſtant *in comitatu Patavino* rurſus *ad locum qui vocatur martiniſe*. Vel iidem vel proximi ſuperioribus erant ut ex lectione chartarum patet. Pretium *inter argentum & aliam rem valentem ſolidos* inde *viginti Veronenſis monete* numerant. Actum *in ſuburbio civitatis Padue*. Veronenſes antea denos; hic autem vicenos adhibent in ordines vinearum quinos. Aut hos auctos, aut eos imminutos intelligas. Illud pronius. Anno deinde „ ab incarnacio„ ne D. N. J. X. milleſimo. C. octavo, duo„ decimo calendas menſis aprilis, indicione „ quintadecima. Conſtat me Dominicus filius „ quondam Fuſco qui profeſſus ſum lege vive„ re Langobardorum, accepiſſe ſicuti & in „ preſencia teſtium accepi ad te Inricus, qui „ dicitur Judex, inter argentum & aliam rem „ valentem libras quinque & ſolidos ſeptem „ denarios Veronenſis monete finito precio „ ſicut inter nobis convenit, pro omnibus „ cuntis caſis & rebus inmobilibus iuris mei, „ qui ſupra Dominico, de quantum ego abe„ re & poſſidere viſus ſum & mihi pertinet „ infra fine Saciſica & in villa que dicitur „ Silba boluni tam infra ipſa villa quamque „ & deforis & in eis finibus. ---- Actum „ in villa Silbaboluni. Signum manus „ &c. Ego Johannes notarius ſcriptor hu„ jus cartule vendicionis poſtradita com„ plevi. „

Anno milleſimo C. octavo, die XXI. menſe Martio prima fluebat indictio? Cur hæc quintadecima eſt? Alia mihi charta eſt. Anno *Milleſimo C. octavo undecimo die intrante menſis genuarii, indicione quintadecima* ---- *Johannes notarius*. Alia quoque *Milleſimo. C. octavo ſeptimo die intrante menſe mad. indicione prima* ---- *Johannes notarius*. Omnes eodem Johanne notario ductæ parem ſtylum præferunt. Indictiones autem diſpares ſunt. Nec annus aut communis aut Piſanus aut Florentinus, aut alii; nec indictiones undecumque cœptæ repugnantiam tollunt. Ergo chartas pſeudigraphas? Ita Germonius. Alii parcius exiſtimant. Hæc autem quam recolo non parvas res verſat. Actum *de omnibus & cunctis caſis & rebus immobilibus intra villam* ac *deforis*. Omnia quæ Dominicus eo loco poſſidet emptori precio finito ceſſit. Quanti vero? Quinque libris & ſolidis ſeptem Veronenſibus, hoc eſt, viginti circiter Venetis. Age nunc domos terras & vineas æſtima, pretium quo tum conſtabant expendas, pretium quo nunc conſtarent inquiras; hinc quæ nummorum ſeu Veronenſium

Digitized by Google

ſium ſeu Venetorum vis apud Patavinos eſſet, ex parte cognoſces.

CAPUT V.

De iiſdem ab 1128. *ad* 1173. *rurſus a* 1173. *ad* 1221.

ALtera pecuniis iis ætas ſtatuitur apud nos ab anno milleſimo centeſimo vigeſimo octavo, ad milleſimum centeſimum ſeptuageſimum tertium. Quo ſpatio Veronenſis ubique tenet, Veneta nuſpiam eſt. Cur ſic refrixerit ignoro, nec conjecturas agam. Cavacio quoque parcam, qui Veronenſem per hos annos abigit, Venetæ ſoli dat locum. *Velut*, inquit, *ex tabulis late conſtat*. Jam longe contrarium conſtat ex tabulis. Sed auctores hos perſequi nihil eſt. Claudatur hæc ætas monumentorum copia cæteris impar, annorum vertigine par.

Tertia ſuccedit ab anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo tertio ad milleſ. ducenteſimum vigeſimum primum. Tunc moneta Venetorum poſtliminio rediit, agentibus chartis duabus autentica e Cœnobio S. Auguſtini autographa e parthenone S. Petri.

„ Anno domini M. C. LXXIII. indictione „ VI. die II. exeunte marcio. Conſtat me „ quondam Gumbertum de Aldino accepiſſe „ a te Ugolino de Aldegerio, octuaginta „ quinque libras denariorum Venetorum fini„ to precio ---- pro pecia una de terra arato„ ria iuris mei que jacet in confinio Padue in „ loco ubi dicitur contra. Coheret ---- Actum „ in Padua.

Vides hic octuaginta quinque denariorum Venetorum libras. In altera leges XX. denariorum Venetorum ſolidos.

„ Anno M. C. LXXIIII. Indic. VII. die „ XI. exeunte octubri. Aquilina Dei gratia „ monaſterii S. Petri Abbatiſſa per conſenſum „ & voluntatem ſororum ſuarum inveſtivit „ Otonellum de tribus petiis de terra, qua„ rum una eſt ---- dando pro renovatione ſo„ lidos XX. denariorum Venetorum. „

Heinc autem nova pecuniæ Veronenſis & Venetæ facies. Aut crevit hæc, aut illa decrevit; aut hæc progrediens, ea digrediens ultimo concurrerunt. Id ut ordine peragam, rurſus earum ſcrutabor uſum, pondus, ac vim. Quoad uſum ſic habe. Charta mihi autographa eſt e tabulario Canonicorum ſcripta *M. C. LXXXVII. indict. V. die ultimo exeunte octobris*. Ea ſolvendos refert *denarios VI. Veronenſium vel Venetorum concurrentium*. Idque ſtatutum *Padue*. Rurſus ibidem membranæ ſunt anno 1192. 1194. 1213. 1221. vel aliis, in quibus eadem eſt pactio *denariorum Venetorum vel Veronenſium melius & plus concurrentium tempore ſolutionis*. Ex iis probatur anceps utriuſque pecuniæ ſors, alternante vel conſuetudine populi vel ſanctione Principis.

Additur anno „ M. C. LXXXXIIII. ind. „ XII. die VI. exeunte ſeptembris ---- red„ dendo, *inquit*, annuatim duos denarios „ Veneciarum, vel Verone, vel alterius „ monete ſicut currerit tantundem valen„ tis.

Hic locus in ea urbe novæ pecuniæ fit. Idque cumulatius e chartario Pratalienſe. „ M. C. LXXXVIIII. indictione VII. die „ III. exeunte Januario. Reddere autem de„ bet ---- XXV. libras Veronenſium aut Ve„ netorum tempore ſolutionis melius com„ muniter in Padua currentium, vel alterius „ currentis monete, que non ſit melior „ predictarum ultra XXIIII. denarios per li„ bram. „

Una ex iis monetis erat *Imperialium*, de qua poſtmodum. Ceteræ ſilentur. Eæ autem duæ pariter ibant, annumque mill. ducent. vigeſim. primum ſemper æquato pede tenebant. Habe chartam e tabulario Sanct Petri.

„ In nomine Domini Dei eterni. Anno „ nativitatis eiuſdem milleſimo ducenteſimo „ vigeſimo primo, indictione nona, die „ ſextodecimo marcii ---- Domina Maria Dei „ gratia monaſterii S. Petri Abbatiſſa ---- ad „ libellum ad renovandum per unumquemque „ vigeſimum nonum annum, dando pro qua„ libet renovatione predicte Abbatiſſe vel eius „ ſuccetrici ſolidos quatuor denariorum Ve„ netorum, vel Veronenſium plus curen„ cium, ad nemus de ſalicibus plantandum „ inveſtivit paſcalem ---- Actum in Padua in „ predicto monaſterio. Teſtes (&c) Ego „ Aſinellus ſacri palatii notarius interfui, & „ eorum iuſſu hoc ſcripſi. „

Is uſus apud nos utriuſque monetæ. De pondere ſic erat ex archetypis Canonicorum.

„ M. CC. III. indictione VI. die III. intran„ te novembris. Padue in epiſcopali came„ ra ---- promiſerunt ſolvere ---- VI. libras „ denariorum Veneciarum, videlicet XL. „ ſolidos ad forum S. Juſtine. & XL. ad „ mercatum S. Proſdocimi. & XL. ad fo„ rum

Digitized by Google

„ rum S. Viti. ea ratione &c. „

Leginus hic, ut in aliis, & libras & ſolidos & denarios. Libra conſtabat ſolidis, ſolidi denariis. Ex hac charta libram ſolidi viginti pendebant. Item e chartario S. Stephani.

„ M. C. octuageſimo ſeptimo indictione V. „ die X exeunte madio. Debet dare tres li- „ bras; ſcilicet XX ſolidos per totum ma- „ dium. & XL. ſolidos ad Kalendas auguſti. „ Actum in Padua. „

Solidi duodecim nummis erant:

„ Anno a nativitate Domini milleſimo „ centeſimo LXXXI. indictione XIIII. die „ tercio exeunte Januario. Cum lis & con- „ troverſia eſſet inter domnum Albertum Ab- „ batem S. Marie de Pratalia pro eccleſiis „ quas habet in Carturio, videlicet S. Petri „ & S. Nicholai; & Archipresbiterum Al- „ bertum de Carturio ſuper multis capitulis, „ inter alia ſtatutum eſt. „ Et perſolvere de- „ bent Capelle prenominate omni anno pre- „ dicto Archipresbitero & plebi pro obedien- „ tia Epiſcopi tres ſolidos & dimidium, ſci- „ licet. XXI. nummum in temporalibus ma- „ dii. & XXI. in temporalibus nativitatis. „ ex archivo Prataliæ.

Dixi nummos, ut voces archetypi redderem; non enim alios a denariis. Lege chartas duas, alteram,

„ Milleſimo centeſimo LXXVIII. indictio- „ ne XII. XVII. Kalendas Januarii ---- Odolri- „ cus filius quondam Rebelloti denarios Ve- „ ronenſes libras C. & V. ab Aicardino filio „ quondam Stephani de Millo ſe accepiſſe „ profeſſus eſt „ pro manſo uno de terra ---- in „ comitatu Vicentino in villa Lugo & in eius „ finibus. „ Alteram „ milleſimo centeſimo „ octuageſimo indicione terciadecima, die „ VI. intrante aprili ---- Cum domina Wili- „ birc Dei gratia Monaſterii S. Stephani de „ Padua venerabilis Abbatiſſa profiteretur ſe „ mandaſſe Aicardino de Vicentia filio quon- „ dam Stephani de Millo ut manſum unum in „ Lugo -- - emeret ---- centum & V. libris de „ nummis. „

Eadem utrinque emptio eſt. Utrobique pretium par. Uno loco qui denarii vocantur, alio nummi ſunt. Hoc eos unum atque idem fuiſſe probat. Id & Ducangius in Gloſſario. Pariter ii *menutorum* vocabulo ſtabant, ex archivo Canonicorum. *milleſimo ducenteſimo, octavo decimo, indictione ſexta, die quinto intrante madio ---- Dedit denarios decem & octo Venetorum minutorum, quia conſueverat ſolvere dictos denarios.* Muratorius ad chartam 958. quæ refert *argentum denarios bonos libras ſexaginta habentes ducenti quadraginta denarii libra*, dubitavit num tunc libram conſtituerent „ aut „ decem ſolidi qui e denariis XXIIII. ſinguli „ conſtabant, aut ex ſolidis viginti quorum „ ſinguli denarios XII. æquabant. „ Diſſertat. XXVIII. Tom. II. Momenta chartarum, quæ dedimus, alteri ſententiæ pondus addunt, priorem elevant.

Supereſt ipſa nummorum vis. Vidi terræ campos qui valerent libras Veronenſes duas, & qui valerent quinque Venetas libras; item qui libris octo conſtarent, qui novem, ſexdecim, viginti, vigintiquinque. Chartas ad annos 1174. 1175. 1185. 1187. 1190. 1207. de tabulariis Canonicorum, S. Stephani, S. Agathæ, S. Juſtinæ legitimas habeo; plurimas ſileo. Sed ex autographis apud Canonicos: Anno *Mill. C. nonag. ſecundo. indictione X. die II. intrante octubre*. Speronella multiplex opum ac maritorum femina teſtamentum fecit. *Reliquit libras L. denariorum pro mille miſſis cantandis*. hoc primum.

„ Mill. C. nonageſimo II. indictione X. die „ octavo exeunte aprili --- Dominus Gous in- „ veſtivit Paſqualem de Malfato de Savonaria „ de XV. campis de terra cum decima iacen- „ tibus in confinio Savonarie. „ Debuit autem „ dictus Paſquale de Malfato prefato „ domino Goho pro predicto feudo retinere „ equum unum bonum & utilem valentem „ uſque ad precium XXV. librarum, cum „ bona ſella & reatu bono. „

Rurſus anno „ Mill. C. nonageſimo nono „ indictione ſecunda, die primo novembris „ Padue ---- Gerardus Dei gratia Epiſcopus „ ---- inveſtivit Henrighetum ---- de molendi- „ no uno poſito in Tercola ---- „ Debuit autem Henrigetus ---- „ tenere annuatim ma- „ zale I. domino Epiſcopo. & pro paſtura „ illius ---- de predicto ſurgo quinque modia, „ & IIII. ſtaria. & pro empcione unius tem- „ poralis debet tenere in ſe XVI. ſolidos quos „ ſolitus erat ſolvere pro affitto dicti molen- „ dini. & X. ſolidos quos Johannes de Ale- „ xio ſolvere tenetur. „

Anno præterea „ M. CC. XI. indictione „ XIIII. die VIIII. intrante aprilis. Wera „ de Maria Rubea de Abano confeſſus fuit ſe „ emiſſe & tradidiſſe vacam unam cum uno „ manzo & unam vitulam pro XIII. libris, „ & ſolidis V. denariorum Venetorum ab

„ Oto-

Digitized by Google

„ Otolino del Peta de Sermedaula. Unde „ ipſe vvera promiſit eidem Otonelo XIII. „ libras, & ſolidos V. denariorum Veneto- „ rum.

Quo pariter anno *Mill. ducenteſimo undecimo, indictione XIIII. die XII. exeunte decembris ---- Dominus Ato de Pagano Poteſtas Padue ---- penam pro vite & arbore fructifera ineiſa vel extirpata ſolidos XX. conſtituit.* Hæc ea ætate rerum pretia nummorumque vis. Cantandæ Miſſæ ſtipendium ſolidus unus eſt; arborem vitemque frugiferam viginti ſolidis æſtimant; equum militarem XXV. libris, bovem tauro vituloque ſociam XIII. libris & quinque ſolidis, aprum ſolidis viginti ſex emunt. Nec incurioſum eſt quod,

Anno domini mill. cent. LXXXVIII. indictione ſexta, die XIII. intrante novembris, erat certamen *inter dominum Ubertinum Padue Canonicum ---- & Richeldam de Bajamonte matrem Rainerii Rubei ſuper hoc, quod jam dictus Ubertinus petebat ab ea VI. libras IIII. ſolidis minus, quod dicebat ipſam quemdam fregiſſe libellum: petebat etiam X. ſolidos pro paſto vindemie quem ipſa noluit dare ſibi ..... a ſervientibus ſicuti debebat*, (&c.) Quid hic autem Vindemiæ paſtus? Id quoque notandum eſt. *Anno Domini M. CC. quinto indictione octava. die VIIII. exeunte Januario* pariter *actum contra Bavoſum & Pome fratres* & alios, ut ipſi *tempore vindemiarum procurare deberent ſcutiferos & equitaturas Paduanorum Canonicorum, quando Canonicis Padue dant paſtum vindemie*: firmatumque, ut *qui debent dare paſtum vindemie duobus dominis, dent etiam paſtum vindemie duobus ſcutiferis ſuis & quattuor equis; & qui debent dare paſtum vindemie uni domino, dent etiam paſtum vindemie uni ſuo ſcutifero & duobus equis.* Anno deinde *M. CC. VIII. indictione XI. die penultimo januarii* occaſione alterius querelæ contra *Petrum de Galzegnano*, definitum eſt quid eſſet ea procuratio exhibenda famulitio Canonicorum; nempe ut darent *fenum & annonam equis Canonicorum & eorum ſervientum, quando ſunt in Galzegnano in vindemia & paſto vindemie, quando dant ipſis Canonicis & ſervientibus paſtum vindemie.* Tunc ergo vindemie paſtus erat convivium tempore vindemiæ paratum Canonicis. Hos autem ſui comites ac ſcutiferi ſtipabant; iis etiam extruendæ dapes. Aderat equorum cohors; & his annonam fœnumque præſtabant. Charta quam tractamus, poſt vocem *ſibi*, quæ Canonicum arguit, exhibet hiatum; mox aliud vocabulum *ſervientibus*. Ergo famuli plures erant; atque adeo ex altera quoque charta, Domini plures. His autem ſuiſque ſcutiferis & omnium equis dandum ſolemne prandium quanti valebat? Decem ſolidis. Quæ dixi communia ſunt utrique monetæ. Nam

„ Anno Domini M. C. LXXVIIII. in- „ dicione XII. die XIIII. exeunte octu- „ bris. In preſencia teſtium quorum no- „ mina dicentur inferius. Presbiter Al- „ drevandus Sancti Bartholomei, Henri- „ getus de Corozana, Saketus & Ugoli- „ nus de Berengarda maſarii Sancti Bar- „ tholomei pro hedificatione ipſius Eccle- „ ſie, & per parabolam domini Gerardi „ Dei gratia Paduani Epiſcopi, & per „ parabolam tocius vicinitatis, ut ipſi di- „ cebant, inveſtiverunt dominum Balcum „ Paduanum Canonicum de pecia una de „ terra que iacet in cultura Sancte Ma- „ rie de Terradura. cui coeret ab uno „ latere Octo Judex, ab alio Wido pla- „ nus, ab uno capite via publica. ab „ alio ---- Et hoc fecerunt ipſi pro XXV. „ ſolidis denariorum Veronenſium vel Ve- „ netorum quos ipſi fuerunt confeſſi ſe „ accepiſſe ab eo. Teſtes interfuerunt Ro- „ bertus ſerviens presbyteri Allexii. Pe- „ trus bonus filius Vicentine. Actum in „ Padua in camera predicti domini Al- „ bi. (Nam qui ſupra Balcus, is erat Blancus in aliis paſſim laudatus autographis; hic autem dicitur Albus eodem ſenſu). „ Ego magiſter Albertinus ſacri palatii no- „ tarius interfui & eorum juſſu ſcripſi. „ Notanda ſunt: *Hoc fecerunt pro XXV. ſolidis denariorum Veronenſium, vel Venetorum quos ipſi fuerunt confeſſi ſe accepiſſe.* Solidos Veronenſes, ac Venetos pariter habent, ut utrinque miſtos, eademque prorſus incude calentes: ut ex iis omnibus eorum conſtet par uſus, idem pondus, æqua vis.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De pluribus Pecuniis Seculo XIII. Patavium accitis.

POst hæc auctæ mihi documentorum ſtruës ; addita ſequioris æræ tabularia : ſimul editi Scriptores horum ſecutorumque temporum memorabilia ferunt. Ibi pecunia Veronenſis ad ſummum decies, Veneta ſemper eſt : alias aliæ noſtrorum tabulæ produnt. De quibus aliqua quæ Doctis ſuperaverunt adnoto.

Primum memorabitur a me *Statutorum* codex, quem præfert e ſuis tabulariis communae Patavinorum. Membranaceus eſt magnique precii magnæque molis, & habet quadringentos & quadraginta circiter annos. Hinc exſcribebam populi Patavini decretum, quo *monetis Venetis groſſis* & groſſis *Veronenſibus* ac *Tridentinis* anno *milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto* dant locum. Poſt etiam *denariis parvis* utique *Veronenſibus* ac *Venetis*. Quibus exceptis *omnes aliæ monetæ forbanniantur*, inquiunt, *de Padua & Paduano diſtrictu*. Pariter addunt ; *Et denarii Veneti groſſi accipiantur & expendantur pro denariis viginti octo parvis pro uno, ſecundum quod expenduntur Venetiis*. Ipſum vero decretum nos hoc paſſim capite diſtrahet. Nam ſi, dum Venetos & Veronenſes ac Tridentinos admittunt, alios faceſſere jubent, hos ergo pariter habuere nummos, in quos hoc anno ſtatuerent. Utique habuerant, ex eodem codice lib. III. rubric. XIV. *Poteſtate domino Laurentio Teopolo. milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quinto. Statuimus quod aurifices & quilibet alii non debeant laborare aurum quod ſit deterius auro de Tarinis, & argentum quod ſit deterius argento de Sterlinis*. Ergo Tarinos, ergo & Sterlinos habuerant, Et quidem Tarenos ex auro, Sterlinos ex argento novimus ex aliis memoriis apud Muratorium, & Cangium. Vide *ſtatutum mss. aurificum Pariſienſium* quod ex Cangio habes. *Nul orfevre ne peut ouvrer à Paris d'argent, que il ne ſoit auſſi bons, comme eſterlins, ou meillieurs*. Eadem apud Patavinos erat de Sterlinis exceptio. Rurſus ante decretum hoc nummos habebant & *imperialium*, de quibus anno MCLXXVIII. die XV. junii mentio eſt *apud villam quæ vocatur Solecino. Sub pena*, inquiunt noſtri, *centum librarum imperialium*. Charta proſtat inter *antiquitat. Eſtenſes*. Et melius ex libello Rodolfini de Concadalbero qui res Elicæ de Baone curabat anno M. C. X C. Quæ lacunis hiant ætate putrent. Autographa vero chartula eſt e Canonicorum ſcriniis. *Ego Rodolfinus de concadalbaro --- dedi decem libras pro una pelle pro domina mea Elica --- Similiter ipſamet dedi a .... tres ſoldos imperialium .... ſiniliter ..... imperialium in ſubtellaribus ſue camerarie. & ſimiliter in alia vice dedi ipſamet VIII. imperialium ..... alia parte dedi Banzolino V. ſolidos Venetorum --- uno pelicione domine mee Elice VII. libras & XV.... imperialium*. Quater imperialium repetita ſolutio pecuniam vulgo tritam præfert. Alexander autem PP. quartus an. MCCLVI. *Fratribus ordinis minorum Paduanis* id annuit, ut *de uſuris rapinis & aliis --- uſque ad ducentas libras imperialium recipere* valerent. *Dat. Anagnie III. Kal. auguſti ; pontificatus anno ſecundo*. Quod quidem ex archetypo eſt. ipſum totumque chartarium habui ex cœnobio quod eſt ad oraculum D. Antonii. Imperiales erant fere ſextupli Venetis h. e. Imperiales quingentæ quinquag. reddebant duo mille libras & octingentas & octuag ſeptem Venetas, ex archetypo Canonicorum. „ Milleſimo ducenteſimo viceſimo „ ſecundo indictione decima die undecimo „ exeunte februario. Padue in epiſcopali ca„ mera. Domnus Albertus prior de monte „ Monticilicis confeſſus fuit ſe accepiſſe a do„ mino Jordano dei gratia Paduano epiſcopo duo „ millia & octingentas & octuaginta ſeptem „ libras & dimidiam denariorum Venetorum „ in denariis Venetis parvis & craſſis, tracta „ ratione pro quingentis & quinquaginta li„ bris imperialibus. „ Hæc ante decretum quod erat anno MCCLXXIV. Quid poſtea ? Patavinos haud dicto ſteriſſe comperio. Nam lib. I. rubric. III. quæ pariter e volumine *ſtatutorum* eſt, non eo quidem vetuſtiore, ſed novo, quod anno MCCCCXX. conditum, quod membranaceum, quod etiam publicis ineſt cancellis, hæc adnotant. *Poteſtate domno Guidone de Robertis M. CC. LXXVI. Quilibet de conſilio teneatur*. &c. *Et qui contrafecerit ſolvat pro banno pro qualibet vice unum aquilinum*. Ita S. C. biennio reſciſſum eſt. At quid Aquilini ? dictos ab aquilæ ſigno facile conjicies. Erant viginti bagatinis *milleſ. ducent. nonageſimo ſecundo indictione quinta die quinto menſis auguſti --- duodecim libras & octo ſolidos aquilinorum argenti. viginti bagatinos*

tinos pro uno computatis . & quadraginta libras tres ſolidos & decem denariorum bagatinorum . Bagatini ſcilicet alii ex parvis, alii erant ex groſſis , & *milleſimo ducenteſimo nonageſimo tercio indictione ſexta die XXIII. ianuarii Padue* ; memorant *decem milia quinquaginta ſex, quatuor ſolidos , & quinque denarios bagatinorum parvorum* . Sed aquilini licet argentei tamen anno MCCXCI. ſextupli quartoque plus erant imperialibus ipſis , quos vidimus antea pene ſextuplos Venetis . *Sex imperialibus & quarto pro aquilino quolibet computatis* , ita ex Syngrapha , quæ primigenia eſt apud Canonicos , ut aliæ quoque tres . Hanc damus ex integro .

„ Milleſ. ducenteſimo nonageſimo primo „ indict. quarta , die XV. menſis octubris . „ Gaddinus Sclate de Florencia de Pulicum , „ & Rimbertinorum , & Juſtus Forenſis de „ Piſtorio de Clarentum ſocietatibus procura- „ tores & nuncii ſpeciales a venerabile patre „ domino Bernardo dei gratia Paduano epiſ- „ copo executore & generali collectore deci- „ me pro negotio regni Sicilie conceſſe in „ Lombardie partibus „ acceperunt „ mille „ ſeptingentas quadraginta quinque libras , „ decem & ſeptem ſolidos & medium dena- „ riorum imperialium Mediolanenſium ; cen- „ tum quadraginta ſex florenos auri boni & „ recti ponderis , triginta duas libras tres „ ſolidos & octo denarios Turonenſium groſ- „ ſorum argenti , triginta duas libras treſde- „ cim ſolidos & quinque denarios Venetorum „ groſſorum argenti , & triginta novem libras „ decem ſolidos quatuor denarios & medium „ aquilinorum groſſorum argenti , ſex impe- „ rialibus & quarto pro aquilino quolibet „ computatis , & quingentas libras ianuino- „ rum de pecunia per dictum dominum epi „ ſcopum receptâ in predictis partibus occa- „ ſione decime predicte . Actum Janue in „ clauſtro S. Marie de vineis . „ Tres adhuc ſuboleſcunt nummorum ſpecies Floreni , Turoneſes , ac Januini , præter Aquilinos , Imperiales , ac Venetos . Habebant etiam quos vocabant *rogatos* . & *milleſ. duc. nonageſimo quarto , indict. ſeptima die ſecundo menſe januario . Franchenus* &c. recepit *ab epiſcopo Bernardo ſexdecim libras & tres ſolidos venetorum groſſorum boni argenti , & viginti rogatos parvos de pecunia per eundem dominum epiſcopum collecta . Actum in Padua* . Pariter in eo tabulario . Præterea vidi nummos Aſtenſes , item. Ducatos , & alios hoc ævo Patavinorum manibus actos . Ut inde colligas, nihil illud valuiſſe decretum , quo pecuniis his omnibus anno MCCLXXIV. renunciatum eſt .

Eam modo decreti formam retento . Venetos groſſos , Veronenſes , Tridentinos amant . Parvos etiam , ſed Veronenſes ac Venetos . De Tridentinis ſilent . Hos ergo materia deteriores arguas , quos proinde rejicerent , aut aliis de cauſis. Aiunt de Venetis groſſis , ut *expendantur pro denariis viginti octo parvis pro uno , ſecundum quod expenduntur Venetiis* . Ergo quid eſt quod Dandulus anno MCXCIII. laudat *argenteam monetam vulgariter dictam groſſi Veneziani vel matapanj valoris viginti ſex parvulorum* ? Tom. XII. rer. Italic. pag. 316. vel notarii , vel mendum ſcriptoris eſt , vel mutatum monetæ pondus aut æſtimatio : idque vero ſimilius eſt . Adde chartulam ex hoc Olivetanorum cœnobio utique autographam velut & alias antea appellatas anno *milleſ. ducent. ſexag. quinto indict. octava die primo aprilis . Belengarda filia olim Zamboni di Florenza , qui fuit de turrigla* recepit *a dompno Paduano priore quondam de Venda & modo S. Benedicti libras tres denariorum Venetorum groſſorum a XXVII. & libras tres & ſolidos ſexdecim denariorum Veronenſium groſſorum a viginti , & ſolidos duodecim denariorum groſſorum a vigintiquinque , & libras viginti denariorum Venetorum parvorum . Et in alia parte ſolidos novem denariorum groſſorum ..... decim quos* &c. *Actum fuit hoc in Padua in anditu ante eanipam S. Benedicti* . Quo loco ſi legas aut Venetorum groſſos a XXVII. parvulis , aut Veronenſium groſſos a viginti parvulis , aut groſſos alios a vigintiquinque parvulis , hæc duo habes . Primum eſt groſſorum varias fuiſſe ſpecies & modos . Alterum eſt Venetos groſſos ævo ſic mutatos , ut anno MCXCIII. viginti ſex parvos , MCCLXV. viginti ſeptem , MCCLXVIIII. viginti octo valerent . At nec hæc liquent , & infra monumentum eſt , unde vel ante MCCXXXVI. groſſis his octo ac viginti parvulos adſtruas . Deinde aliter apud principem , aliter apud privatos extimari poterant ; ut in iis fieri ſolet . Certum eſt eos anno MCCXC. ac deinceps communi calculo tenuiſſe denarios triginta duos *MCCLXXXX. primo indictione quarta die vigeſimo primo menſe januarii Padue . Pro libris ducentis & quinquaginta denariorum parvorum in denariis Venetis groſſis computatis ad valorem denariorum triginta duorum parvorum pro quolibet groſſo* . Quod

au-

Digitized by Google

authenticum e cœnobio D. Antonii.

Milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſeptimo indict. decima die nono intrante menſe februario. Precio librarum duorum milium & centum denariorum parvorum in denariis Venetis groſſis computatis ad valorem denariorum triginta duorum pro quolibet groſſo. Quod autographum ex eodem chartario. *Milleſimo trecenteſimo ſexto indictione quarta die vigeſimo ſeptimo menſis auguſti. Padue. Libras mille & ſeptuaginta quinque denariorum Venetorum parvorum in denariis Venetis groſſis pleni & completi de bono & puro argento, pro quolibet groſſo bene valente denarios triginta duos parvorum.* Quod authenticum ex codice Marchionis Ubertini Papafavæ. *Milleſimo trecenteſimo decimo octavo indictione prima die ſeptimo auguſti Padue. Pro ſolidis quadraginta duobus denariorum Venecialium groſſorum completorum de bono argento valentium denarios treginta duos Venecialium parvorum pro unoquoque groſſo.* Quod archetypum e parthenone S. Petri. Præter has, omnes hoc ævo chartæ quas vidi, quas etiam teneo, Venetos groſſos eodem precio ſemper exhibent.

Huic loco reſervavi decretum, quod erat apud Patavinos ante MCCXXXVI. Extat in antiquiore libro *Statutorum* rubr. XIV. quæ titulum præfert *ſacramentum canipariorum*. Caniparii ſeu canevarii nomen a canipa ſeu caneva ductum eſt; quæ vox Muratorium incitavit adverſus Cangium. Cangii verba ſunt hæc in gloſſario *Feudum cameræ vel canevæ aut cavenæ dicitur* &c. velut hæc unum promiſcue ſint. At Muratorius Antiquit. Diſſertat. XI. Tom. I. pag. 638. *Ducangius*, inquit, *feudum canevæ idem fuiſſe cenſet atque feudum cameræ. Cur hæc ille ſcripſerit nondum intelligere potui.* Dixerim ego, noluit. Hæc enim Ducangius ad vocem *canipa* conſtituerat. Primo canipæ nomine cellam venire vinariam: ſecundo publicos etiam theſauros. Eaque duo legitimis rationibus aſſerit. Deinde vocabulo *feudum* conſequens erat ut hæc duo rurſus adſtrueret; primum ſic habet *feudum cameræ vel canevæ dicitur cum aliquid annuum ex camera* vaſſallo *ſolvitur*. Alterum ſic habet, *feudum canevæ dicitur cum vaſſallo ex cellario domini præbetur annona* ſcilicet *nomine feudi*; quæ pariter aptis exemplis explicat. Hæc itaque clara ſunt, nec ullam Cangio conflare poſſunt invidiam. Mihi præterea feudum Canipæ jus eſt adminiſtrandi Canipam; jus inquam, quo quis ordine feudali vel cellæ vinariæ præeſt, vel domini curat ærarium. Nam publicas eas functiones in feudum dari notum eſt mihi vel ex domeſticis; ut ex archetypo Canonicorum. *Milleſimo ducenteſimo quartodecimo indictione ſecunda die quintodecimo intrante junio. Jordanus* Patavinorum pontifex *inveſtivit Hengelerium de racione ſui feudi.* Feudum erat *ambaxarie; quia debebat facere ambaxarias Paduani epiſcopatus per plebem Saci & ejus judicatum.* Rurſus *inveſtivit Ugonem de racione ſui feudi.* Feudum erat *comandarie. ita quod debet facere comandariam Paduani epiſcopatus per Saccum & Paduam & Paduanam.* Pariter *inveſtivit Martinum de racione ſui feudi.* Feudum erat, *quod debet colligere affictus Paduani epiſcopatus in plebe, qui ſolvuntur feſto S. Martini.* Feudum hoc proximum eſt feudo canipæ quod ipſi delineare pergimus. Hæc itaque & alia talia vaſſalli curabant ex vi beneficiorum, quæ ſub dominis hæreditaria vice tenebant. Erat Mita Canonicorum beneficiarius anno MCXCIIII. quod ex eorundem conſtat autographis. Hæc autem inde teſtes jactabant. *Scio quod ſedimen Mitte eſt feudum hereditarium domus. Et adhuc non ſunt duo anni quod Canonici Padue eum placitavit de dicto ſedimine dicentes, quod erat feudum coquine. Et Mitta reſpondit dicens, quod dimidiam partem coquine debebat eis facere, & non plus. Et obtinuit Mitta; quod me lietas ſervicii coquine per tempora per iſtud feudum, & aliud quod a Canonica habet, debet facere.* Teſtis alius addiderat. *Quod vidit patrem Mitte eſſe coquum Canonicorum; & dicebatur quod dictum ſedimen cum alia terra erat ſuum feudum coquine.* Feudum coquinæ ſic eſſet Ducangio, nempe *cum vaſſallo ex coquina domini parabantur dapes* nomine *feudi*. Nobis eſt jus in officium coquinæ, quod oritur ex iure fruendi *ſedimine* prædioque, quod habet conditionem ſeu miniſterium coquinæ. Sic erat ærarii feudum feudumque cellarii, ſeu canipæ feudum, quod iis idem eſt; nempe jus in ſervicium canipæ nexum beneficio. Ex. gr. mihi ope Vitaliani mei de Donatis autographum eſt, *milleſimo ducenteſimo octuageſſimo octavo indictione prima die quinto intrante decembri.* Quo *Canonici ad carzeres*, & communia *Gazi* & *Vigizoli* conſenſerunt in *dominos Canamellem Ferrarienſem decretorum doctorem, Petrum judicem domini Belli de Eſt, Antonium filium domini Naſinbene de Canale caniparium potentiſimi viri domini Obizionis marchionis Eſtenſis in Eſte, tamquam in arbitros.* Antonius iſte caniparius Atheſtinæ canipæ præeſſe poterat aut ad ſalarium, quod ajebant, aut ad feudum. Si præerat ad feudum, vides illud famu-

mulitium feudumque canipæ, de quo quæritur. At si canipæ præerat ad salarium, quod est non perpetuo jure tum servicii tum beneficii, sed temporariis hinc officio, inde stipendio; tunc ne cessabat quidem feudi vocabulum. Sic erant statuta Mutinensium lib. I. *Potestas recipiet pro suo feudo & salario sex mensium MCC. libras*; apud Muratorium Dissertat. XLVI. Nam de nostris afferre non est opus. Et Cangius ad *feudum annuum* redigit plures officiorum pensiones, easque feudi vocabulo traductas probat. Ergo canipæ feudum pariter hic habes, h. e. salarium ac mercedem iis debitam qui canipam curabant. Atque ita feudum canipæ vel hoc nomine pertinet ad jus in administrationem curamque canipæ. Curam hanc canipæ *Canipariam* vocabant, ut ex allato Statutorum libro rubricaque XIV. *Teneantur canipurii solvere salaria officialibus preconibus & capitibus centenariorum & aliis qui fuerint in officio, secundum quod eis in statuto concessum est tempore sue canipurie*. Sed quæ tandem canipa hæc? Utique cella condendis vinariis, & arca recipiendis pecuniis. At non satis. Erat aliarum quoque rerum congeries. Habe sacramentum canipariorum, quod est in eodem Statutorum libro pariter *ante millesimum ducentesimum trigesimum sextum. Juro. Quod bona fide salvabo & custodiam pignora pecuniam blavam & alia bona que mihi pro communi Padue consignata fuerint*. Eoque præterea loco *statutum* est *ante* MCCXXXVI. quo prohibitus est caniparius alteri recludere *vinum blavam pannum equos vel aliqua alia mercimonia sive res*. Ergo fere omnes urbis opes, & ultra quam creditur, erant apud caniparios, & hæc omnia condebantur in canipis. Ajo canipas. Erant quippe duæ; quod ex hac etiam *rubrica* sic probo. *Potestate domino Giberto de Gente millesimo ducentesimo sexagesimo tercio. Denarii omnes qui recipiuntur occasione tolloneorum seu datiorum debeant solvi tantum ad unam de canipis communis: & condepnationes & afflictus stationum & cetere solutiones & receptiones fiant ad aliam canipam. Securitates vero fieri possunt ad utramque canipam*. Sic obiter executi sumus & de canipis & de canipariis, hoc est, aggressi nummarias res, etiam custodes nummorum custodiasque descripsimus. Ipsum modo decretum recolo, quod his occasionem dederat. Sic habet: *Statutum vetus conditum ante millesimum ducentesimum trigesimum sextum. Caniparii teneantur & debeant pro communi & occasione communis solutiones recipere & facere tantum in denariis Venetis grossis cum decem & octo denariis parvis pro libra; excepto quando numerus seu quantitas in grossis compleri non poterit, quod tunc liceat eis dare & complere in parvis usque ad viginti septem denarios parvos*. Is tum quoque cultus apud nos Venetis nummis & maxime grossis.

Age nunc parvos, quos & denarios & nummos & menutos eodem vocabulo ferri vidimus, adde pizolos, & bagatinos. Eos Mussatus asses haud semel vocat. Hi numero duodecim valere solidum pergebant anno quoque *millesimo ducentesimo octuagesimo nono indictione secunda die undecimo exeunte junio Padue. Debeat solvere libras quingentas denariorum Venetorum parvorum in tribus pagis, scilicet libras centum & sexaginta sex & solidos tresdecim & denarios quatuor denariorum Venetorum parvorum pro qualibet paga seu termino*; membrana est ex optimo codice marchionis Ubertini de Papafabis. Erantque ex argento vel anno *millesimo trecentesimo trigesimo indict. XIII. die Veneris XXVI. mensis ianuarii Padue. Pro pretio librarum trium millium & centum denariorum Venetorum parvorum de bono argento quos* &c. ex chartula ejusdem codicis. Anno quidem *millesimo ducentesimo nonagesimo primo, die XV. octobris; aquilinorum quatuor & medium* vidisti *denarios*. Ergo in iis ad medium denarium deducta res erat, hoc est ad quartam & vicesimam solidi sectionem. Pariter & Imperialium; loco scilicet eodem, *quinque libras decem & septem solidos, & medium denarium imperialium*. Clarius etiam *millesimo ducentesimo nonagesimo secundo indictione quinta. Quingentas septuaginta novem libras, decem & novem solidos unum denarium & medium Imperialium Mediolanensium*. Muratorius hos nummos ab *imperiali Ticinensi* moneta vocat imperiales. Ex hoc autem loco causa nominis alia est: ab imperiali quidem moneta, sed Mediolanensi. Lege Statuta Pistorienſium quæ Muratorius ex Benvogliento dedit Antiquitat. Dissertat. L. Tom IV. pag. 538. §. 22. *Statuimus* &c. *Si autem ferrarius fecerit ferrum non de suo ferro, tunc accipiat pro factura & ferratura unum denarium & dimidium & non plus*. Ergo hæc medii denarii divisio non tantum in idea, sed & in manibus agentium erat. Apud Venetos adhuc secabantur in partes quatuor ex Dandulo ad annum forte MCCLXVII. Tom. XII. rer. Italicar. pag. 372. *Civitas*, inquit, *rivoaltina quæ mediatione canalis hactenus divisa fuerat, nunc ex lignei pontis constructione unita est, & appellatus est pons ille de moneta; quia prius quam factus esset,*

Digitized by Google

transeuntes monetam unam vocatam Quartarolus valoris quartæ partis unius denarii Veneti nautis exsolvebant. At ii quidem denarii fuerint ex grossis: ut proinde mirum non esset, eos in quatuor aut etiam quinas distrahi partes, ut cap. XII. palam est. Sed ea Imperialium maxime gradatio in *libras* & *solidos*, & *denarium* ac deinde *medium* denarii, nonnullam mihi parvorum quoque suspicionem ingerit. Eaque multo magis invalescet ex monumentis quæ reservamus XI. capite. Nunc satis. Hactenus eos nummos expendi quos Patavina Civitas ex aliis hauserat. Momenta quæ Seculo decimo, vel sequente, quæque duodecimo posui, notabiliora sunt, quoniam vix alia præter hæc suppetunt, unde res eas ornes. Ævo decimo tertio multa collegi, plura dimisi lapsus in ea proxime tempora, quæ nummos a Patavinis ipsis conditos dabant. Ratio quippe monebat, alienis sepositis domestica persequi.

CAPUT VII.

De nummis Patavinæ monetæ. De falsariis.

„ Protestate domino Jacopino Rubeo mil-
„ lesimo ducentesimo septuagesimo quar-
„ to. Nulla moneta expendi debeat in
„ civitate Padue exceptis monetis Venetis
„ grossis, Veronensibus, Paduanis, & Tri-
„ dentinis grossis; & exceptis denariis parvis
„ Venetis, Paduanis & Veronensibus, qui
„ expendi possint ut est hactenus consuetum.
„ & omnes alie monete predictis exceptis
„ forbanniantur de Padua & Paduano di-
„ strictu: & exquiratur sacramento a gastal-
„ dionibus frataliarum, campsoribus, &
„ mercatoribus, quod non accipiant alias
„ monetas preter predictas nisi pro argento
„ rupto. Et denarii Venecialium grossi ac-
„ cipiantur & expendantur pro denariis vi-
„ ginti octo parvis pro uno, secundum quod
„ expenduntur Veneciis: & non currant cum
„ aliquo alio lazo. Et hoc vendicet sibi lo-
„ cum & observetur a pasca majori in antea:
„ & usque ad dictum terminum quilibet ha-
„ bens de dictis bannitis monetis possit ex-
„ pendere & de eis exire. A dicto vero ter-
„ mino in antea si quis dederit de ipsis mone-
„ tis contra formam predictam, solvat pro
„ banno libras decem denariorum parvorum.
„ Et quilibet possit accusare, & ei credatur
„ cum duobus testibus bone fame & oppinio-
„ nis: & accusator habeat medietatem ban-
„ ni. Et accipiantur securitates a campsoribus
„ de predictis servandis: & illi de frataliis
„ jurare debeant observare predicta ut di-
„ ctum est „. Hoc erat populi Patavini decretum, quod exacto jam capite versabam. Non illud ex integro dedi; ne, dum peregrinos adorno, cogerer urbanos quoque nummos ingerere; quorum curiositas animum aliis intentum distraheret. Ergo Patavini suas hoc anno locoque monetas habent, parvas & grossas: parvas Veronensibus ac Venetis pares, Tridentinis dispares; has quippe reficiunt: grossis Veronensibus ac Tridentinis similes, dissimiles Venetis; has quippe distinguunt. Addunt eas omnes ordine sic valituras, *ut hactenus* institutum est. His ergo pecuniis aliquas ætates adsignant. Et certe diu valuisse Venetam, diu Veronensem probavimus. Hoc autem de Tridentina non liquet. De Patavina videndum est.

„ Anno millesimo ducentesimo septuagesimo
„ tertio indict. prima die X. exeunte majo.
„ In Ecclesia S. Pauli, de Montesilice Bonifacius
„ Clericus „ Ecclesiæ suæ nomine pepigit cum
populariibus suis „ solidos XXVIIII. denario-
„ rum parvulorum de Padua: „ quod ex ar-
chetypo Monsilicanæ plebis est. „ Anno mil-
„ lesimo ducentesimo septuagesimo primo in-
„ dictione quartadecima die quartodecimo in-
„ trante novembri. In Este. Primerius sar-
„ tor de Este pro libris octuaginta denario-
„ rum Paduanorum parvorum vendidit „
quidquid jurium „ habebat in uno casamento
„ super pratum mercati in Este. „ Quod est
ex autographo matronarum S. Stephani. Rur-
sus eodem „ millesimo ducentesimo septuages-
„ mo primo indict. quartadecima die sabati
„ nono intrante madio. Padue in communi
„ palacio. Cum ad instanciam creditorum
„ bona Lanzaroti quondam Frugerii de pon-
„ te corvo forent cridata ad vendendum tri-
„ bus vicibus in diebus lune in platea com-
„ munis & in capite scalarum, & totidem
„ vicibus ante domum habitacionis supradicti
„ Lanzaroti secundum formam statuti com-
„ munis Padue pro libris quinquaginta qua-
„ tuor denariorum Padue: quas dominus
„ Marsilius filius olim domini Partinipei judi-
„ cis stipulatione promisit „ &c. quæ sunt
ex autographo cœnobii ad D. Antonium.
Probant hæc nummos Patavinæ monetæ jam
patriis menibus & agris effusos, jam rebus
æque publicis ac privatis adhibitos, jam sa-
cris ac profanis hominibus obvios ante Decre-

tum

Digitized by Google

tum quod extitit anno MCCLXXIV. Post ipsum vero decretum sic erat „ millesimo ducen- „ tesimo septuagesimo sexto indict. IIII. die „ VIII. exeunte novembri. Padue in hora S. „ Urbani --- Manelda uxor Albertini &c. „ fuerunt confessi se emisse & accepisse me- „ diam peciam optimi panni vergati santella- „ rii pro precio librarum trium solidorum sex „ & dimidio denariorum Padue parvorum a „ domino Philippo. „ Quod autographum est ex Canonicorum scriniis. Et „ millesimo „ ducentesimo septuagesimo octavo indict. „ sexta die nono intrante februario sub por- „ ticu venditricis „ in Montesilice. „ Justina „ quondam Martini Capucii de Montesilice „ pro libris centum denariorum parvorum de „ Padua vendidit unam peciam sclavarum vi- „ nearum circa medium campum positam in „ monte Richo ubi dicitur rivus Freolfus. „ Id ex authentico S. Francisci quod est apud Montemsilicem. Denique „ millesimo ducent. „ nonages. septimo indict. decima die ultimo „ exeunte januario in Montesilice. dominus „ Lanzarotus quondam domini Lambertini de „ Montesilice recepit a Bartholameo dicto „ Ximaio quondam Guidonis de Carlaxare de „ Montesilice partem sibi contingenti de uno „ debito librarum quinque & denariorum duo- „ decim denariorum Padue, quos denarios „ dare tenebatur eidem „ Lanzaroto. Quod ex autographo est. Id autem erui ex eodem tabulario. Chartas iis similes, quas habeo, reliquas omitto; quod nec lucem prioribus afferant, & idem legenti describentique fastidium creent. Malo quædam de falsis nummis ac falsariis adiungere, quorum tractatio huic tempori locoque apta est. Ex iis enim, ut externarum, ita monetæ quoque nostræ decus attentari mos erat. Hinc vel *ante millesimum ducentesimum trigesimum sextum* sic jurabant Patavini prætoris officiales. *Juro. Falsa pensa vel falsa moneta aut falsa mensura non utar, nec uti faciam. Et, si sciero aliquem falsa moneta vel falsa pensa uti vel uti velle prohibebo bona fide; & potestati vel suo judici aut alii ejus nuncio, quam cicius potero, manifestabo & dicam. Et juro. Omnem monetam falsam, & specialiter denarios parvos, que ad manus meas pervenerit, bona fide & sine fraude destruam & destrui faciam.* Id ex antiquiore Statutorum codice lib. I. rubrica X. pag. 23. Quæ quidem ad falsas monetas pertinent; altera vero charta pertinet ad monetarios; eaque est ex autographo Canonicorum. „ mil- „ lesimo ducentesimo sexagesimo primo indict. „ quarta die nono exeunte majo. Padue. „ Jacobus de Carturio Canonicus Paduanus „ appellavit & dixit in hunc modum. Dicit „ & proponit & excipit Jacob. de Carturio. „ Quod littere que dicuntur impetrate ad vos, „ domine Episcope Paduane, nomine Leo- „ nardi primicerii Castellani contra ipsum Ja- „ cobum super canonicatu & prebenda olim „ Petri de Abbatissa Canonici Paduani, sunt „ obtente scienter per dolum. Preterea dicit „ & excipit contra predictum Leonardum, „ qui est multis criminibus irretitus, & novi- „ ter fabricavit falsam monetam. & propter „ fabricationem falsæ monete fugit de Vene- „ ciis; & per Ducem & commune Venetia- „ rum est bannitus & positus in banno. „ Propter hoc tam de falsa moneta, quam „ de homicidiis ab ipso perpetratis Veneciis „ & alibi publice est infamatus. „ Et in ipso quem dixi vetustiore Statutorum codice scilicet ad calcem pag. 282. rursus antiquo stylo nempe Seculi XIII. legere est *pacta conditiones & ordinamenta inter commune Padue & commune Tarvisii*. quo loco sic eæ civitates utrinque conveniunt. *Item si aliquis commiserit homicidium sive predam furtum vel prodicionem civitatis, seu castri, burgorum; vel falsitatem monete in civitate Tarvisii vel districtu ejus, & venerit in civitate Padue vel districtu ejus; potestas Padue ad requisitionem potestatis & communis Tarvisii ipsum malefactorem debeat facere detineri, si in civitate Padue vel districtu poterit inveniri; & ad civitatem Tarvisii sub fida custodia transmitti.* Contra Tarvisini reponunt. *Item si aliquis commiserit homicidium* &c. *vel falsitatem monete --- potestas Tarvisii malefactorem debeat facere detineri; & ad civitatem Padue transmitti.* Actum id *viris nobb. domino Jacobino Rubeo potestate Padue, & domino Matheo de Corigia potestate Tarvisii*, velut est in ipso titulo pactorum. Nobis authentica duo sunt, in quibus ex æquo Prætores hos ire videas; alterum e chartario S. Stephani. *millesimo ducentesimo sexagesimo sexto indictione nona die duodecimo intrante decembri. Ego Aleardus existens in officio communis Padue in secundis quatuor mensibus regiminis nob. viri domini Jacopini Rubei de Parma potestatis Padue.* Alterum est ex publicis Tarvisinorum membranis anno *millesimo ducentesimo sexagesimo sexto indict. nona die sabbati decimo tercio intrante novembri presente viro nobili domino Matheo de Corigia potestate Tarvisii.* Plura præter hæc nobis urbis utriusque testimonia sunt, unde

ge-

Digitized by Google

geminis viris alias epochas des. Sed nullibi tam bene cohærent. Alia pariter oſtentationi ſerviunt, & negotium implicant. Non ſic amamus eruditos haberi. Tarviſinorum chartas in promptu fecerunt viri Comites Henricus, & Victor e Scotis ambo fratres, ambo genere doctrina virtute nobiles. Henricus in hoc opere rurſus audiet; Victor in aliis: utrique devotum ex merito ſenſum perpetuo deferam.

Tertium modo Statutorum volumen adtexo, quod eſt chartaceum quod in bibliotheca S. Franc. *Poteſtate domino Uberto de Cancellariis M. IIIc XVI. Si aliquis monetam falſam fabricaverit vel expendiderit aut receperit vel tenuerit in Padua vel Paduano diſtrictu, condemnetur*. Iteratæ leges crebra monetariorum flagitia indicant. Quid ex alio Statutorum codice? quem capite ſuperiore diximus exaratum MCCCCXX Sic habes lib. III. rubric. XVI. *milleſimo trecenteſimo vigeſimo nono de menſe ſeptembris. Nulla falſa moneta fabricari vel expendi debeat in Padua vel Paduano diſtrictu. Et quicumque fabricari fecerit vel fabricaverit aut ſcienter ad civitatem Padue vel diſtrictum Padue attulerit vel expendi fecerit, & qui ejus mandato expendiderit falſam monetam, ultimo ſupplicio mortis per incendium puniatur; vel aliter etiam pecuniariter pro qualitate criminis, & perſone*. Quod eſt ad falſarios. Quoad falſos nummos hæc adnotant. *Omnes caniparii, maſſarii, collectores daciarum & daciorum communis, campſores, aurifices, & mercatores pannorum, & mutuatores ad thabulam jurare teneantur primo menſe cujuslibet regiminis incidere per medium in duas partes omnem monetam falſam que ad eorum manus ſive preſenciam quocumque modo pervenerit, & cujuſcumque fuerit*. Additum & nummis utique legitimis at minime receptis. *Nulla moneta etiam bona & vera, que non ſit & uſualis bene expendibilis, expendatur vel detur aut recipiatur in Padua vel Paduano diſtrictu pro aliqua re, ſalvo quod vendi poſſit pro metallo rupto, ſub pena librarum decem parvorum cuilibet contrafacienti*. Quæ ſic rei publicæ intererant, ut *omnes gaſtaldiones fratalearum & homines de frataleis primo menſe cujuslibet regiminis* tenerentur *jurare obſervare predicta*. Quod *ſi quis ignoranter falſam monetam vel aliter non bonum expendiderit, ſi fuerit de fratalea campſorum & aurificum vel de mutuatoribus predictis, condempnetur in quadruplum de bona moneta; & de ignorantia ſit in determinatione domini Poteſtatis, & etiam de bonitate monete cum conſilio peritorum circa bonitatem monete*. Demum eo decreto cautum eſt, ut *ſi quis monetas sbolzonaverit abraderit turiſerit vel tonſaverit vel aliter deterioraverit, condempnetur in lib. XXV. pro quolibet & qualibet vice & plus vel minus pecuniariter vel corporaliter pro qualitate criminis, & perſone in arbitrio Domini, & domini Poteſtatis*. Adeo erat rei monetariæ ſumma religio. Ne rideas ad verbum *sbolzonaverit*. Hæc ævi loquacitas. In alio codice Statutorum pariter ejuſdem temporis ac tabularii alia eſt lectio. *Qui monetam sbolcionaverit abraſerit tonſaverit vel aliter deterioraverit*: eaque melior eſt. Et adhuc *sbolzonare* nummos ajunt, quos in dorſum malleo tundunt antequam cudant. Sed eos ita poſt typum quatere nefas. Ergo nummi vel in faciem, vel in gyrum devaſtari poſſunt. Hoc modo *sbolzonari*, altero dicuntur abradi. Tertio poſſunt & in orbem cedi, quod eſt tonſari; *ſtrouzare* jam dicunt, haud minus horrido vocabulo. De quo ſic in eodem codice libr. III. rubric. XXXIX. *Poteſtate domino Marco Dandulo, & Capitaneo domino Laurenc. Bragadeno MCCCCXX. Perſona aliqua tenere non debeat aliquam monetam falſam aut tonſatam vel ſtronciatam, etiam ſi eſſet de bona & uſuali moneta, niſi in duas ad minus partes inciſa ſit*. &c. moxque additum. *Si vero eſſent ducati vel floreni vel alia moneta de auro que eſſet falſa aut tonſata vel ſtronciata vel ad aquam vel aliter malitioſe deteriorata, tunc & hoc caſu incidantur*. Ad aquam ſcilicet fortem corrumpi moneta poteſt. Alia petas ex monetariis In utroque codice decretum verbis iis clauditur. *Et milites domini poteſtatis ſaltem omni menſe de predictis inquirere teneantur*. Eos initio vocavimus officiales, eoſque jam juratos vidimus in has leges ante MCCXXXVI. Quid eſt autem quod Muſſatus libr. XIV. *de geſtis Henrici* memorans factum, quo Patavinæ cohortes Veronenſium mœnibus effuſæ ſunt anno MCCCXIII. ſic fere differt?

„ Cumque ad ſuburbanum, ubi S. Michae-
„ lis baſilica erat, permeaſſent, fixis acie-
„ bus ante Veronæ conſpectum, Vinciguer-
„ ram S. Bonifacii Comitem cum ſtipendia-
„ riorum cohorte ad portas urbis currere
„ permiſere --- Penetralia civitatis plena ti-
„ moris erant, vixque Federicus della Scala
„ qui Poteſtatis vices pro Cane conſanguineo
„ gerebat, ad portas claudendas inſtante
„ metu ſuffecit. His qui citra Aticem amnem,

Digitized by Google

„ nem, qui urbem interſecat, ultra pontem „ diffugientibus theſauros charoſque penates „ --- vehentibus ad ſalutemque trahentibus „ --- At Paduanorum Poteſtas, dum hora „ declinantis ſolis regreſſum appeteret, nec „ &c. ſignum receptui dari juſſit .. Et qui „ prælia efflagitabat Vinciguerra Comes cum „ Paduanorum juvenum certamini inſiſtentium „ revocatus eſt ... VIII. Kal. Julias anni Domini XIII. CCC. milleni. Tunc ... Paduanæ acies .. gemina dumtaxat arce dimiſſa, „ quæ in apicibus montium Suavii & Ilaſii „ eminebat, igni populationique conſumpſere „ --- diruptaque ac exuſta altiſſima Canis „ Grandis palatia, quæ in Monte aureo, „ Calderio, Suavio, & Ilaſio erant „. Poſt idipſum recolens Epiſtola XVII. verbis iis uſus eſt:

Ad veſper vergente die divellimur inde
In medio pugnæ, atque inhonoram linquimus urbem
Per lapidum jactus & adempto jure MONETAE.
Fundimur in reliquos agros & ditia regna.—
Sternitur hic pulcher mons Aureus, altaque Grandis
Aula Canis; noſtro ſuccumbit Ilaſius igni,
Uritur & magni ditiſſima villa Suavj.

Si verbis inſtas, id obtines, ut eo die Patavini facultatem cudendæ pecuniæ Veronenſibus ademerint. Quod neſcio quì fieri poſſet. Tamen hoc diſſimulari non debuit.

Æreum hic nummulum dabo ex Arigonii cimelio, ſimul e ſcriniolo meo. Hinc PADUA litteræ ſunt, inde CIVITAS. Apud Muratorium quoque primus in indice Patavinorum eſt. Ei vero ſtante Republica cuſus habetur. Item mihi. Qua autem Republica? Nempe quæ fuit ab anno MCCLVI. quo pulſus eſt Ezelinus, ad annum MCCCXVIII. quo ſunt inducti Carrarienſes. Et ipſa nummi ſpecies annos ejus æræ poſtremos indicat. Alios præterea quatuor eidem Reipublicæ Muratorius aſſerit. Id perperam. Quartus enim nihil niſi P. litteram præfert, quæ ſi Patavium, cur non & Parmam, Peruſiam, Piſaurum, Placentiam, vel alias urbes? Ego ipſum penes Arigonium vidi, nec quidquam inde certum habui. De tertio & quarto aliàs. Nunc de ſecundo.

CAPUT VIII.

De nummo PADUA REGIA CIVITAS.

SEcundus ex argento Nummus eſt. Hinc *aquila* tenet, inde *crux*; adde *clypeolum* faſcia trajectum: titulus eſt PADUA REGIA CIVITAS. Hæc nummi deſcriptio, cuique facilis; eadem foret explicatio, ſi provinciam hanc haberemus integram. Sed qui hæc antea volverunt, omnia commentis & anachroniſmis infuſcant. Hinc altius intendenda res, ut præjudicia ſubſidant. Nam vulgo fabulæ quam veritas credibiliores ſunt. Hunc itaque nummum primus edidit apud nos *Aulæ Zabarellæ* ſcriptor anno MDCLXX. Fecit hoc autem rudibus admodum typis, & qui non archetypi formam ſed tractatoris inſcitiam probarent. Eos tamen & Urſatus in ſuam tranſtulit *Hiſtoriam* quæ prodiit anno MDCLXXVIII. Scriptor uterque nummum non tam edidit, quam prodidit. Editionem vero malam pejor interpretatio ſecuta eſt. Uterque nummum ſub Epiſcopo Bernardo conſtituunt. Hunc autem ſub geminis Henricis Patre qui ceſſit, Filio qui cepit anno MLVI. ſera res. At cauſas tantæ vetuſtatis has habent. Primam quod Bernardus ille Pontifex e Maltraverſis erat. Alteram, quod ipſe clypeum ſic zona diremptum ferebat. Tertiam quod ab Henrico monetæ jus hauſerat. Hæc illi. Verba ſingulorum non addo, ne nimium nugas eas palpem. Mitto quoque de reliquis eorum vitiis ambagibus antilogiis ac nævis; ne, quæ nihil valent, etiam refellendo concelebrem. Quod caput eſt urgeo, nummumque Bernardo Pontifici detraho. Cauſæ mihi ſunt eædem tres, quas iſti contra prætendunt, nempe Diploma, Clypeus, ac Maltraverſi nomen. Ad primum. Diploma datum MXLIX. ſic habet. Ait Henricus Rex. *In una ſuperficie denariorum noſtri nominis & imaginis impreſſionem, in altera vero ejuſdem Civitatis figuram imprimi juſſimus.* Ex. gr. Nummi Bergomenſes hoc modo ſunt. Ab una parte vultum Cæſaris habent, ac FEDERICUS IMPERATOR. ab alia typum civitatis, ac PERGAMUM. Muratorius eor affert. Ita ſi noſter a Bernardo eſt, habet Henrici nomen ac faciem, præterea civitatis effigiem. Sic enim ab Henrico præſcriptum eſt. At ipſe nihil ex iis. Ergo a Bernardo non eſt. omnia ex ipſo diplomate

Digitized by Google

conſtant. Age de clypeo. Clypeum faſciola ſectum, qualis in nummo eſt, dicunt eſſe Maltraverſium. Non abnuo. Zambonus Andreæ de Favafuſchis hæc de Maltraverſis habuit Anno MCCCXXX. *Signa ferebant videlicet ſcutum, in cujus plano aureo mediabat ex tranſverſo binda viridis*. Eum Codicem ex ſua bibliotheca Facciolatus indulſerat; unde manuſcriptos & alios.

At clypeos hos, ut ajunt, gentilitios ætate Bernardi quærere, puerilis inſcitiæ eſt. Ea quippe familiarum ſtemmata vel arma vel inſignia quæcumque voces, tantum poſt Crucesignatorum motus invaleſcere cœperunt, hoc eſt poſt annum Chriſti M. C Quod inter eruditos jam conſtat. Imo notandum eſt, viros ſacros etiam ſerius aliis hujuſmodi familiæ ſymbolis uſos. Cauſa patet, quod hæc iis commendarat occaſio bellorum, quæ minus alteros urgebant. Hinc Mabillonius (De re diplomat. lib II. cap. XV. num. II) *Quod*, inquit, *attinet ad ſcuta gentilitia Epiſcoporum, nullum vidimus qui ea adhuc habuerit antiquiorem Thoma Belvacenſi, qui in litteris pro Compendienſi monaſterio datis, anno MCCLXXXIX. in contraſigillo inſignia ſua exhibet*. Hanc vero conſuetudinem vix ante quadraginta annos invectam putat. *Sub medium*, inquit, *ſeculum XIII. Epiſcopi more Nobilium inſignia ſua contraſigillis apponere cæperunt in recta ſuam ipſorum effigiem retinuere*. Nobis idipſum patet ex noſtris. Habeo quippe ſigillum. GERARDI DEI GRAC. Patavini præſulis anno *Milleſimo centeſimo ſeptuageſimo primo, indic. quarta die quinta intrante menſe quod eſt nominatum junii*. Sigillum quoque JORDANI DEI GRACIA PADUANI EPISCOPI. *milleſimo ducenteſimo vigeſimo indictione octava die quarto exeunte aprili*. Rurſus & S. JACOBI DEI GRA PADUANI EPI. *milleſimo ducenteſimo trigeſimo tercio. indictione ſexta. die veneris ſexto decimo decembris*. Hæc infixa Canonicorum chartis. Adde e S. Stephani chartario S. IOHIS DI GRA EPI PADUANI, quod eſt anno „ milleſimo „ ducenteſimo quinquageſimo ſexto indict. „ quartadecima. die ſeptimo exeunte no„ vembri „. Nihil in iis præter Epiſcopi ſtantis effigiem. Ita Epiſcopi. Quid eorum Vicarii? E Monſilicano S. Franciſci tabulario habes „ Domini Guilielmi Viſiani cle„ rici Vicarii venerabilis patris Domini Ber„ nardi Dei & Apoſtolica gratia Epiſcopi Pa„ duani unam litteram ſigillatam ſigillo dicti „ domini Guilielmi. „ Præfert „ ymaginem „ Virginis Marie cum filio ſuo in brachio „. Charta eſt, „ milleſimo duc. octuageſimo „ nono indictione ſecunda die ſeptimo intran„ te auguſto. „ Hoc vero ſigillum reipſa pendet ex charta S. Stephani data „ milleſimo „ duc. octuageſimo octavo indictione prima, „ die ſabbati quarto ſeptembris; „ in eo autem litteræ ſunt S. VICARII EPI PADUAI. At ſigillum prorſus idem Patavini quoque Canonici tenebant,

„ Milleſimo ducenteſimo. XXVIIII. in„ dictione ſecunda, menſis martii die XI. „ Quo „ Jacobus de Corado Archipresbiter & „ totum Capitulum eccleſie Paduane procura„ tionem fecerunt ſigillatam quodam ſigillo „ cujus circumſcriptio talis erat Sigillum Ca„ nonice Paduane. In quo etiam erat in„ ſculpta imaginem genetricis Dei Marie re„ tinens Filium in brachiis. „ Extat in codice tabularii S. Juſtinæ. Non ergo aut Epiſcopus, aut Epiſcopi Vicarius, aut Canonici Patavinæ ſedis aliquid ex familia ſua in publicum adhuc invexerant. At ex membranaceo, cujus initium eſt. *Liber Alberti de Sancta Sofia* &c. „ milleſimo ducenteſimo nonageſimo VI. „ indictione nona. die XX. intrante aprili. „ Padue in monaſterio S. Antonii confeſſoris „ — Ibique dominus Petrus quondam domini „ Petri de Guitardo de contrata pontis falaro„ ti — preſentavit reverendo in Chriſto patri „ domino Henrico Dei & Appoſtolica gratia „ Epiſcopo Clugienſi infraſcriptas litteras ex „ parte diſcreti viri domini Johannis boni Cu„ ſtodis & Vicarii Capituli Paduani Epiſcopa„ li ſede vacante, que litere erant aperte „ ſigillate rubea cera, in quo ſigilo erat ſcul„ ptus quidam bos cum quadam arbore ſupra „ literis dicentibus, que erant in dicto ſigi„ lo, S. Johis boni de Bovis. Cum capi„ te dictarum litterarum erat quedam *balota* „ in qua erat quedam aquila ſculpita. Quarum literarum tenor talis eſt. Venerabili in „ Chriſto Patri domino H. Dei & appoſtolica „ gratia Epiſcopo Clugienſi Joh bonus Cuſtos „ & Vicarius Capituli Paduani Epiſcopali ſe„ de vacante reverenciam „ &c. Litteræ *Dimiſſoriales* erant, h. e. publicæ atque ex officio. Datæ *Padue in Epiſcopatu die XX. aprilis none indictionis*. Hæc ex archivo Papafavii mei, de quo paſſim in ſequentibus agendum eſt. Ex iis omnibus habes quo tempore

Pa-

Digitized by Google

Patavini Præſules inſignia familiæ ſuis ſenſim monumentis induxerint : ac Mabillonium ex integro tenes . At noſtri jam ſentiunt ex eo ſtemmate quod in nummo eſt, ætatem Bernardi , quam ſub Henrico fingebant , procul abſcedere . Sin & nummum ex Patavini Pontificis officina volunt , eum in annos ævi XIII. poſtremos rejicere debent . At iis adimemus hanc curam . Nunc reſtat de cognomine Maltraverſio . Si noſtros audis , ea Familiæ ſors . Alberto comiti Patavino filii erant Engulfus , & Maltraverſus . Ab Engulfo continuata comitum ſoboles ; a Maltraverſo Maltraverſi cœperunt . Iidem ſic ſigna mutarunt . Alberto ceſſit antiquum familiæ ſcutum faſciis ad perpendiculum rubeis albiſque ſex . Maltraverſus aliud a fratre ſcutum voluit colore croceum faſcia bifidum , quæ viridis erat , ab orizonte veniens . Hæc anno M. Venit autem filius a Maltraverſo Bernardus anno MXLIX. Patavinorum Pontifex ; venit & Albericus abnepos anno MCLIII. militum Dux . Huic filii duo Guizolus & Albertus erant . A Guizolo Lucii Comites , ab Alberto Comites de Montebello fluxerunt . Sic illi . Quot verba tot ſtultitias . Audi ex charta quam Vincentiæ apud S. Petrum habui . „ Dum in Dei no„ mine in Civitate Vicentia in domo Epiſco„ pio Sancte Marie per data licencia domnus „ Litekerio Epiſcopus in judicio reſideret „ domnus Hubertus Comes iſtius comitatu „ Vicentino „ Hæc quidem autographa eſt , ſcripta „ milleſimo ſexageſimo ſeſto octavo die „ menſe november indicione quinta . „ Pariter autographa eſt altera e S. Felicis archivo . „ Milleſimo ſeptuageſimo ſeſto , quinto Ka„ lendas aprilius , indicione quintadecima . „ Conſtat me Ugicion comes comitatus Vi„ centino & filii quondam Uberto itemque „ comite abitator in loco & fundo que voca„ tur Muntebello , qui profeſo ſum ex na„ cione mea lege vivere Langobardorum , ac„ cepiſe ſicuti & in preſencia teſtium mani„ feſto ſum qui accepit ad te Uberti clerico „ ſancte ſedis Vicentine eccleſie germano „ meo , & eſt abitator in ſupraſcripto loco „ Muntebello . „ Nunc adde Syngraphamex Lyronenſe chartario apud Bacchinium lib. IV. pag. 164. In ea eſt „ Ubertus comes „ qui Maltraverſus vocor de Montebello filius „ quondam Uberti comitis : „ anno MCVII. Sequitur ex archetypo majoris eccleſie Montisſilicis anno „ milleſimo centeſimo vieſimo „ ſecundo , duodecimo Kalendas auguſti in„ dictione quintadecima — Maltraverſus Vi„ centinus comes filius quondam Widonis „ comitis , qui profeſſus ſum ex nacione mea „ lege vivere Longobardorum „ . Maltraverſus anno quoque „ milleſimo. C. triceſimo ſe„ xto VI. Kalendas februarii indictione XIIII.„ ſtabat ex autographis apud Canonicos . At ex iisdem ceſſerat anno „ MCXXX. octavo . III. „ Kal. junii . indictione prima. die dominico, „ quo laudantur ii tres „ Guido , & Girardus , „ atque Albericus filii quondam Maltraverſi „ comitis . „ Ei præter hos Ubertus etiam filius extitit ex Pratalienſe chirographo . „ Ubertus clericus jam Maletranſverſi filius „ anno Milleſimo . C. L. quarto . IIII. Kal. „ feb. indict. ſecunda . „ Qui mox *Padue Canonicus* audiit ex eorumdem Canonicorum tabulis anno Milleſ. C. XC. III ſignandis . Ibi Petrus teſtis ait . „ Jam ſunt XXXV. anni „ parum plus vel minus , & vidi Ubertum „ de Maltraverſis Padue canonicum habitare „ in camera — „ . Reliqua mitto . Tantum id noto . Rolandinus initio operis hæc habet . „ Contigit autem tempore hoc in partibus „ Paduanis nominatim in villa de Abano eſſe „ nobilem quemdam virum nomine Manfre„ dum Riccum qui erat altus & potens — . „ Hic filiam habuit unicam nomine Cæciliam. „ Quo defuncto „ &c. Manfredus anno M. C. LX VI. vivebat adhuc ex membrana Pratalienſis aſceterii . „ Milleſimo centeſimo LX. „ ſexto , die nono octubris , indictione XIIII. „ conſtat me Mainfredum Apani accepiſſe a „ te domno Martino — Actum in Apano in „ domo domini Manfredi feliciter „ . Idemque deceſſerat ex autographo Canonicorum MC. „ LXVIII. indict. prima , XIIII. die „ exeunte madio „ . Quo lis erat „ de feodo „ quod olim fuit Manfredi de Abbano „ . Pergit Rolandinus , eam , quæ fuerat Manfredi conjux , nupſiſſe „ cuidam Nobili, unde „ poſtea prodiit proles de Maltraverſis in Pa„ dua „ . Facile eſt has nuptias in annum ferri M. CLXX. Nunc ſingula relegam . Fuit ergo domus olim de Montebello, quæ Vincentinos comites dabat . Hubertus anno MLXVI. genti dux . Huic MLXXVI. filii duo Ubertus & Ugicion . MCVII. fertur ex eadem familia Wido . Filius huic Ubertus . Hic autem ſe Maltraverſum notat eodem M. C. VII. Deinde Maltraverſus apud omnes eſt . Ejus etiam filii modo Maltraverſi , modo de Maltraverſis : item nepotes . Unus ex iis Vincentia Patavium migrat anno MCLXX. Vide quot errorum moles uno velut ictu concidant , & quo vere ſtatu Maltraverſium ſtemma ſit . Ergo

Digitized by Google

go qui nummum derivant a Maltraverſis, eum vo unt vel ab iis qui Vincentiam, vel ab iis qui Patavium tenebant. Si primum, ſeculo ſaltem duodecimo cogendi ſunt: ſi ſecundum, decimotertio. Sic ex diplomate Cæſaris, ex clypeo nummiſmatis, ex cognomine Maltraverſi nummum revocamus ab ævo Bernardi.

CAPUT IX.

De eodem nummo.

UT epocham huic aptem, tria noto. Primum ſic eſt. Nummus ipſe præfert annos ultimos ævi XIII. primoſque XIIII. Formæ, lineamenta, colores ipſi, characteres, & omnia ſpirant eam temporis indolem. Nec eruditis inexplorata res erit; etſi melius hæc ſentias, quam probes. At certum eſt nummos, qui vetuſtiores hoc ſunt, eſſe rudioris operæ; qui recentiores, eſſe majoris induſtriæ. Scilicet is aquilæ typus in vetuſtioribus impolitior eſt; ea litterarum ſpecies in recentioribus elaboratior eſt. Elaboratas ajo litteras, hoc eſt, corruptas; additis ad eas lineis & radicibus intortis, unde ſecuta eſt veteris ortographiæ clades, cui Gotico, cui Longobardo characteri nomen eſt. Ea primum codices tetigit; inde lapides: in nummis ac ſigillis hoc ordine graſſata eſt. Ab anno MCCXL circiter ad MCCCXXX. flexit aliquantum litteras, & calami quidem ductus at breviores egit: inde licentius uſa calamiſtris, ipſas aliquando formas dum ornabat ſuſtulit. Et quidem nec initio hujus deerant corruptionis artifices, imo jam ſaxis omnibus ac membranis inſederant. Hinc & in nummo primo C verterunt in D.: T. mutarunt in M. Sed hoc inter initium finemque ſeculi differt, quod quæ primum leviora fuerant, inde tolerabilia vix eſſe cœperunt. Quis e. gr. viceſimum ſextum nummum ſine tædio legat? quis nonodecimum, atque in ea tabula reliquos? inde duodecimum ac decimum tertium? Quis in area non crederet I. ? I. rurſus in octavo eſt. I. pariter in ſeptimo. Sunt hæc ludibria ſcalptorum non litteræ. Cœpit hæc inverecundia medio circiter ævo. Nec ſilendum de Muratorio. Dat is in Diſſertat XXXV *de Sigillis* utique ſigilla duo, nempe S. AZONIS DEI ET APLICA GRA ANCHONE ET ESTENSIS MARCHIONIS. Et S. ALBERTI MARCHIONIS ESTENSIS VICARII CIVITATIS FERRARIE PRO SCA ROMANA ECCLESIA AC MUTINE D. GENERALIS. Alberti ſigillum ſtatuit anno MCCCXC. quod bene habet. Azonis autem vel MCCVIII vel MCCLX. vel MCCCVIII. quibus Azones eo titulo tres erant. Mihi nulla ex iis epochis placet, multoque minus priores duæ. Tertia non itidem. Quod in utroque ſigillo fere ſimilis eſt labor, artificiſque modus ac litterarum ſpecies. At certa diſſimilitudo eſt operum, quæ MCCC. circiter anno facta ſunt, & quæ circiter anno MCCCC. Quod in primis hoc novæ ſculpturæ vitium veluti naſcens, in alteris adultum eſt. Ajo de ſigillis ac nummis. Præter eos tres Azo eſt quartus ex authentico quoque Papaſaviorum *milleſimo trecenteſimo nonageſimo, indictione decima tertia, die veneris ultimo menſis decembris — in villa Merlarie — cujus proprium eſt Azonis Marchionis Eſtenſis vel magnifici domini Alberti Marchionis Eſtenſis*. Huic potius Azoni ſigillum cenſeas, & alteri, velut opificio eſt, ævo quoque par habeas. Hæc egeram; Botius autem meus municeps attulit ſigillum, quod in agris Monſilicanis effoderat. Erat opere excavato ſeu diaglyptico, velut hæc fere monumenta ſunt. Aream linea ſecuerat in duas partes; alteram circinus, alteram ſemiglobuli plures implebant. Erat inſcriptio S. ALBERTI IUD. DE MANTELLA. Quæ quidem litteræ adeo erant ſimiles iis, quas in hoc nummo vides, ut eandem ſeu manum, ſeu ſcholam referrent. Ego principiis meis hærens inſpecto, ſtatim ſigillo chronologiam dedi, qualem nummo dederam; nempe vel exitum ſeculi XIII. vel ſequentis initium. Res ætate Alberti judicis æſtimanda erat. In eam ergo quæſivi, meaque adverſaria excuſſi. Cœperam ab anno MCCCXXX. recurrens uſquequo trahebat ea me characterum ſpecies. Anno tandem MCCLXXIII. hanc offendi notulam. Ea e Stephanenſibus autographis eſt. *Ego Baſilius — exemplavi juſſu domini Alberti judicis a Mantella exiſtens in officio communis Padue in ſecundis quatuor menſibus poteſtarie domini Michaelis de Auro de Venecia Padue poteſtatis milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo tercio indicione prima, die quartodecimo exeunte Januario*, quod eſt, octavodecimo. Tunc vidi conjecturas meas in hiſtoriam verti. Jam certa eſt Alberti judicis ætas; ætas quoque certa ſigilli eſt. Ex iis autem certa pariter ætas eſt nummi: quod eadem utrinque rationum momenta ſunt. Eum ego nec urgeam ante MCCL. nec poſt MCCCXL. Alterum quod noto ſic eſt.

Scu-

Digitized by Google

Scutum zona ſic ab orizonte trajectum Ducibus Auſtriacis eſt ſymbolum. Patet id quidem ſpectantibus inſignia gentis auguſtæ, quæ paſſim ſunt. Charta vero eſt *milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto indictione tertia* menſe decembri, quæ laudat *quaſdam litteras pergamenas in Theutonico ſcriptas illuſtrium principum Rudolphi Alberti & Leopoldi ducum Auſtriæ Germanorum ſuis veris ſigillis* inſtructas. Hæc autem diu ſigilla verſat: ſic de ſecundo memorat. *Octo* conſtabat hemicyclis. In primo *galeam criſta Auſtrie* ferebat, *& clypeum dicti Ducatus*. In altero *clypeum Ducatus Karinthie in cujus una media parte tres leones: & alia pars medium clypeum Auſtrie Ducatus oſtentabat. In tertio Ducatus Carnolie, qui aquilam ſuper alas* &c. *Quarto comitatus Ferretis. Duorum piſcium imagines* habebat. *Quinto dicto clypeo Auſtrie occupato. Sextus ſemicirculus clypeum comitatus Habſpurgk, qui leonis effigiem quaſi ad curſum diſpoſiti* reddebat. *Septimus comitatus Tyrolis, quem aquila quaſi volans occupabat. Octavus clypeum Ducatus Styrie, qui Pantheram* præferebat. Hanc edidit chartam Bernardus Pez Tom. V. Theſaur. Parte III. Quæ ſequitur anecdota eſt ex chartario Perzini; qualem, velut & alias, obtulit Simon de Bartholomæis. Ea eſt privilegium Leopoldi Ducis Auſtriæ, *Datum in caſtro Tyrolis die jovis ante Sanctum Thomam*, MCCCLXXXVI. Sic ex Teutonico Latine reddas; & abeſt Indictio, quod ex populari Germanorum conſuetudine eſt. Hæret autem chartæ ſigillum, cui litteræ circum LEOPOLDUS DEI GRATIA DUX AUSTRI. ET H .... nempe HARINtie. Quid in area? Quinque ſunt clypei; quorum qui princeps eam nummi zonulam fert. Secundus habet leonem. Tertius ad perpendiculum bifidus hinc leunculos tres, hinc eandem rurſus exhibet zonam. Quartus aquilam dat, & quintus aquilam. Nunc, ſi monumentum monumento conferas, habes & eos Carnoliæ Tyrolis Habſpurgi Charinthiæ clypeos, &, quem modo quærimus, Auſtriæ. Sic nummo clypeum Auſtriæ concilias, & clypeo Auſtriæ ſeculum hoc, quo trahemus ipſum denique nummum. Sed nondum finis. In Aula Zabarellæ, atque in Hiſtoria Urſati nummus idem tres habet facies, mediam quæ crucem præfert; alteram quæ ſcutum, quale dedi, faſciolam trahens; tertiam quæ ſcutum liliis auctum ſex. Putabam ſcriptoribus iis obvios fuiſſe geminos nummos eo quidem clypeo diſtinctos, cetera ſimiles: Ita de utroque quærebam. Quinque ad manus erant ex Vicodarzere Pivato Boſio Patavii, Arigonio Venetiis, Scoto Terviſii; ſextus e penu meo: ſeptimus a Muratorio vulgatur ex Dominico de Conradis; octavus e Papafavio ſcilicet Alexandro; nonus iterum e ſcriniolo meo; decimus e muſeo Lazara. Muſeum vero Lazara notatur in Aula quoque Zabarella. (pag. 113.) „ cernitur, *inquit*, „ clypeolus cum uno tantum traverſio prout „ comites Marſorum gerunt, & aliæ familiæ „ nobiles diverſarum civitatum. Harum au„ tem unam argenteam ipſe ſervo in meo „ muſeo, & eſt iſta; & in muſeo Laza„ reo aliæ inveniuntur „. Ergo muſeum quoque Lazareum tentavi. Sed hoc jamdiu deſiit. Ex eo tamen habui quaſdam laminas æreis nummorum typis inſculptas ac velut editioni paratas. In iis & omnes fere Patavinos, & hunc quem maxime volebam. Sed & in hoc & aliis omnibus uno tantum *traverſio* clypeus eſt. Lilia nullibi ſunt. Quid putarem? Falſo ne ab iis invectum ſtemma cum liliis? At nec apud Zabarellam nec apud Urſatum locus indicatus eſt, unde nummus iſte prodierit. Et aliunde vix dici poteſt quas ii tricas infarciant, fabulas nectant, ineptias ingerant. Octavus autem nummus e Veronenſibus apud Muratorium præfert in area ſcutum hoc Auſtriæ, quod eſt aquila bicipite clauſum; de quo Muratorius idem, *Niſi*, inquit, *percuſſus hic nummus fuerit poſtquam Maximilianus I. Auguſtus ſecundum Cameracenſis fœderis pacta Veronenſi civitate potitus fuit, eruditis Veronenſibus illius interpretationem commendo*. Ego hoc onere Veronenſes levabo. Ipſe nummus apud Arigonium eſt. Subter humeros Epiſcopi S. Zenonis habet hanc epocham 1516. Sic ille Dux Auſtriæ revera Maximilianus eſt, qui Verona ceſſit anno MDXVII. die XV. januarii; ex Guitiardino. Par ejuſdem nummi typus Arigonii dono meus eſt, ut alii plures.

Tertium quod noto ſic eſt. Auſtriaci Duces Patavium tenebant anno MCCCXIX. Facti ſeries apud Cortuſios, Tom. XII. rer. Italicar. pag. 818. *Dominus Jacobus de Carraria* Patavinorum princeps *auxilio comitis Goritiæ*. Scaligeros inhiantes urbi ſubmovere ſtuduerat. Is *a Comite* reſponſum ſic habuit: *Quod eum habere poterat defenſorem, ſi Paduam eidem conſignabat recipienti nomine Ducis Auſtriæ*. Nec ea Jacobo aut Patavinis ingrata res. Ergo legatus ab iis *Aleardus de Baſiliis, qui dedit dominium Padue comiti de Goritia recipienti*

Digitized by Google

nomine Ducis Austriæ MCCCXIX. IV. novembris. Adi Mussatum quoque lib. IX. de Gest. Italicorum. Nunc id advertam. Quos hujusce nummi laudabam typos ab Arigonio, Vicodarzere, Pivato, Bosio, Lazara, Muratorio, Scoto, scrinioque meo, licet eandem teneant faciem, non eundem referre malleum. Qui prostat in his tabulis e Vicodarzere est: eumque meus æquat. Huic ad clypeolum duo tanquam trifolia vides; apud Muratorium stellulas duas: apud Scotum stat hinc o, stat inde velut rosa foliis sex: eaque pariter in Papafavio, pariter in altero meo. Quid apud Bosium? plus etiam discriminis est. Si quæris, unde sic differant; obvia responsio est, typos hos iterum ac tertio quartumque repetitos. Si rursus instas, unde repetiti sic fuerint; id quoque videndum. Certe MCCCXIX. comes Goritiæ Patavio præerat; id constitit. Inde MCCCXX. Valsius excepit Goritium, velut ex iisdem Cortusiis est: *Et sic die V. Januarii in pleno arrengo dominus de Valse nomine Ducis Austriæ recepit civitatis dominium*.

Cæsaris ille quidem Federici nomine partes
Fidus agens Patavum sumpsit pro fœdere sceptrum.

Mussatus eodem libro. Rursum MCCCXXI. Dux Carinthiæ succesit Valsio, pariter ex Cortusiis: *Dux Karinthiæ ductus precibus Paduanorum a Duce Austriæ Paduæ factus fuit Vicarius generalis*. Id autem *die sabbati V. septembris*. Ergo tres Federicus huic urbi Præfectos instituit, primo Goritium, deinde Valsium, tertio Charinthium. Charinthius etiam *Vicarios* [illegible]*taneos* habuit ac *Subvicarios* suos Conradum de Overtagn, Hengelmarium de Villandres, Ulricum de Donesdorf, Ulricum de Faninberch apud Mussatum lib. XII. apud Cortusios, & alios. Hinc ergo typi multiplices, & ea nummorum sic iteratorum series. Non quod hæc alias non posset habere causas. At nihil tam verisimile est, quam Præsides eos ac Legatos, ut primum peocederent, hos ordine percussisse nummos; aut suis quosque cœptis auspicia quærentes aut populum aucupantes, aut *maxime Domino*, quod Mussatus ait, *principali Federico* devotos. Hujus initia recolens Mussatus idem lib. IX. sic ad Patavinos suos

— — Veniunt, inquit, *in bella Suevi,*
Totaque præsidiis armatur Stiria vestris.
Urbs hæc Imperii dicetur REGIA magni,
Et secura suos servabit libera fines.

Age. Patavium hic *Urbs Regia*, quæ in nummo *Regia Civitas*. Id etiam indicare fuit; ne nostrates eo titulo præcipites irent, & annos æternos inveherent. Vide totum quantus est librum Mussati XII. de G. Italicorum. Sic stetit Patavina res usquequo *Marsilius*, ex lib. IV. Cortusior. cap. III. *jussit consilium Paduæ congregari, in quo omnibus alacriter annuentibus eidem datum fuit dominium Civitatis MCCCXXVIII. die III. septembris*. Ea die *Griffus frater Hengelmarii Paduæ Potestas cum Theotonicis depositis armis claves Civitatis domino Marsilio resignavit*. Ipse receptas ab Austriacis ad Scaligeros transtulit. Tribus iis adnotatis epocham nummi diu quæsitam hactenus inexploratam denique tenes, annum nempe MCCCXIX. usque MCCCXXVIII. sub Austriaco Duce Federico Rege Romanorum Tertio.

CAPUT X.

Insignia Carrariensium.

Est apud Papafavios inclyta spectaculo gaza Carrariensium gemmæ tabulæ membranæ toreumata codices lapides, & aurum argentumque signatum atque æs. Hæc Albertinus ex ea gente vir ita servabat, ut pro merito coleret; ita colebat, ut ad eruditionem nemini subduceret. Hoc ei ex indole nobilitatis, alterum ex acri judicio fuit. Nam de virtute ejus, qua semper domesticam gloriam tutatus est, dissimulandum puto. Is autem ea in me prorsus effudit; bibliotheca museo tabulario tamquam meis cessit; omnes conatus meos æque ac suos habuit: nunquam mihi patientia consilio re defuit. Hæc & alia molientem sustulit mors. Et ipse velut e cœlo tactus inhorrui. Spero viri progeniem patriis ut bonis, ita responsuram meritis. Namque parentum maxime talium benefacta æmulari solemnior hæreditas est.

In primis ille codicem dederat membranaceum, chartis auro minioque decoris annos vetustum ferme trecentos. Ipse nummorum qui deinde sunt Carrariensium veluti clavis.

Ibi

Digitized by Google

Ibi quippe Carrarienſium ſtemmata ſunt, eorum qui tenuere Patavium, Jacobi Marſilii Ubertini Marſilieti Jacobi Jacobini Franciſci Franciſci. Stemmata vocavi, codex eos appellat *conos*. Ita enim præfert

Verſus conorum Patavi ſunt hic Dominorum
Quos genuit clara ſoboles Carraria rara.

Conos ait; intelligit autem galeas & inſignia galearum, quæ viris Carrarienſibus uſui fuerant. Ea quidem perſequuntur & Gatari Pater ac Filius a Muratorio vulgati; ſed quæ ſunt apud eos paucis indicata verbis, hic & manu tenes & oculis probas. Tamen & hunc & eos jungam, quo ſit amplior ipſis auctoritas, utrinque commodata fide. Sic autem adhibeo Gataros. Andream ex editis fero, Galeatium e manuſcripto chartaceo quem mihi deſcribendum ceſſit Alexander Papafava ſedis Patavinæ Canonicus. Initio ſic habet. *In Chriſti nomine amen. Anno ab incharnat. D. N. I. C. M.CCCC.LXVI. adi XXV. de giugno. Ego Marchus Holiverio quondam magnifici domini Baldaſaris nobilli & cives Venetiarum explevi & ſchripſi hunc librum gratia Dei ad chontemplationem meam. amen.* Hanc vetuſtatem, credo, codices a Muratorio conſulti non ferunt. Deinde placet ea mihi qualis hic eſt Galeatii Patavinitas. Ipſa vere Gatarum exhibet. Hunc qui ſic mutarunt, ut in editis eſt, pro ingenuo hiſtorico adulteratum dederunt. Tertio tam ſæpe noſter aut ſupplet editos aut purgat, ut inde nova Gatari ſenioris editio parari poſſet, additis quidem aliis & hinc & aliunde monumentis. Hinc ergo ſtemmata Carrarienſium,

Prima ex eo codice Jacobi galea eſt. Habet in vertice binos currus velut ſtantes: aureæ litteræ ſunt ad oras I. atque A. quæ IAcobum reddunt. Inde verſus

En Jacobi inſigne Patavi qui ſceptra benigne
Carrigerum primus geſſit non laudibus imus.
Sponte ſemel ceſſit ſceptris, mox inde relectus
Voce fuit populi rurſumque ad roſtra revectus.

Nunc ex Gataro. *Portava coſtui per cimiero uno elmo coverto de una binda bianca piena di cari roſi. Et in pie de lelmo doi carì roſi. Et ne la targa un caro.* Princeps MCCCXVIII. die XXIV. Julii. Ceſſit MCCCXIX. IV. novembris. apud Cortuſios.

Altera ordine Principum galea eſt Marſilii. Stat in ea Pardus, adſtant M. atque A. adſunt verſiculi:

Carrigera tectus Patavi de ſtirpe ſecundus
Grandis ſe criſta texit Marſilius iſta &c.

Sequitur ex Gataro. *Coſtui portò per cimiero una teſta con tuto el peto de uno liopardo. — In targa bianca un caro roſo.* Princeps MCCCXXX. VII. die III. auguſti; ceſſit MCCCXXXVIII. die X. martii. Vide Cortuſios. Tertia eſt Ubertini. Maurum præfert alis aureis & cornibus aureis. item litteras U. ac B. verſus autem:

Ternus Ubertinus Patavorum Carriger Heros
Cornigerum geſſit Maurum trudendo ſeveros.

Hinc ex Gataro. *El cimiero de coſtui fo una teſta, el peto de uno Saracino. Et la teſta del Saracino gera (cornuta di due corna d'oro). Ne la targa bianca uno caro roſo.* Quæ clauſa ſunt anſulis in manuſc. deſunt. Princeps MCCCXXXVIII. die X. martii: ceſſit MCCCXLV. die XXVI. martii, pariter ex Cortuſiis.

Quarta Marſilieti. Leonem ſuſtinet, ac notas habet M. atque AR, hoſque verſiculos

Quartus Herus Patavus Papafavus Marſilietus
Carriger iſta conis portavit ſigna Leonis &c.

Ex Gataro quoque. *Portava el dito Segnor meſs. Marſilio Papafava da Charara una ſtella nel petto de un lione azuro per cimiero, ſemenato tuto de peluzo d'oro. Et per lo ſimele ſeguiva tuta la banda de lelmo. Et ne la targa ſoa bianca portava una croxe vermeja. Et ne le do parte de quela gera doi carì roſi. & ne li altri doi leoni azuri ranpanti.* Princeps MCCCXLV. die XXVII. martii. deſiit MCCCXLV. die VI. maji. Conſule Cortuſios.

Quin-

Digitized by Google

Quinta est galea Jacobi II. Serpentem gerit arrecto collo, cristatum, rictu patulo, linguis trisulcis, medium I. atque A. litteris. Ea apud Gatarum deest; ubi tamen hi versus & codici nostro communes

Qui tenuit gratum Patavi quintus dominatum
Crine tulit cristam Jacobus Dux plaustrifer istam.

Vide quam hic melius quam in editis fluant. Optabat Muratorius in Præfatione ad Gataros Tom. XVII. rer. Italicarum singulis horum conorum versiculis adhiberi medicas manus. Id ex parte facio, alia reservo. Versus hi probant, apud Gatarum ne galeæ quidem seu coni defuisse mentionem. Sed eam librarii non viderint. Ceperat Jacobus anno MCCXLV. die VII. maji; desiit MCCCL. mense decembri. Lege Cortusios.

Sexta est Jacobini. Cristatus & ipsa draco est. Hinc ad cervicem quatuor anguiculi pullulant additis I. atque A. versibus etiam

Sextus in Euganea lectus Dux plaustrifer istis
Se Jacobinus erat solitus componere cristis.

Et Gatarus. *Costui portò per zimiero una testa con el colo de una serpa; & per la schiena del colo de quella comenzando su la testa & gera quatro teste de serpe pizole --- ne la targa gera un caro roso nel campo bianco.* Princeps MCCCL. die XXII. decembris; abiit MCCCLV. die XVIII. Julii. semper ex Cortusiis.

Septima Franciſci galea Maurum pariter habet, ut Ubertini, cornibus atque alis aureis, septemque litteras FFFFFFF demum versus

Heros septenus Franciscus marte gerebat
Carriger hunc conum Patavi dum sceptra tenebat.

Adhuc ex Gataro. *ordenò el Segniore a tuta la fantaria da pie --- soto doi penoni. Nel prino --- era el zimiero del Sarazino in ne lo chanpo verde. Soto quelo la targa bianca con uno caro roso* --- mense mad. MCCCLXXXIII. Princeps MCCCLV. die XVIII. Julii; cessit MCCCLXXXVIII. mense Junio. Vide Gataros.

Octava Franciſci junioris est. Ipsa quoque portat alatum cornutumque Maurum. Addas huic F. atque F. Ex Andrea quoque Gataro die 15. augusti MCCCCIV. Franciſci vexillum est. *Pennone tutto verde col cimiere del Saracino, e la targa del carro.* Tom. XVII. rer. Italicar. pag. 897. Princeps MCCCLXXXVIII. mense Junio; desiit MCCCCV. At nulli versus ad hunc conum. Credo quia nulli post Franciscum ex ea domo Principes, a quibus Elogium. Charta mihi ex eodem Papafavio autentica est *milleſimo quadringenteſimo tertio indict. undecima die iovis undecimo menſis octobris. Padue in palatiis habitationum infraſcripti magnifici & excelſi Domini in anticamera a Cimeriis prope cameram Lucretie preſentibus* &c. Ex ea sic habeo, fuisse *Cimmerios* hos aut galeas sive conos de quibus res est, in aula Carrarienſium loco quemque suo positos; unde nomen atque Insignia omnium ex ea stirpe Patavii Principum facile constarent. In eos intendere potuerat qui Codicem nostrum scripsit ac pinxit; aut ei certe Gatarus uterque non defuit. Hi vero jamdiu Carrarienſibus assueti semper hæc in oculis habebant. Alia simul habere poterant. Ita Carrarienſium galeæ sunt.

Adde nunc clypeos. Currum semper habent. Eaque jam probata res. Id passim hoc capite Gatari suadent. In Codice quoque Papafavio singulæ galeæ singulos habent clypeos ita positos ut in vigesimo primo nummo simul & in quarto vides, ubi supra Maurus, infra Currus est. Ibi vero clypei semper albi purpureo plaustro. Quam Gatari quoque speciem delinearant; ac vetustior iis Jambonus Andreæ de Favafuschis illud *ſcutum in cujus plano albo pingitur currus non ſtallatus cum temone* prætenderat. Ergo Carrarienſes insignia duo prætulerunt, alterum in galeis, alterum in clypeis. Quod in iis personæ, quod in his familiæ. Quo titulo gemina quoque sigilla jactarunt, unum galeæ par, alterum clypeo. Primum Franciſci II. sigillum sic erat ex authentico S. Stephani „ milleſimo trecenteſimo „ octuageſimo octavo indictione undecima. „ die jovis prima menſis octobris. Padue in „ palaciis habitationum infraſcripti magnifici „ Domini in Camera a quadris &c. Magnifi„ cus & potens dominus dominus Franciſcus „ junior de Carraria civitatis & diſtrictus Pa„ due &c. mandavit confici publicum docu-

„ men-

Digitized by Google

„ mentum ſui pendentis ſigilli ad ſculpturam „ Saraceni cum ſimplici littera F. ab utroque „ latere munimine roborandum „. Hoc erat ſigillum galeæ par; utrinque Æthiops. Id perſonæ. Sequitur ex autentico S. Petri. „ Milleſimo quadring. ſecunda indictione decima. die ſabbati ſeptimo menſis Julii. In „ camara Lucrecie --- Idem excelſus Dominus „ mandavit publicum confici documentum ſui „ pendentis ſigilli magni ad ſculpturam. Plauſtri cum duplici littera F a lateribus in margine munimine roborandum „. Hoc alterum erat ſigillum ſimile clypeo. Currus utrobique eſt. Id familiæ. Franciſci vero primi primum dabo ſigillum ex authentico S. Petri. „ Decreto ill. principis magnificique & excelſi „ domini Franciſci ſenioris de Carraria civitatis Padue pro ſacro Romano Imperio Vicarii generalis ſigillato ſigillo ipſius magnifici „ domini magno cere albe & rubee ad cimerium Saraceni cum litteris circum circa dicentibus vel que ſic legebantur, Munerat „ hoc ſigno Franciſcus Carriger omnes, pendente ad cordulam ſericis rubei, ſcripto „ in milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto „ indictione quartadecima die jovis vigeſima „ nona menſis maj „. Saracenum galea gerebat, eundem ſigillo notabat. Hoc iterum perſonæ. Sigillum ſecundum ſic erat ex autographo Bradiolorum. „ Milleſimo trecenteſimo „ octuageſimo tertio indictione ſexta. die „ mercurii quintadecima menſis aprilis. Padue in palaciis &c. magnificus & potens „ Dominus dominus Franciſcus de Carraria „ heroum domus ipſius Carrarienſis civitatis „ & diſtrictus Padue ſeptimus Dominus & Capitaneus generalis --- mandavit --- confici „ publicum documentum ſui pendentis ſigilli „ magni ad ſculpturam plauſtri cum F. ſimplici littera ab utroque latere munimine roborandum „. Pendet e membrana ſigillum purpureo plauſtro; circum reliquis fractis ea ſunt M. ..... HOC S..... FRANCISCUS CHARIGER .... Ea ex ſuperiore ſuppleas. Ergo currum clypeo, currumque ſigillo dabat. Rurſus id familiæ. Nunc ultra provehor ut ſigilla cuique Carrarienſi propria conſtituam Jacobino velut hydram; Jacobo II. ſerpentem; Marſilieto leonem; Ubertino maurum; Marſilio pardum; Jacobo I. geminos currus. Hæc ſingulorum; præterea plauſtrum quod eſſet omnium: velut in utroque Franciſco ſigillum galeæ ſigillum ſcuto par erat. Excipe de Marſilieto, cui clypeus erat non uno ſed duplici curru ac leone gemino. Cuique ſimile proinde ſigillum tribuere decet. Placuit hæc & de ſigillis addere. Primum quod inde firmatur ipſa tractatio de galeis. Secundo quia ſigillorum facies eadem plerumque nummorum eſt; unde Catarus anno MCCCLXXII. die XXX. novembris eos maxime laudat Ungaricos decem *X. ducati d'oro.* quoniam *bollati del proprio ſigillo del Re.* Tom. XVII. pag. 115. Ex quo principio magnos habent progreſſus & qui de ſigillis & qui de nummis inſtituunt, alteris juvantibus alteros, & contra. Nobis certum eſt ſigilla Carrarienſium quæ deſunt ſuppleri nummis, & nummos ſigillis.

CAPUT XI.

De nummis Marſilii Ubertini Jacobini Franciſci ſenioris.

SIgna Carrarienſium dedi. Ex iis & nummos æſtima. Quos habui ſingulos in tabulas intuli tres. Eas ad calcem vides. Aliquos ex iis & Muratorius exhibuit, iique numero 7. 9. 13. 15. 17. 19. ſunt apud nos. At neſcio quo caſu fere in ſingulis aliter a vero ſeu legit ſeu credidit. Ego hinc ei litem non amplius intento, ne tali viro crebrius allatrem. Sed ea certe tractatio non paucos habet nævos. Hunc autem in iis vulgandis modum tenui. Uſus ſum Petro Monacho æris incidendi ſolertia jam probato, de quo litteratorum gens accepit ex eo quoque libro *Novelle della Repub. delle lettere* MDCC. XXX. VIII. 22. Junii. Ad eum attuli plures cujuſque nummi typos, ut quod in uno deerat, peteretur ex aliis. Harum quippe rerum curioſi norunt ægre dari barbaricos nummos, qui ſervent primas artificum manus; maxime quorum fœculenta materies ætatem non fert. Ita pluribus ex formis unam cujuſque typi faciem expreſſimus, eaque in æs translata eſt. Plures autem vel ex uno Papafavii muſeo duci poterant. Adde ex domeſtico; adde ex alio Papafaviorum ſcilicet Alexandri ac fratrum; dehinc ex Pivato Buſenellio Boſio Patavii; rurſus ex Arigonio Zeno Gradenigo Venetiis; item ex aliis atque alibi. Quæ monui quo pateat, & mihi quæ cura fuerit, ut hæc ex integro conſtarent; & quæ legentibus eſſe debeat, ut eadem editis ineditiſque componant. Hinc ad nummum numero tertium, qui primus e Carrarienſibus eſt. In area ſerpens, habet ad collum litteras M. atque AR. ecce nodum. Si Papa-

Digitized by Google

favio codici ſtes, hæ MARſilietum reddunt. Sed ei ſymbolum non erat ſerpens. Ergo Marſilium. Sed nec ei ſerpens. Hæc unde concilies? De nummo ne quæras: authenticus eſt. At dubitandum ne de geminis iis galeis? Ad leonem Marſilieti verſiculus eſt

Carriger iſta conis portavit ſigna leonis.

Inſcriptio ſignumque conveniunt. Ad pardum Marſilii titulus eſt

Grandis ſe criſta texit Marſilius iſta.

Nomen ab re diſcors. Criſta quippe non de feris, ſed de ſerpentibus eſt. Hi verſus autem licet inepti proprietatem ſervant in deſcribendis quos ajunt conis. Ergo fuerit ne Marſilio ſerpens, ut nummus habet, ut verſus indicat? Sed ei demere pardum contra fidem tot, quos inſpexi codicum, vix audeam. Et tamen quidquid præter hoc reponas, trahit negotium, non conficit. Tertium vero Marſilium Gatari Cortuſiique dant, eumque Franciſco ſeniori fratrem. Dant & quartum Gatari, nempe juniori Franciſco filium. Sed nec iis quidquam eſt cur certo nummum hunc deputes. Marſilio magno *datum fuit dominium civitatis* anno MCCCXXVIII. die III. ſeptembris, ut eſt apud Cortuſios. At hoc in ſpeciem. Tunc enim vere Patavium ceſſerat ad Scaligeros occultis utrorumque conſiliis. Et *dominus Canis* utique novus Patavinorum princeps urbem hanc *die X. ſeptembris ingreſſus eſt* ex iiſdem Cortuſiis, ac Muſſato. Quia tamen intererat pauculos eos dies putari Marſilium revera principem, potuit aliis principatus indiciis addere monetam; potuitque tunc habere caſſidem non pardum, ſed ſerpentem qui transferretur in nummos. Hæc pono non ut quid ſtatuam, ſed ne quid fileam. Quod certum. Nummus eidem Marſilio coævus eſt. Id præſtare poſſum. Quartus eſt Ubertini cornuto atque alato Mauro. Cornuti cauſam Gatarus exprimit, vitiatam a Scaligeris Ubertino conjugem. De qua pariter in *Fragmentis* apud Muratorium Tom. III. *Antiquitat.* pag. 287. Sub eo principe ſi non conditum certe renovatum eſt Statutum, quale quidem exhibet Statutorum codex e bibliotheca Sancti Franciſci pagin. 312. M. III^{c}. XXXIX.

„ Statutum conditum MCCCXXXVIIII.
„ Statuimus & ordinamus quod pro quoli-
„ bet pondere marchi, quod, ſicut eſſe
„ deberet, non reperietur ad punctum; quod
„ evenit ſepe propter operationem marcho-
„ rum, hic modus & forma ſervetur. Vide-
„ licet quod ſi pondus medii quarterii uncie
„ erit quarta pars unius denarii parvi minus
„ in pondere, vel ſi pondus uncie integre
„ erit unus denarius parvus minus in ponde-
„ re, vel ſi pondus duarum unciarum erit
„ unus denarius & medius parvus minus in
„ pondere, vel ſi pondus quatuor unciarum
„ erit duo denarii parvi minus in pondere,
„ vel ſi pondus octo unciarum erit tres de-
„ narii parvi minus in pondere quam ad pun-
„ ctum deberet eſſe; tunc & quolibet iſto-
„ rum caſuum ille vel illi cui vel quibus
„ reperta fuerint dicta pondera minus, ut
„ dictum eſt, condemnetur in ſoldis viginti
„ parvorum pro quolibet, & qualibet vice;
„ vel minus ſecundum qualitatem facti &
„ perſone arbitrio domini Poteſtatis „ & ce-
tera. Notanda gradatio ponderum: magis autem *quarta pars unius denarii parvi*; de cujus uſu dictum cap. VI. dicendum infra. De pondere marchi recurret mentio cap. XV. Nummi quintus & ſextus a Jacobino ſunt. Ibi ſerpens additis ſerpentulis. hoc Jacobini ſymbolum. Septimi formas habui duas ferme pares; at non eaſdem. Ex iis hanc vulgavi. Sedentem præfert Epiſcopum; dextraque geſtat urbem, ſiniſtra lituum. proxima P litterula eſt. In altero quem minime vulgo, ſtellula eſt. in ambitu S PROSDOCIMUS. ex alia parte CIVIT' PAD' Stat in area crux. Huic ad inferos angulos duo currus; ad ſuperos I. A. Vidimus ex iis litteris in codice Papafavio ſignari IAcobos tres. Et mihi currus hi duo ſic ſtantes duo de Jacobo I. ſuaſerunt; cujus galeam duo currus urgebant. At in re dubia timui ne mihi blandirer, ut aut nummo plures annos, aut monetam pluribus inde principibus darem. Quare ultimum ex iis vocavi; non tamen alios amovi. Sit ergo nummus iſte Jacobini. De quo ſuſpicionem fecit & I. littera, quam ſi jungas I. litteræ nummi ſequentis, eundem in alterutra ſentis artificem. Quæ cauſa eſt, cur ipſum quoque nummum huic principi credam. Sed cur octavus idem nummus eſt Jacobini? Dicam. Primo quidem ex eo indicari & Jacobum I & Jacobum II. & Jacobum III. Deinde, mihi placere III. ex conjectura rurſus alia. Inſpice ſequentes nummos tres. Hi pares alteri ſunt, ac tantum diſtant, quod in his eſt F. Hæc certe Franciſcum dat. Hic autem

Digitized by Google

autem Jacobino proximus imperio, quin ex Cortuſiis etiam conſors, licet *ſub* ejus *cuſtodia*. Leg. lib. X. cap. V. & lib. XI. cap. IX. Gatari conſentiunt. Ut ergo pares imperio, ſic pares haberi poſſunt iis nummorum typis. Eaque ratio eſt ut ex ea F. Franciſcum non ſecundum ſed primum legam. Diximus etiam cap. VIII. nimios I. litteræ cincinnos olere non initium ſeculi quo Jacobus I. ſed medium, quo reliqui duo. Sic dum meliora ſuccurrant, hi quinque nummi poſitas tenebunt ſedes. Tres ultimos adhuc enarro. Qui primus, eorum maximus; alter huic medius; huic tertius. Quid ſi denarium in primo, medium in ſecundo, quartam denarii partem in ultimo ſupputes? hæc rurſus ex conjecturis. At mihi ſingula manibus oculiſque volventi probabiles ſunt. Ergo nongenti ſexaginta nummi, qualis undecimus eſt, libram vel parvulorum vel æreorum facerent. Nummi quatuor 8. 9. 10. 11. a Papafavio abſunt. Octavi typos duos obtulit Arigonius, alterum ceſſit. Nono, decimo, atque undecimo dedit utendum Com. Franciſcus de campo S. Petri. Nec ſilendum, decimi typum haberi argenteum quoque apud Arigonium. Præterea nonus & apud Monſilicanos iſtos eſt; nec meminiſſe juvabat.

Eſt in duodecimo ac decimo tertio FRANCISCUS D. CARARIA, ſeu FRANCISSCHUS D. CARARIA SEPTIMUS DUX PADUE. Franciſcum I. certo teneas. Hic *heros ſeptenus* eſt e Codice Papafavio. Et chartam vidimus antea *milleſ. trecenteſ. octuageſim. tercio. indict. ſexta, die lune decimo nono decembris*. Ex qua *Franciſcus* idem *de Carraria Heroum domus ipſius Carrarienſis civitatis & diſtrictus Padue ſeptimus dominus & capitaneus generalis* eſt. Utriuſque nummi faciem par implet imago. Quæ paſſim credita ſphinx. Ea vir Æthiops, item Saracenus, item Maurus. Hunc I. Franciſci conum galeamque novimus ex Papafavio, ex Gataris, atque ex *decreto* principis ejuſdem Franciſci ſenioris anno *mill. trec. ſeptuag. ſexto indictione quartadec. die jovis vigeſ. nona menſis maij*; addito *ſigillo ad cimerium Saraceni*, quod ſuperiore capite vidimus. Eæ litteræ quæ Mauris adjacent, FF. ſunt, non A A. vel RR. ut noſtri putant. Horum nummorum typi fere ſunt ærei. Sed & plumbeus apud Papafavium eſt. Argenteum quoque Muratorius indicat ex Valeſio. Adi nummum qui 22. in tabulis. In eo Saracenum pariter habes, ac circum ſeptenas F. At & ſenior Franciſcus ex codice Papafavio conum Saraceni ſeptem litteris F. ornat. Ei nummum propterea deputes. Alios eodem fere typo præ manibus habeo, quos aut quatuor F. aut etiam ſex obtinent. Eos ipſi Franciſco cenſeas. Addas iis ex occaſione nummum quoque 21. qui Maurum duabus F. medium tenet. Huic autem ferme pares, etſi non prorſus iidem ſex alii ſunt, ubi duæ ſimiliter F. unicus ubi ſunt RR. Hos omnes ab eodem principe ducas. Eſt quidem Saracenus & in ſecundi Franciſci cono. Sed cauſa ſenioris hic potior eſt. Ac demum volui nummos omnes eodem ſymbolo factos in unum cogere. Nunc id reſtat. Nummum quartum Saraceno pariter ac alii notatum dedimus Ubertino. Cauſa fuit, quod & is ex Papafavio *cornigerum* gerebat *Maurum*. Sed nondum reddita ratio, cur Franciſcum legeremus in iis, in hoc Ubertinum. Modo ſic habe. Unus hic fere ex auricalco eſt, alii ex ære: nullas hic F. habet, alii ſemper habent: hic ornatum, velut eas in ambitu palmas, a ceteris alienum præfert: item currus alio prorſus opere eſt: denique alii & ſibi ſimiles invicem ſunt, & ſimul omnes ab hoc differunt. Ea nos inter hunc atque alios diſtinguere monebant. Huc & 18. nummum traho. Quem rurſus e moneta primi Franciſci quam ſecundi malim. Cauſa cur malim, pariter ex inſignibus eſt. Inſignia Patavinorum primo regnante ſic erant anno MCCCLXXXVII. menſe martio *Bandiera del comun de Padoa, zoè la croxe vermeia, & nelli quatro campi bianchi gera uno caro roſo e una croxe roſa*. Gatarus apud nos, & in editis pag. 579. Sed regnante ſecundo, Patavinorum vexilla ſic erant anno MCCCCIV. menſe auguſto. *La gran bandiera del popolo ch' è la croce roſſa in campo bianco, e per ciaſcun quarto l'arma del carro*. Gatarus Tom. XVII. pag. 897. Conſule nummum, res acta eſt. Eum, velut omnes alios a Papafavio habui. Alterum ipſe teneo. Tertius apud Aſolum eſt, monente Scoto. Redeo ad Gatarum, ſcilicet ex manuſcripto pag. 34. ad annum MCCCLXXVIII die *XVI. de ſetenbre. zonſe in Padoa el nobele Chavaliero, zioè el gran Conte maeſtro de la maieſtà del Re de Hongaria con 600. Hongari con doe carete carge de piaſtre de argento, & una carga doro*. Quæ regio nomine principi Franciſco ceſſerunt. Ipſe nummos ex iis fieri juſſit. Opus IIII. Viri curabant. *El Checo da Lione maſaro del teſoro del Segniore, Franceſco Turcheto referendario del Segniore, Ga-*

leazo

Digitized by Google

leazo Gatari teſauriero, *Brocardo cambiadore & maiſtro de la zecha*. Hi genera nummorum tria ſignarunt. Primum eſt *moneda doro la quale valeva ducato mezo*. *El cunio de queſta gera da una parte uno caro*; *dintorno gera ſcrito* FRANCESCO DA CHARARA. *da laltra parte ſan Prodocimo*; *ſcrito datorno* PROTETOR PADUE. Alterum *fo charareze*, *che una de queſte monede valeva ſoldi quatro*. *El cunio de queſta gera da una parte el caro*; *intorno gera ſcrito* FRANCISCUS de CHARARIA. *da laltra parte ſan Daniele*. Tertium *gera Chararini*. *Da una parte gera el charo*; *intorno ſcrito* FRANCISCUS DE CHARARIA. *da laltra parte ſanto Prodocimo*; *intorno ſcrito* SANTUS PRODOZIMUS. *e valeva ſoldi doi l'uno*. Mox adjicit, confectis integro menſe nummis, a Principe juſſum die XIIII. *de ſetembre*, *chel foſe fata una chrida ſul palazo*, *& ſu tute quatro le ſchale*, *che li ſoldi Veniziani no ſe ſpendeſe più che per diexe dinari luno*. Idque actum. Diu ſudavi hic dum laudatos a Gataro nummos editis comparo. Nec, puto, profeci. Certus error eſt in die ſeu XVI. ſeu XIV. ſeptembris. Et tamen omnes a me conſulti codices eo recidunt. Et in aliis ex integro concordant. Eos apud Papafavium legi numero quinos aut etiam plures. Et apud Marchion. pariter e Papafabis, apud Comit. de Leoniſſa; denique geminos apud Guill. de Campo S. Petri: præter hunc noſtrum qui reliquis antiquior eſt; ac vulgatos. Et in Additamentis ad chronicon Cortuſiorum Tom XII. rer. Italicar. pag. 985. ad annum hunc MCCCLXXVIII. *di X. del meſe di ſettembre el gran Conte --- venne a Padova con V. cento homeni d'arme*; *e menò con ſe tre carrette cargade de piaſtre d'argento*. Vides quot varient in hoc uno fruſtulo. Sed non ei fidendum præ Gataro.

CAPUT XII.

De Ducatis.

TRes ait nummos anno MCCCLXXVIII. cuſos; argenteos duos, aureum. Vide, ſi non ii tres uno continentur autographo quod eſt Marci de Guarnerinis; hoc autem in publicis tabulariis. *Die martis XXVIIII. octobris* 1398. *Padue*. *Baldus de Bonifariis* accepit *in ducatis auri carrarinis argenti & carrareſiis libras octuaginta denariorum*. Damus in tabulis & nos aureum num. 14. cujus a Papafavio typos tres, alium a Comit. Ant. de Capite vaccæ. Sed hic obſtant duo. Primum quod a Gataro laudatus habuit *Protector Padue*; noſter habet *civitas Padua*. Deinde quod ille medio ducatui par erat; noſter integro ducatui ſive *zecchino* par eſt; idque trutina probat. Utraque difficultas eludi poteſt. Quoad primam. Semper in hiſce nummis eſt *civitas Padua* velut in primo ſecundo ſeptimo nonodecimo vigeſimo atque aliis. Ergo ſic haberi potuit in nummo qui laudatur a Gataro. Sed hic, inlato nomine *Sancti Proſdocimi*, ſtatim poſuerit *protector Padue*, conſuetudine quadam qua *Sanctus Proſdocimus Protector Padue* in ore Patavinorum eſt. Sic mutari potuit inſcriptio. Quoad ſecundam. Fieri potuit ut quo tempore cudebantur alii medio ducatui pares, cuderentur & iſti numero pauciores modulo majores; idque velut ad pompam decuſque monetæ. Quibus poſitis ipſe nummus in annum hunc 1378 ferri poteſt. Adde ex authentico Bradiolorum *mill. trec. octuageſ. ſeptimo inditione decima die mercurii penultimo menſis januarii Padue*. *Pro precio ducatorum quinquaginta boni auri & juſti ponderis*, *& librarum trecentarum & vigintiquinque monete argentee Paduane*. Si, ut *argentea*, ſic *aurea* quoque *Paduana* eſt, habemus hic monetæ Patavinæ ducatum, hoc eſt, nummum hunc quartumdecimum. Melius etiam ex codice Marci de Guarnerinis MCCCLXXXVII. *ind. X. die ſabbati XXVI. januarii Padue*. *Precio librarum mille parvorum quos recepit --- mediętatem in ducatis auri boni & juſti ponderis*, *& mediętatem in carrarinis argenti*. Quod certum, Patavini vel anno MCCCLXXVIII. nummos aureos excuderant. Id factum libertate temporum, qua ſibi principes ac populi fas eſſe putabant, ut aurum quoque ſuis ipſi monetis inveherent. Exculptam inde pecuniam alii alio titulo nuncupabant. Extremis autem barbariæ ſeculis invexere florenos, adhibuere ducatos. Florenos a lilio Florentinorum, ducatos ab Duce Venetiarum. Non quod hæ tantum monetæ nummos hujuſmodi facerent; ſed hæc erat appellatio frequens, & ad populi genium. Benvenutus etiam de Imola in commentariis ſuis ad Dantem vulgatus a Muratorio Tom. I. antiquitat. pag 1134 dum probare vult omnem eſſe pecuniam ſigno peculiari notandam, præfert harum tantummodo civitatum monetas; *ſicut*, inquit, *Baptiſta ſculpitur in florено Florentinorum*, *&*

San-

Digitized by Google

Sanctus Marcus in ducatu Venetorum. Quæ reliquis fama præstabant, eas maxime celebrat. Aliorum vero locorum florenos, item ducatus ii memoravere, qui de utrisque commenti sunt; alioſque narrare poterant. Habes apud Muratorium quoque Tom. II. pag. 762. *florenum sive ducatum* notis his additis R. DI. G. P. AVRA. De quo *quis*, inquit Muratorius, *hic princeps? Suspicor tamen pertinere posse ad aliquem ex principibus Arausionensibus. Nam Arausio seculis barbaricis appellata fuit civitas Aurasica nunc indigenis Aurange, & Gallis Oranges*. Adde & *Orengia* seu gallica pronunciatione mavis *Orangium*. De cujus aut ducatis aut florenis hæc apud nos extant ex allato codice Marci de Guarnerinis. *Notum sit quod ego Amedeus de Cheynay miles tradidi Francisco de Curte quandam corrigiam doratam argenti, & certam summam cutellarum & cuparum argenti, quas mutuavi a Petro Gerlex. thesaurario domini Comitis Sabaudie — Item tradidi sibi quatuor viginti* (scilicet octuagina) *francos auri. Item quinquaginta florenos boni auri de Orengia*. Nunc florenos AVRAngiæ certo tenes: & ille prænotatus R. littera Princeps, unus e Raymundis est Auraſicæ quondam dominatis, ut idem Muratorius adnotat. Ac floreni nomen inaudiit anno primum MCCLII. quod Ricordanus habet; *mense novembri*, quod Villanius adstruit; eratque precio *viginti solidis*; octo ex iis unciarum auri dabant. Tom. VIII. ac XIII. rer. Italicar. valuitque apud Venetos anno MCCLXXXIII. circiter octodecim grosſos, ex documento quod Carlius exhibet in exercitatione ſua de nummis Aquilejenſium, Tom. XXV. Calojerianæ collectionis. Ita enim habet. *Tempore sereniſſimi ducis D. Johannis Dandulo MCCLXXXIII. die ultima octobris capta fuit pars, quod debeat laborari moneta auri communis videlicet 67. pro marca auri; tam bona & fina per aurum vel melior, ut florenus; accipiendo aurum pro illo pretio quod poſſit dari moneta per decem & octo groſſos*. Hæc auſpicia Venetæ monetæ cui jam *ducato* nunc *zecchino* nomen eſt. Ex eo documento compertum eſt, etiam Venetos ducatos æſtimari groſſos octodecim; groſſos inquam Venetos quibus ab anno MCCXC. ad MCCC. XVIII. duos adſtruximus ac triginta denarios. At eodem MCCXC. nonnihil auctum erat floreni precium, ſcilicet ſeptem denariis, ac fortaſſe plus ex autographo Canonicorum *mill. ducent. nonag. indictione tercia die ſabati quarto intrante februario Padue — Rainucius accepit a* Bernardo præſule Patavino *trecentos florenos auri computato unoquoque floreno groſſis decem & octo Venetis & denariis ſeptem parvorum*. Ex quo ducatus etiam Veneti precium æſtimes aliquanto ſcilicet plus iiſdem florenis.

Inde ſi ferimur in hæc tempora quæ Patavinis etiam florenis aut ducatis accommoda ſunt, erit evidens, anno MCCCLXXXVIII. ſic & florenos & ducatus æſtimari ſolitos, ut in aſſignandis rerum preciis æquo cenſerentur exagio. Conſtat ex Chronico Placentino quod Muratorius edidit Rer. Italic. Tom. XVI. pag. 579. & Tom. II. antiquitat. pag. 318. *Nunc*, inquit Chronici auctor, h. e. MCCCLXXXVIII. *fiunt per homines & dominas Placentiæ ſumptuoſiſſimæ expenſæ in victu & veſtitu — Qui drappi de grana vel de veluto vel de auro vel de aurato vel de ſerico conſtant pro uno Cabano vel barilloto vel pellarda a florenis XXV. auri uſque in florenos ſive ducatos LX. auri*. Notat id etiam Victorius; at non ſine ſtomacho. *Florenus*, inquit, *quandoque ducatus & ſcutum ſimiliter nuncupatur. Inſcite, ut aſſolet. Etenim pondus alterius ab altero valde diſcrepat*. Apud Muratorium Tomo II. antiquit. pag. 694. Certe diſcrepabat apud Aquilejenſes. Id enim colligitur ex diariis Ambroſii de Turre Canonici Aquilejenſis & Antonii Patriarchæ ab ærario; de quibus apud Carlium pag. 125. 127. 132. 141. Nam de florenis hæc habet anno forte MCCCXCIX. *Recepit florenos viginti unum in ratione LXIII. denariorum pro quolibet*. Hæc autem de ducatis. *Recepit*, inquit, *ducatos quinquaginta in ratione LXIIII. denariorum pro quolibet*. Uno denario floreni diſtabant a ducatis. At Aquilejenſe denario. Quod etiam adnotes. Aquilejenſium quippe denarii non iidem Patavinis. Habe ex Fontanino de *Maſnatis* eas litterulas, quas *Nobili viro domino Johanni de Rabatta honorabili Capitaneo Goritiæ* inſcripſit *Zenobius monetarius*. *Noveritis*, inquit, *dominum meum dominum Antonium Patriarcham Aquilejenſem modo noviter mutaſſe monetam videlicet ſingulum denarium pro quattuordecim parvulis, & ſolidum pro duodecim parvulis. Datum Utini. 14. aprilis indict. 7.*, quod eſt anno MCCCLXXXXIX. Nam toto eo ſeculo Patriarcharum nummos habuiſſe quattuordecim parvulos audiebam recitante Bernardo de Rubeis. Ipſe novum opus in has Aquilejenſium monetas apparat. Et hoc

Digitized by Google

erat in eruditorum votis. Nam paucos eo criterio doctrinaque ſcriptores habemus Itali. Nunc Aquilejos junge Patavinis, erit evidens hic etiam diſtare florenos a ducatis. Eſt in publicis ſcriniis autographum *Zilii de Calvis* anno *milleſimo trec. octuageſimo octavo. indict. undecima. die dominico vigeſimo quinto menſis octobris Padue in Cancellaria Magnifici — Turchettus dixit ſibi bene ſolutum a magiſtro Jacobo de ducatis nonaginta auri & ſold. LX. parvorum in quibus tenebatur eidem* Turchetto *pro parte unius debiti, ſeu depoſito; in quo magiſter Victor &c. erant obligati in libris ſexcentis ſexaginta duobus ſoldis decem parvorum, quas in ducatis auri eidem reſtituere tenebantur ad rationem librarum trium ſoldorum treſdecim pro quoque ducato, prout in inſtrumento depoſiti ſuper inde confecto milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſeptimo die veneris XIIII. menſis junii plenius continetur.* Hic ducatus apud nos exhibet ſolidos ſeptuaginta tres. Et florenus Aquilejæ dederat denarios ſexaginta tres. Ii ſolidi reddebant parvulos octingentos ſeptuaginta ſex; hi denarii conficiebant parvulos octingentos ſeptuaginta duos. Ergo florenus a ducato ſex diſtabat parvulis. h. e. major erat ducato parvulis ſex. Sed calculus hic mirum quas habeat ſalebras. Nam nec certum eſt Aquilejenſium parvulos idem fuiſſe Patavinis. Deinde certum eſt anno MCCCLXXXXIX. Patavinorum ducatos alio fuiſſe precio, quam tribus & ſeptuaginta ſolidis. Ex uno codice Marci de Guarnerianis aperta res erit. pag. 88. „ Die lune primo julii „ 1398. Recepi per manus Florii de Bretenorio ſocii mei de maſſaria ſeu theſauraria „ Lodoici a paghis & Riprandini a caligis „ ducatos duos auri in auro in ratione librarum IIII. ſolidor. X. pro quoque, & ſolidos decem in carrareſiis pro ſolutione paghe „ mee januarii proxime preteriti „. Deinde pag. 137. „ Die martis XIIII. octobris 1399. „ indict. VII. Padue in curtivo curie magnifici Domini Padue. Pro precio ducatorum „ tercentorum auri quod precium & quos „ ducatos *&c.* Et dixerunt valere dictos ducatos in ratione librar. IIII. ſolidor. X. parvorum pro quoque ducato „. Tum pag. 168. „ MCCCC. indict. VIII. die martis VI. „ julii. Hic ad bancum cancellarie. Precio „ librarum centum & quadraginta parvorum „ quos vir nob. Johannes Henricus quondam „ Palamidexii de Vitalianis habuit in ducatis „ auri in auro in ratione lib. IIII. ſol. VIII. „ pro quoque ducato, & libras III. ſol. XII. „ parvorum in moneta „. Sequitur ordine temporum „ Die ſabbati primo januarii MC- „ CCC. primo ind. nona Padue, nobiles viri „ *&c.* confeſſi fuerunt accepiſſe in dotem du- „ catos ducentos ſeptuaginta auri in auro bo- „ ni & juſti ponderis in ratione librar. IIII. „ ſolidor. X. pro quoque ducato „. Mox pag. 185. „ Die dominico primo mai indict. „ nona. Padue in camera ſtipendiarie magni- „ fici domini. Jacobus Lanarius accepit in „ depoſito & ſalvamento ducatos ſexaginta „ novem auri in auro boni & juſti ponderis „ in ratione librarum quatuor ſolid. XII. pro „ quoque ducato „. Sic ergo pretia ducatuum apud nos erant, unde nihil ad Aquilejenſium calculos. Alia deinde ducatuum comparatio nobis eſt ad *marcheſinos* ſolidos. Exhibet *marchiſanos* & Cangius ad vocem *marcha*, pariter ad vocem *marchiſani*; ſed alii erant a noſtris. Hi cudebantur apud Ferrariam in moneta Marchionum; de quibus ex autographo ad D. Antonium. „ Mill. trec. nonageſ. „ quinto indict. tertia. Venetiis. Guillel- „ mus de caſtro Barco fecit ſuum procurato- „ rem ad exigendum a Jacobo de Padua libras „ ſeptuaginta quatuor & ſolidos quinque „ marchiaſorum monete Ferrarienſis „. Ergo Patavini ſic exigebant ducatos ſuos ad marchiſanos nummos ex publicis ſcriniis „ milleſ. „ trecenteſimo nonageſ. quarto indict. ſecunda „ die lune vigeſimo nono menſis junii. Padue „ in palatiis „. Principes Atheſtini debebant Carrarienſi „ ſummam ducatorum viginti trium „ millium quadringentorum triginta octo auri „ & ſoldorum viginti ſex marcheſanorum „. Solverunt autem „ ducatos quatuor millia ſex- „ centos octuaginta ſeptem auri & ſoldos vi- „ ginti ſeptem marcheſanos & denarios octo „ & quintos duos unius denarii ad rationem „ ſolidorum triginta ſeptem cum dimidio „ marcheſanorum pro ducato „. Factum id ajunt „ pro quinta parte totius ſupraſcrip. „ ſumme ducatorum viginti trium millium „ quadringentorum triginta octo auri & ſo- „ lidorum viginti ſex marcheſanorum „. Vidiſti *quintos duos unius denarii*. Quos ſi non mente ſed manu tractabant, habes alias librę denariorum ſectiones mille ducentas. Nam dictionis ſeries eos ex parvulis eſſe docet. Sed modo nos tenet obſervatio *ſolidorum triginta ſeptem cum dimidio marcheſanorum pro ducato*. Cum tamen non liqueat de vero marchiſanorum precio, nec ipſa ducatorum cum iis comparatio quidquam eſt. At eos rurſus cum aliis conferre poſſumus ex tabulario caſtri

de

de Alto, quod eſt in Tridentinis montibus apud Telvum ſub epiſcopatu Feltriæ. *mill. tricent. LXXXXVII. indicione quinta die veneris XXI. menſis ſeptembris. Ego presbiter Henſelmus gratis mutuavi Antonio dicto de Catelag de Telvo VII. ducatus auri ſcilicet V. ducatos in auro, & reliquos duos in moneta ſcilicet XXXVIIII. groſſos pro ſingulo ducato.* Ducatus ergo tricenis erat ac novem groſſis. At horum quoque groſſorum ſupputatio abdita eſt. Ac proinde nihil ex iis ad ipſos ducatos. Ea quidem notula eſt ex autographis Henſelmi libellis. Eos autem totumque chartarium, præterea bibliothecæ codices, aliaſque benevolentiæ dedit notas Eva Roſa *Baroviſſa vidua de Buffa nata Comitiſſa de Wicka domina caſtri Alti montiſque Lilii atque Haidem &c.* præter hos aliis auctior ingenii morumque titulis. Hæc porro nos ex ineditis hæc ex finitimis in exemplum deduximus, ut certum ſit, hujuſmodi ducatuum ſupputationes eſſe penitus incertas. Alia petas ex aliis. Id tamen attendens, quot monetæ ſunt, fere tot eſſe nummorum leges. Extrema Carrarienſium re marcha quæ dicitur auri valebat octo ducatos, ut ex Polentono notabam „ milleſimo „ quatricenteſimo quinto indict. terciadec. die „ martis vigeſimo menſis octobris Padue in „ aula excelſi domini Padue infraſcripti ad „ officium factorie fue. Pro ſatisfactione & „ ſolutione dictarum quinquaginta & dimidie „ marcarum in ratione ducatorum octo auri „ pro quaque marca dedit „ & cetera; quæ ſcilicet e Xichonis autographo depromta ſunt.

CAPUT XIII.

De carrareſiis, carrarinis, aliis.

SIcco Polentonus haud vulgare nomen in litteris. Et ipſe laudatores habet domi Scardeonium, Portenarium, Thomaſinum, Pignorium, Urſatum, Papadopolum; foris Voſſium, Morhoſium, Rehinardum, lexicographos Lipſienſes, alios; adde Muratorium. Præterea Kappius homo Germanus apud Lipſiam profeſſor eloquentiæ ſcripſit anno MDCCXXXIII. diſſertationem *De Xiccone Polentono Cancellario Patavino hiſtoriæ litterariæ in Italia inſtauratore* grandibus utique titulis. In eam contulit & eorum curas qui de Siccone præſcripſerant, & addidit multa de ſuo: daturus & alia, ſi propius arcanas Patavinorum memorias inviſeret. ex. gr. Kappius ortum Siccoſis & domicilium ſic enarrabat. Ortum pag. 8. verbis iis *anno* MCCCCV. *Xicco inſtrumentum notarium confecit; quem titulum cum vix ante duodevicesimum aut vicesimum annum obtinuerit, neceſſe eſt ut ejus nativitas in ſeculum XIIII. vergens inciderit.* domicilium iis quoque verbis: *Habitavit Patavii apud pontem molinum, quam domum olim Albertinus Muſſatus poſſederat, lege* &c. Sed nobis ea duo ſic conſtant ex ipſo Sicconis autographo, quod eſt in publicis tabulariis hoc modo.

„ Primus liber magnus autenticus in quo „ ego Xicho natus Ser Bartholamei dicti Po„ lentoni de Riciis de Levico civis habitans „ Padue publicus imperiali auctoritate nota„ rius deſcripſi & de verbo ad verbum in „ authentica & plena forma regiſtravi & ma„ nu mea ſcripſi contractus pacta conventio„ nes ſeu inſtrumenta, de quibus fui & ſum „ rogatus per partes milleſimis indictionibus „ locis & teſtibus in eis late contentis & de„ claratis inchoando in milleſimo trecenteſimo „ nonageſimo ſexto indictione quarta „

Stat hoc loco ſignum Sicconis ejuſdem notarii; mox eadem manu „ MCCCXCVI. ha„ bitavi cum patre meo Padue in caſtro in „ contrata ſeraſineſche in centenario S. Egidii, „ & quarterio turriſellarum; quo anno roga„ tus primum confeci inſtrumentum. MCC„ CXCVII. die primo ſeptembris receſſi de „ contrata ſeraſineſche & ivi habitare in con„ trata Sancti Proſdocimi centenario & quar„ terio domi. MCCCLXXXXVIII. die pri„ mo ſeptembris receſſi de contrata S. Proſdo„ cimi & ivi habitare in contrata burgi novi „ Patriarchatus. MCCCC. die lune V. apri„ lis receſſi de dicta contrata, & ivi habita„ re in contrata Capeelorum centenario ru„ thene, quarterio turricellarum. MCCCCI. „ die XVI. martii receſſi de dicta contrata, „ & ivi habitare in contrata S. Petri centena„ rio & quarterio domi. MCCCCI. die vi„ geſſimo octavo ſeptembris, receſſi de dicta „ contrata, & ivi habitare in contrata Con„ cariole centenario & quarterio domi. MC„ CCCIV. die ſeptima octobris receſſi de „ dicta contrata & ivi habitare in contrata S. „ Firmi, centenario ejuſdem & quarterio „ pontis molendinorum. MCCCCVI. die VI. „ octobris receſſi de dicta contrata; & ivi „ habitare in quarterio pontis molendino„ rum, in centenario & contrata S. Leo„ nardi „.

Hic ea tandem Sicconis ædes unde apud Kap-

Digitized by Google

Kappium. Plura de Polentono non addam, de quo vel isthæc nimia jam fuerint. At inspecto viro Chirographo, stylus in ea sponte delapsus est, dum miror hæc intacta nostris, qui passim de Polentono scripturiunt. Eum scilicet aulæ Patavinæ cancellarium prædicant. Ergo facile erat ejus ex ipso palatio scripta reposcere. Sed ista non amant. Incerta temporum, falsa nominum, stribiligines ambages & apochryphorum quisquilias hæc in deliciis habent. His auspiciis hucusque tentata est apud nos ea historiæ pars, quæ est de litteratis ac litteris. Age jam de nummis. Post aureos quos vocat medios ducatos, ait Gatarus eo pariter anno percussos argenteos, id est Carrarefios & Carrarinos. Addit Carrarefios ab una parte prætulisse currum cum litteris *Franciscus de Chararia*, ab alia Sanctum Danielem; valuisse solidos quatuor. At in nostris quoque tabulis numero decimoquinto nummus est iisdem litteris ac signis. Eritne Carrarefius? Huic duplo minor est ille numero decimo septimo, cui currus ab una facie cum nota *Francisci de Cararia*; D. Prosdocimus ab alia, cum titulo *S. Prosdocimus*. Hoc typo Gatarus ait fuisse Carrarinos. Ergone Carrarinus & hic apud nos, idemque solidos valebat duos? At in tabulis etiam numero sextodecimo nummus habet currum ac *Francisci de Carraria*, divumque Danielem ac *Sanctus Daniel*. Hic & decimo septimo fere par est, & plus duplo minor est decimo quinto. Hiccine potius e Carrarefiis a Gataro notatis? Nam duplo minor huic est ille numero nonodecimo, cui currus ac *Francisci de Carraria*; cui crux ac *Civitas Padua*. Non hic quidem, sed alius forte præter hunc erat eodem pondere, qui typum titulumque ferret *S. Prosdocimi* qualem Gatarus adnotat; ut hic Carrarinus, alius esset numero sextodecimo Carrarefius; hic quatuor, ille solidis binis. Adde quod septimi decimi typus alicubi varius est. Noster hic litterulam *p* tenet ad episcopi levam, tenet ad currum *F.* atque *I.* Sed alius ad dexteram *p*, ad currum geminas *F. F.* Ad præsulem rursus in alio, z dexteram urget, F. atque I. currum; in alio, z levam, currumque F. atque F. In alio stat ad antistitem *N.* atque *I.* Stat in alio *B. Z.* nec idem pondus omnium est a maximo ad minimum plus *granis* duobus distant. Qui minimus est omnino sextodecimo par; & ipse *caratis* est quatuor. Ergo quis hoc mense quis alio constitit? Auget dubium libellus apud Papafavium. *Recepi pagas meas mensis januarii proxime præteriti de millesimo trecentesimo octuagesimo octavo indict. undecima die vigesimo februarii presentis de massaria domini Bonifacii Fantelli in quatrinis. Recepi pagam meam mensis februarii proxime preteriti pro soldis duo Carrarefium, quam non potui expendere nisi pro soldo uno, secundum formam cride ejus facte in Kalendis martii presentis. Recepi pagam meam mensis junii presentis de massaria Andree de Bazaleriis per manus dicti Bettini in quatrinis & Carrarefiis.* Hic quatrinos distinguit a Carrarefiis. At hi quoque solidis erant quatuor. Et Carrarefios uno solido dicit expensos. Id vero difficilius adhuc, nisi mendum sit in apographo. Non est autem vel ex trutina vel aliis ex calculis emergendi spes. Mutatio monetarum, quæ tunc quoque solennis erat, omnem supputandi rationem fugit. Expende Cangium in voce *marca*, rursus in voce *moneta*, certus eris, has res nullo judicio, tantum libidine principum actas. In his autem conjectationibus argenteos hos aureosque nummos Francisco Seniori tantum probabiliter adstruas. Et hoc satis est. At in decimonono conjecturæ nos ipsæ deficiunt; & in vigesimo. Eum sumpsimus ex Muratorio, dehinc ex æreis apud Lazarum laminis. Adde nunc ex libello, quem noscere licet, dum operæ librariæ locum prorsus hunc tenent. Editum credas ante quinquaginta plus annos; habetque Sigillorum Nummorum Nummismatum medii, quæ vocant, ævi plus centum ac viginti species. Scatet autem Patavinis nummis omnium fere modorum, quos heic vides. Et, si licet, eos Mediolanensium typis, quos Muratorius adhibuit, admodum præferas. At nos minime nostrorum pœnitet. Operis exemplar Apostolo Zeno perlatum recens. Ipse mihi reservabat humanitate quidem sua, quæ Viri famæ atque eruditioni par est. Nec de nummo vigesimo tertio quidquam constat. Putetur ex iis de quibus apud Gatarum pag. 891. MCCCCIV. 23. junii. *Questi sono mille ducati tutti d'oro, i quali io bramo piuttosto spendere, che voi vilmente un bezzo del vostro doniate a costoro.* Quod enim *un bezzo* nobis, huic fere æquum est. Adde quartum ac vicesimum. Pars una currus est, altera scutum quod ævo putruit. Eum, quod e plumbo est, alii sigillum putabant. Sed ibi nulla tubuli signa, quem chordulæ trajicerent. Alii formam cudendis inde nummis. Sed & hoc anceps. Quod si fuit sigillum, fuit etiam forma nummorum. Hinc jam cap. X. dictum est. Denique de vigesimo

Digitized by Google

mo quinto. Pars una currus est, altera lilium. Quæ ratio lilium prætenderit, id quoque latet. Plura quidem huc congesseram, sed nihil supra conjecturas. Eas deinde resecare placuit. Alium præterea vidi penes Alexandrum fratresque Papafabas, sed plumbeum, sed exactis jam tabulis: in quibus proinde locum non habet. Nec tanti est, nec ei tabulis opus est. Habet discum prorsus eundem quinto, caretque quolibet ornatu. Tantum una pars effert currum vigesimo tertio similem; temone recurvo, sed qualis in duodecimo est. Altera pars exhibet N. specie qualis in quintodecimo est ad lævam martyris; at spatio totam occupat aream. Si ex littera N. Nicolaum de Carraria cogitas, ipse MCCCXXVI. *die II. julii societatem fecit cum domino Cane contra Paduam*, inquiunt Cortusii lib. III. cap. 12. facinorosorum vero coegit exercitum, tenuitque plus quatuordecim menses. Eo spatio monetam licet illegitimam facere potuit, ut de suo nummos ederet. At hic ex plumbo est. Ita quidem tumultuario ejus imperio congruens. Adde curvum plaustri temonem, de quo Vergerius in *Nicolao* pag. 141. rer. Italicarum Tom. XVI. *primus hic curvo temone pingi currum inter arma jussit, cum civili bello a suis maxime gentilibus dissidens infesta patriæ arma inferebat; unde signa discerni Carrarienſium possent*. Si nec satis ista sunt, non insto; nam nec mihi satisfaciunt. Quod si nummum hunc Nicolai crederem, pluris haberem; quippe qui Carrarienſium reliquos anteverteret.

Addam quoque quod erit integrum cuilibet opinari. Francisco seniori filius extitit ex contubernio nomine Comes. Hic ille Comes de Carraria cujus egregie factis Italia omnis insonuit. Ipse supererat exitio Carrarienſium, stetitque vel anno MCCCCXX. De quo Cribellius in *vita Sfortiæ* Tom. XIX. rer. Italicar. pag. 707. *Per eam*, inquit, *hyemem Comes Carrarienſis sub spem ducendi in hiberna militis sui ad oppidum Esculum in Picenis, quod ipsius juris erat, intra paucos dies febri correptus vita deseritur. At initio insequentis anni qui fuit primus supra mille quadringentos & viginti* &c. Constat Asculum urbem Comitis imperio subditam. Quid si is illic monetam jure principatus instituit? Nam suos & Asculum nummos habuit; horumque nonnullos apud Muratorium tenes. Mitto quippe diplomata Cæsarum Conradi MXXXVII. Henrici MLVI. Lotharii MCXXVII. Federici MCLXXXV. quibus Asculano præsuli *cudere monetam* fas erat. Ea recitat Andreantonellus Hist. Asculanæ pag. 237. ac reliquis. At nostris habemus in tabulis eos nummos 23. 24. 25. numero positos, in quibus insigne Carrarienſium currus est, at nomen ac titulus abest. Alios eodem signo proferet ætas aut nota principis, aut litterarum subsidio vacuos. Hinc si quis hos horumve similes ex Asculana Carrigerorum moneta velit; id & facile asseras, & facile neges, & alterutrum difficile probes. Ipse Comes de Carraria filios habuit duos Obitium, atque Arditionem. Sic enim Gatarus anno MCCCCV. mense aprili. *Francesco* Patavinorum princeps *mandò i suoi figliuoli a Fiorenza*. Nomen iis *Ubertino* ac *Marsilio*. Sequuntur *Obizo* & *Ardizone figliuoli di mess. Conte da Carrara fratello naturale del Signore*. Autographam Opitionis epistolam habui dum viveret a Papafavio. Fert adhuc currum quo sigillo obsignata fuerat. Extra sic habet.

„ Magnificis & excelsis dominis Guberna-
„ toribus communis & Capitaneo populi Ci-
„ vitatis Senarum honorabilibus patribus ca-
„ rissimis &c. „

Series intra sic erat.

„ Magnifici & potentes domini honora-
„ tissimi patres carissimi. recepimus ve-
„ stras gracioſissimas litteras, ymo satis &
„ non modice, e quibus vere colegimus,
„ ut ad vestri communis magnifici com-
„ placentiam, quemdam Jacobum Nannis
„ de Sartiano vobis subditum, pro quibus-
„ dam excessibus apud pretorium nostrum
„ nexum, a suis eidem debite infligendis
„ penis ex toto liberum redderemus. Et li-
„ cet sui crimina & deffectus penas exi-
„ gant corporales, sicut nostre hujus civi-
„ tatis sancitum legibus aperte comperi-
„ mus. Attamen nos leta mente & animo
„ liberali, eundem reum ad complacen-
„ ciam antedictam proprie reddimus liber-
„ tati; eumque fecimus liberum a car-
„ ceribus: ab eodem legalibus sedatis pe-
„ nis & amotis. Et ad mayora subdito-
„ rum vestrorum circa favores & gratias
„ liberalles leto affectu vestra magnifica
„ dominatio indubie promptos reperiet.
„ Datum Esculi die VII. aprelis. IIII. in-
„ dictionis. Obizo de Carraria Esculi &c. „

Patri filius in principatu succesſerat, annoque MCCCCXXVI. velut indictio est, adhuc Esculo in urbe clavum tenebat.

Digitized by Google

Hoc quidem capite videor unus ex iis, qui quod in *Catilinar.* Criſpus ait, *omnibus modis pecuniam trahunt vexant*. Sed hæc argumenti ſeries. Alia, quæ hic reſtant, explicatiora ſunt. Ad primum certe Franciſcum ſpectat hoc e grammatophylacio caſtri de Alto „ milleſ. tricenteſſimo octua„ geſſimo primo indict. quarta; die ſaba„ ti XXIIII. menſis auguſti. In villa Tran„ ceni „, quæ Teluo ſubeſt. „ Ibique no„ bilis vir dominus Franciſcus quondam „ nob. viri domini Guillielmi de caſtro Al„ to inveſtivit Ser Ancium de Roncegno „ de una ſua pecia terre poſita in regula „ Telui. ſolvendo dictus Ser Ancius in feſ„ to S. Michaelis triginta duos ſolidos de„ nariorum parvorum monete Paduane no„ mine fictus perpetui „. Quod autographum eſt. ut hoc etiam „ milleſimo tre„ centeſſimo LXXXIIII. indictione VII. die „ Veneris XII. menſis februarii. In Te„ luo. Ibique Antonius (&c.) vendidit „ unam ſuam peciam terre prative. jacet in „ regula Telui, in ipſa fundamentum unius „ felogni conſtructum in loco cui dicitur „ ad Cejum — pro precio & foro decem „ & octo librarum denariorum parvorum „ Paduane monete. Quod precium „ &c. Hæc indicio ſunt Patavinorum nummos in Valſuganam quoque tranſductos; forte cum Carrarienſes iis inſedere locis, unde poſt paulo ceſſerunt. Johannes Galeaz Mediolanenſium princeps anno MCCCLXXXVIII. menſe novembri Carrarienſes ſubmovit, ipſe Patavium tenuit, honorem monetæ Patavinæ ſervavit ex authentico Bradiolorum *milleſimo trecenteſimo octuageſimo nono, indictione duodecima, die jovis ultimo menſis ſeptembris. Padue in communi palacio — Pro precio librarum ſexaginta parvorum bone & uſualis monete Paduane quod* &c. Patavina res annum ſeptemque menſes eo Domino ſtetit.

CAPUT XIIII.

De loco Præfectiſque monetæ. De nummiſmate Franciſci II.

SEd antea dicendum erat de loco monetæ. Nam plures adhuc Patavii feruntur ædes, in quibus olim pecunia fieret. Princeps earum notio eſt e tabulario Papafaviorum „ MCC. octuageſimo nono. indict. „ ſecunda. die XI. exeunte junio. Padue „ in contrata S. Martini in domo infraſcripto„ rum dominorum Petri comitis, Albertini, „ Marſilii, ac Bonifacii filiorum quondam „ domini Jacobini dicti Papafave „ &c. Papafavii fratres bona ſua dividunt. In partem Marſilii ceſſit „ In primis una domus de mu„ ro. jacet in Padua in contrata S. Martini, „ que dicitur domus monete. cui coheret ab „ uno capite & uno latere via communis. ab „ uno capite dominus Anthonius de capite „ vace „. Hæc e membranaceo codice, cui titulus eſt „ Liber Alberti notarii „ pag. 47. Codex ipſe primigenius eſt. Adde rurſus ibidem: „ M. II.c nonageſimo V. indictione VIII. „ die XVI. intrante madio. Padue in contra„ ta S. Martini — Dominus Marſilius prefato „ domino Petro comiti — vendidit, ipſum„ que jure proprii inveſtivit de uno ſedimine „ cum domo murata, cupis cohoperta ſuper„ hedificata, que domus appellatur domus „ monete. jacet in Padua in contrata S. Mar„ tini. cui coheret ab uno capite verſus „ mane dominus Anthonius de capite vace. „ Verba ſi ſpectes, ea non erat domus monetæ, ſed vocabatur; hoc eſt, opificio in aliam translato, nomen adhuc tenebat „ Eodem „ „ vero „ die dictus dominus Petrus — poſ„ ſeſſionem apprehendidit unius ſedimnis cum „ domo murata cupis cohoperta que dicitur „ domus monete. jacet in contrata S. Marti„ ni „. Pariter habet titulum, licet non rem. Quod maxime conſtat ex ipſo Codice pag. 48. „ M. II.c nonageſimo ſeptimo indicione „ X. die penultimo ſetenbris. Padue in con„ trata S. Martini in domo que dicitur do„ mus monete, que eſt domini Viviani de „ Caſtro novo „. Ea ergo jam in uſus inquilinorum ceſſerat. Ex alio autem Codice qui pariter autographus eſt æque membranaceus atque in eodem tabulario, factus anno „ mi„ leſimo trecenteſſimo ſexageſſimo quarto in„ dictione ſecunda die lune octavo menſe no„ vembris „ hæc habes. „ Infraſcripta ſunt ca-

„ pi-

Digitized by Google

„ xamenta ultraſcripti domini Albertini in„ contrata S. Martini „. Reliquis miſſis hæc ſcribo. „ Item una domus in predicta con„ trata, in qua habitabat Campagna, & „ nunc habitat dictus dominus Albertinus. „ Coheret ab una parte via communis a dua„ bus dominus Albertinus: & ab una parte „ maſtelarias S. Canziani; ab alia Joh. mona„ rius. Blaxinus Lanarius de Florentia tenet „ unam domum ad affictum in predicta con„ tracta a dicto domino Albertino. Co„ heret ab una parte Fruxerinus de Capite „ vace, a duabus partibus dictus Dominus, „ ab allia parte via communis. Blaxius pre„ dictus tenet unam alliam domum in dicta „ contrata a dicto domino Albertino. Cohe„ ret ab una parte dominus Fruzerinus ante„ dictus, ab allia parte maſtellarii S. Can„ ciani, ab allia via communis, ab allia di„ ctus dominus Albertinus „. Hic eædem ſunt domus, iidemque confines; at monetæ nulla mentio, forte quod longa deſuetudine miniſterii nomen ipſum ipſum receſſerat. Sed ex archetypis ejuſdem chartarii tabulis anno „ milleſimo quadringenteſimo quinto, in„ dictione tertiadecima, die vigeſimo ſeptimo „ menſis novembris „ inſtitutum eſt inventa„ rium de bonis „ Papafabarum. Notantur „ in primis duo palatia cuppata murata & „ ſollerata cum curtilli & putheo poſita in ci„ vitate Padue in contrata S. Martini juxta „ hos confines, videlicet juxta vias publicas, „ juxta domum a zecha, & juxta maſtella„ rios „. En iterum monetaria domus, at nova phraſi. Prius habebas domum quæ dicitur domus monetæ, nunc domum a moneta, vel a zecha, quod idem eſt. Huc fortaſſe poſtremi Carrarienſium principes opificium, ſeu, quod aiebant, *artem* revocaverant. Age rurſus ex authenticis ejuſdem Papafavii *milleſimo trecenteſimo nonageſimo quarto, indictione ſecunda, die mercurii ſeptimo menſis octubris Padue*. memoratur *una domus de muro ſolariata & de cupis cohoperta nunc dicta domus a moneta, & olim domus rubea, cum curte orto & putheo poſita Padue in contrata S. Margarite. Cui coheret a duabus partibus via publica, ab uno latere magiſter Carolus aurifex de Janua, & a parte poſteriori heredes Brocardi campſoris*. Erat ergo domus altera Patavii dicta domus a moneta, quæ quondam vocaretur & domus rubea. Ex iis verbis duo colligas. Id primum eſt. Ea domus hoc anno jam deſierat ab opificio monetæ, quoniam non ſcribitur eſſe monetæ domus, ſed tantum vocari. Prætérea jam *Collegio Scolarium* deſtinata fuerat, ut in ipſis eſt tabulis. Alterum ſic eſt. Ea quidem domus habuerat officinam monetæ, ſed paucis annis, quoniam ſervabat adhuc primævum nomen, hoc eſt, rubeæ. Confines huic erant hæredes Brocardi campſoris. Ipſe *contratam Fallaroti* tenebat *milleſimo trecenteſimo ſexageſimo nono indictione ſeptima die lune quinto menſis februarii. Padue in contrata fallaroti in domo habitacionis Brochardi campſoris filii Ser Petri boni de Plebe ſacci*. Pariter ejus hæredes *milleſimo trecent. nonageſſimo tercio indicione prima die ſabati quartodecimo menſis junii. Padue in contrata fallaroti in domo heredum quondam Brocardi campſſoris*. Ex Pratalienſibus autographis. Ex iis hanc a moneta domum ſive rubeam locamus ubi contratæ ſeu regiones duæ Fallaroti ſanctæque Margaritæ coibant. Proximas namque probat membranaceus apud Fatiolatum codex, in quo deſcribitur ævo quartodecimo Patavina civitas. Inter alia *porte quindecim minores* hoc ordine ſunt. *Porta S. Leonardi. porta B. Petri. porta Tadorum. porta B. Thome*, &c. *Porta S. Stephani. Porta Fallaroti. Porta braidi* — Vides ut Fallaroti regio ad S. Margaritam decurreret. Ex archetypis etiam geminis apud cœnobium D. Antonii, quorum eſt unum *milleſimo trecenteſimo ſexageſſimo ſexto indictione quarta die dominico ultimo menſis mai Padue. preſentibus — Brocardo campſore filio Ser Petri boni Scoſati de plebe de contrata Fallaroti de Padua*. Alterum eſt eodem *milleſimo* &c. *preſentibus — Brocardo campſore filio ſer Petri boni Scoſtati de contrata Braidi ſive Falaroti de Padua*, vides quo loco ſtatuenda ſit ædes Brocardi. Nam quæ quondam contrata Braidi, nunc S. Bernardini eſt. Hæc notiora noſtris. Idem Brocardus anno MCCCLXXVIII. menſe ſeptembris monetæ magiſter erat, ut XI. capite dictum eſt. Ipſe rubeam domum viciniæ gratia monetam fecerit. Inde locum tenemus, in quo ſub ſeniore Franciſco publica Patavinorum moneta conſtitit. Anno deinde MCCCLXXXVII magiſter erat monetæ Bonromæus de Bonromæis ex Gataro pag. 786. & 615. Ipſe alio fortaſſe monetam devexerit: unde rubeæ domui ſublata re titulus hæſerit. Anno quoque MCCCXCVI. Petrus ab oleo magiſter eſt ex Papafaviis „ milleſ. trecenteſimo nonageſimo ſexto, in„ dict. quarta, die ſabbati vigeſimo quarto „ junii. Cum per Rolandum a Curtivo camp„ ſorem, & Manfredum ejus fratrem Conſilio

ma-

Digitized by Google

„ magnifici domini noſtri expoſita fuerit que-
„ rela, quod Petrus ab oleo magiſter Ce-
„ che debeat eis certam pecunie quantitatem
„ & argenti, quam in cecha predicta ipſe
„ Petrus deberet habere, & quod ipſe Petrus
„ quantitatem ipſam pecunie & argenti in ipſa
„ cecha non habet: cumque fuerit ipſum
„ Conſilium informatum ſic eſſe, ut dicebant
„ dicti fratres. Id circo dictum Conſilium in
„ quo fuerunt dominus Johannes de Porcelli-
„ nis, dominus Guilielmus de Curtarodulo,
„ dominus Baldus, dominus Daniel de Ri-
„ do, dominus Simon de Noenta, Paganus
„ de Capitevace, & Guilielmus de Hunga-
„ rellis factores deliberaverunt & precepe-
„ runt dicto Petro ab oleo preſenti, quatenus
„ uſque ad decem dies proxime futuros de-
„ beat ſecuritatem idoneam preſtitiſſe eiſdem
„ Rolando & Manfredo fratribus, de ſolven-
„ do & dando ſibi omne id & quicquid conſti-
„ terit ipſum Petrum ſibi teneri occaſione dicte
„ Ceche in terminis quibus tenetur. Ego
„ — notarius &c. „ Eo magiſtro moneta rur-
ſus in alias ædes conceſſerit. Anno demum MCCCXCVIII. Johannes ab argento de Bononia magiſter extitit monetæ, velut ex tabulis apud Papafavium, ſcilicet Ubertinum, quæ proximum Caput erunt. Ex iis hæc modo ponam. *Milleſimo trecentiſimo nonageſimo octavo, indictione ſexta, die mercurii quinto Junii Padue — Item quod dictus magiſter Johannes habere debeat, & quod ſupradicti factores dare teneantur uſque ad dictum terminum duorum annorum unam domum habilem & ſufficientem pro laborando & faciendo artem predictam (Cecche) pro qua dictus magiſter Johannes nullum affictum nec ſolutionem ſolvere teneatur.* Ex iis omnibus habes ædem monetæ non fixam loco, ſed aut Principis aut opificum voluntate mutabilem. Ego nullum vidi præfectum ſive magiſtrum poſt Johannem. Qui certe monetam curare debuit annos ſaltem duos, *incipiendo die prima auguſti*. Quare ſi is poſtremus eſt, opus nummarium fortaſſe revexerit in antiquas ædes, hoc eſt Papafabarum, de quibus extremo dictum eſt MCCCCV.

Ultimus ordine Principum Franciſcus erat Franciſci filius. Exculptos ab eo nummos certum eſt ex editis edendiſque chartis. Eos autem vix indices. Et eorum nonnullos qui ſupra poſiti ſunt maxime Franciſci nomine vix ei detraham. Sed in vigeſimo ſexto qui poſtremus eſt, haud dubiam Junioris epocham tenes. Hic quidem nullo pretio eſt ſi ſpurius eſt; multo autem, ſi legitimus eſt. Non enim nummus, ut reliqui, ſed nummiſma eſt ex iis quas *medaglie* vocant. Hæc quippe diſtinguunt; nummum commercio populorum, nummiſma decori Principum. Porro ſic creditum eſt, ut nummiſmata hæc ævo tantum quintodecimo coeperint; hoc autem quartodecimo eſt. Ego nihil hinc præceps egi. Typos ejus habui plures unum domi, geminos e Papafavio, penes Arigonium Gradenigum Zenum ſingulos, utique æreos; argenteum rurſus ab Arigonio, cavum poſtica, vacuum; quod ei cudendo deerat matrix: incuſum vocant; utique non ex ea parte cuſum. Tamen ipſe, velut & reliqui, fuſus eſt. Eos autem hoc eſt quiſque ſuum ac ſuos fœtibus accenſebamus ingenuis. Et ipſe Zenus in hoc velut pertinax. Adii quoque Mapheium litteris ac dono nummiſmatis. Ipſe in ambiguo eſt. Reſcripſit alia Venetiis edita jam nummiſmata Carrarienſium, quæ ſequioris ævi credita ſunt: ita hoc videri. *Ne fu già ſtampato in Venetia un gran foglio, ma non ſi credono del tempo loro, bensì fatte nel ſuſſeguente: così probabilmente ſarà queſta.* Jam vides ut nihil a me diſſimulatum ſit. Nunc quo ſe quiſque velit ſuffragio teneat. Mihi certe magna eſt hujus auctoritas. Eorum vero quæ vulgata ſunt ab Joſepho ſcilicet Smith archetypa vidi jactavique pluries, omnia enim apud Papafavios; & alia ſimilis ingenii. Nec ea multum nos tenent. Alterum mihi nunc indicat libellus ex eodem Zeno laudatus etiam Capit. XIII. Sphæra quidem in antica eſt, & inſcriptio FRANCISCI DE CARARIA. Dei Patris imaginem poſtica fert; litteras autem REX REGUM ET DOMINUS DOMINANTIUM. Sic autem hæc ſic aliæ typis iis expreſſa ſunt, ut certam vetuſti nummiſmatis ideam ingerant. At cauſa difficili laboramus: adeoque nihil audendum ſine ipſis archetypis. Archetypum tamen aliud nummiſma præter hæc innotuerat nobis admitente Scoto per litteras. Habet Epigraphem ſtylo, *che chiamano*, ait ipſe, *gotico*. FRANCISCUS CARRIGERUS HEROS PATAVUS. Ibique *teſta d'uomo barbato, d'età aſſai avanzata, coperta d'una ſpecie di capuccio, non molto diverſo da quello dei frati Capuccini*. Sic ad faciem. Sic ad poſticam eſt HAC ALMA IN URBE MODERANTUR IMPERIUM. *Il carro* &c. Pergit. *Il pezzo è della grandezza d'uno de' noſtri ducati. Il metallo è bello, la teſta è ben fatta, non*

infe-

Digitized by Google

infelici le lettere ; ma con tutto queſto ho le mie grandi dubbietà : e 'l Signor Abate Arigoni pure ne dubita . Tuttavia non ſi può condannarlo . Dein & videndum miſit uſque Venetias . Inſpectu , fateor , aucta dubitatio . Ibi vix erat mihi quidpiam ex eo ſeculo. Nam litteræ non tam erant , quam affectabant videri goticæ . Adde mixtas his & romuleas ; id enim præter ævi conſuetudinem eſt . Quid de viro ſene rugoſo barbato ſimoque naſo qui ſpectabatur in nummo ? Naſus ille Franciſco nempe ſeniori non convenit . Nam de ipſo nummus cenſetur . Et Carrarienſium vultus habes in ædicula Baptiſterii quæ proxima eſt epiſcopio ; ſic enim putant : habes in codice Papafavio quem diximus annorum ferme trecentum . Barba quoque vix habet locum apud nos in monumentis aut picturarum aut ſignorum quæ per eos annos expreſſa ſunt ex archetypis . Et quidem nec Marſilii facies inſculpta mauſoleo , quod eſt apud Carrariam ad Divi Stephani ; nec ſimulacrum Jacobi , nec Ubertini quæ Patavii ſunt ad divi Auguſtini , barbam præferunt : eaque & Carrarienſia certo ſunt , & coæva ſunt , & integra ſunt . mitto de reliquis . Ipſa quoque nummi ſpecies , œconomia , genius , omnia demum mihi fraus erant . Hæc cauſa eſt , ipſum ne veris Carrarienſium nummis adjungam . Scotus autem ne damnaretur obſtitit . Hæc iterum cauſa eſt , ipſum ne falſis Carrarienſium toreumatis addam . Sed hoc num. 26. noſtrum procul ab omnibus iis . Alius color , alia materies , aliud opus . Eæque per orbem litteræ ſic ævo ſuo conſonant , ut reliquæ quorumcumque nummorum , de quibus in iis paſſim tabulis . Nam quæ vulgantur a Smith omnia Romanas habent notas . Id quidem inter illthæc diſterminat , & noſtro vetuſtatis adſtruit fidem . Franciſcus hic collo nudus atque humeris , & in lævum nexo fibula pallio : capilli breves auribus cedunt : ipſe decora facie , validis membris . At hæc Gataro concinunt . Ipſe Franciſcum dat *non molto grande , ma di ſtatura comune , groſſo e ben formato* , pag. 940 Nec repugnat ornatus ille veſtium . Quid enim Senior apud Gatarum MCCCLXXXVI. menſe Junio ? *Si riveſtì d'un panno d'oro con un mantello affibbiato ſopra la ſpalla longo ſino alli piedi , abito proprio Ceſariale* ; qualis in nummo penitus eſt . Hæc autem inſcriptio eſt . 1390. *die 19 junii recuperavit Paduam &c.* Pariter hæc tempori congruunt , velut apud Gatarum eſt ; & apud Muratorium Tom. IIII. Antiquitat. Italicar. pag. 1165. ex Patavino chronico ad annum 1390. *Hoc anno & die XIX. junii dominus Franciſcus junior de Carraria viriliter recuperavit Paduam cum toto Paduano diſtrictu excepto Baſſiano* . Concinit *ſpecimen Hiſtoriæ Sozomeni* Tom. XVI. rer. Italicar. pag. 1143. D. *dominus Franciſcus &c. die XIX. dicti menſis receptus fuit Padue in dominum* . Mordebat me potius is artifex & elegantior ætate ſua res . At alia pariter ejus ævi feruntur opera , quæ ſimiles manus æquamque produnt induſtriam . Lege vel ipſum Maphejum Veron. Illuſt. part. III. cap. VI. Ait autem ipſe laudatis ad me litteris , adhuc ſibi nullum nummiſma viſum quod huic ſeculo fidas . *Del 1300. non ne ho veduto ancora , che con ſicurezza ſi poſſa giudicare di eſſo* . Noſtrum vero hoc & adeo nullas habet difficultates , & ſic omnes authentiæ notas , ut eam poſcat ætatem vel cum paucis , ſi qua præter hoc ſunt ; vel & ſolum , ſi nulla ſunt .

CAPUT XV.

Franciſcus II. an. 1398. monetam publicam locat. Inde ſyngrapha hæc .

„ IN Chriſti nomine amen . Anno a nativitate ejuſdem milleſimo trecenteſimo nonageſimo octavo , indictione ſexta , die mercurii quinto junii . Padue in palatiis habitationum infraſcripti magnifici Domini , & ejus factoria , preſentibus egregiis & honorabilibus viris domino Michele de Rabbata milite quondam domini Antonii de contrata S. Nicolai , domino Henrico de Gallis filio ſer Uliverii de Gallis licentiato in jure civili de contrata Domi , Paulo de Leone quondam nobilis viri domini Chechi de Leone de contrata S. Lucie , & Matheo de Ferraria quondam domini Jacobi de Prioribus de contrata S. Agnetis civibus & habitatoribus Padue teſtibus rogatis & ad hæc ſpecialiter convocatis & aliis. Ibique nobiles & prudentes viri Gulielmus de Ungarelis quondam nobilis viri Traverſii de contrata S. Malgarite , & Naſimbene quondam Zamboni de contrata S. Agnetis in ſimul factores & generales adminiſtratores factorum & negotiorum magnifici & illuſtris Domini domini Franciſci de Carraria Padue &c. domini generalis , & filii recolendiſſime memorie magnifici & illuſtris principis & Domini domini Franci-

Digitized by Google

„ ſci ſenioris de Carraria Padue olim domini „ generalis, nomine & vice prefati Domini, „ & Communis Padue dederunt locaverunt & „ affictaverunt honorabili viro magiſtro Jo„ hanni quondam magiſtri Simonis ab argen„ to de Bonónia qui ad preſens habitat Fer„ rariam in contrata S. Romani, pro bono „ utili & commoditate prefati Domini, & „ communis Padue, omni modo via & for„ ma quibus melius potuerunt, uſque ad „ duos annos proxime futuros incipiendo die „ prima menſis auguſti proxime futuri, Ce„ cham & laborerium monete ipſius Domini „ & communis Padue pactis & conventioni„ bus infraſcriptis; videlicet in fabricando „ & cudendo libras viginti milia ſextinorum „ nigrorum & ad ligam oncie unius & quar„ torum duorum argenti fini, & ad contum „ ſeu numerum librarum ſex pro qualibet „ marca Paduana: habendo remedium in „ dicta liga denarium unum argenti fini in „ pluri, & denarium unum argenti fini in „ minori; & in numero ſoldos duos in pluri, „ & ſoldos duos in minori, quibus reperire„ tur dicta moneta: & libras decem milia „ pizolorum ad ligam quartorum trium ar„ genti fini, & ad contum ſive numerum „ librarum tres ſoldorum duodecim pro quali„ bet marca Paduana, & liga de argento & „ ramo prefati Domini; habendo in liga de„ narium unum argenti fini in pluri, & de„ narium unum argenti fini in minori, & in „ pondere ſoldos duos in pluri, & ſoldos „ duos in minori: & omnem quantitatem „ Carrarinorum qui exient ſive extrahentur „ de argento quod ponetur in dicta zecha per „ quamcumque perſonam ad ligam uncia„ rum ſeptem & Carratorum octuaginta „ pro marca, & ad contum ſive numerum „ librarum viginti ſex pro qualibet marca „ Paduana, habendo remedium in dicta „ liga caratorum quatuor argenti fini pro „ qualibet marca in pluri, & in minori: & „ in pondere Carrarinum unum pro qualibet „ marca in pluri, & in minori, quibus re„ perirentur dicte monete omnibus calis & „ expenſis dicti magiſtri Johannis. Item „ quod illud plus vel minus quod reperiretur „ dicta liga ſupracriptarum monetarum intra „ ſupraſcipta remedia in damnum vel in utile „ dicti magiſtri Johannis per ſuperſtitem vel „ cuſtodem dicte ceche, non debeat con„ tari nec poni per aliquam perſonam, ſed „ ſolummodo monete ſupraſcripte debeant „ computari & poni ad rationem ſupraſcripta„ rum ligarum dictarum monetarum; vide„ licet quod ſextini ſint ad ligam oncie unius „ & quartorum duorum argenti fini pro qua„ libet marchia dictorum ſextinorum; & pi„ zoli ſint ad ligam quartorum trium argenti „ fini pro qualibet marca dictorum pizolo„ rum; & Carrarini ſint ad ligam unciarum „ ſeptem & caratorum octuaginta argenti „ fini pro qualibet marca dictorum Carrari„ norum: & illud plus & minus quod re„ perirentur dicte monete in numero in capi„ te dictorum duorum annorum, computato „ illo pluri quod reperiretur pro minori, & „ illo minori quod reperiretur pro majori, „ & ſi reperiretur in pluri, quod illud plus „ teneatur dictus magiſter Johannes dicto Do„ mino reſtituere. Item quod prefatus Do„ minus ſeu ſui officiales dent & dare tenean„ tur dicto magiſtro Johanni omni menſe di„ ctorum duorum annorum totum argentum „ & totum ramum habile ad laborandum pro „ laborando ratam dictarum librarum viginti „ milium ſextinorum, & librarum decem mi„ lium pizolorum ita & taliter quod dictus „ magiſter Johannes poſſit fabricare, & fa„ bricari facere dictam ratam dictarum mo„ netarum; & in caſu quo per dictum ma„ giſtrum Johannem non fabricaretur, ſeu „ fabricari fieret dictam ratam primo menſe, „ ſit ei licitum fabricare & fabricari facere in „ ſecundo menſe; ſi non in ſecundo menſe, „ in tertio: & ſic in ſequentibus menſibus; „ dummodo dictus magiſter Johannes in capi„ te dictorum duorum annorum expleverit „ fabricaſſe totam quantitatem dictarum mo„ netarum ſupraſcriptarum. Item quod pre„ fatus Dominus ſeu ſui officiales dent & dare „ teneantur dicto magiſtro Johanni pro ma„ nifactura expenſis & calis argenti & rami „ pro qualibet marca dictarum monetarum „ ſupraſcriptarum ſoldos duodecim. Item „ quod prefatus Dominus ſeu ſui officiales te„ neantur preſtare & concedere dicto magi„ ſtro Johanni cum incepit fabricare & fabri„ cari facere aliquam quantitatem dictarum „ monetarum, libras mille ſoldorum ad ra„ tionem ſoldorum duodecim pro marca pre„ dictorum ſextinorum & pizolorum, ut ſu„ praſcriptum eſt. Item quod dictus magi„ ſter Johannes teneatur facere ſolutiones „ omnibus perſonis, que ponent argentum „ in zecha, de Carrarinis ſupraſcriptis, ut „ premittitur, pro eis fiendis uſque ad quin„ decim dies proxime futuros a die qui po„ nent argentum in zecha in antea dando de

dictis

Digitized by Google

„ dictis Carrarinis ſic per eum fiendis libras
„ viginti quinque ſoldos octo dictorum dena-
„ riorum pro unciis ſeptem & caratis octua-
„ ginta argenti fini. Item ſi alique perſone
„ ponent argentum in zecha predicta, quod
„ non eſſet ad ligam unciarum ſeptem & ca-
„ ratorum octuaginta pro marca, quod ipſis
„ perſonis facto facio dicti ſui argenti, dictus
„ magiſter Johannes dare & reddere teneatur
„ pro quaque marca argenti ſui quod reperi-
„ retur in dicto argento quod non eſſet, ut
„ premittitur, ad dictam ligam ad rationem
„ ſupraſcriptarum videlicet librarum viginti
„ quinque & ſoldorum octo de dictis monetis
„ ſic per eum fiendis; videlicet pro unciis
„ ſeptem & caratis octuaginta argenti fini,
„ ut ſuperius dictum eſt; ita tamen quod
„ ipſe perſone que ponent argentum in cecha
„ quod non eſſet ad dictam ligam unciarum
„ ſeptem & caractorum octuaginta pro qua-
„ libet marca, dare teneantur & debeant
„ dicto magiſtro Johanni de dicto argento ſic
„ per eos poſito in dicta cecha pro ejus afi-
„ natura magiſterio expenſis & calo caratos
„ ſex argenti fini pro qualibet marca argenti
„ lordi ſic per eos in dicta cecha poſiti, in-
„ telligendo a dicta liga inferius uſque ad un-
„ ciam unam argenti fini & caratos tres ab
„ uncia una inferius pro quaque marca argen-
„ ti ſic per eos poſiti in cecha predicta. Et
„ quod de dicto argento ſic in dicta cecha
„ poſito dictus magiſter Johannes facere te-
„ neatur ſolutiones dictis perſonis ad termi-
„ num decem ſeptem dierum tunc proxime
„ futurorum a die qua ponent in cecha in
„ antea computandorum; & hoc propter
„ preſens quod diſpenſatur in aſiciando di-
„ ctum argentum. Item ſi aliqua perſona
„ poneret argentum deauratum in dicta ce-
„ cha, quod terminus ſolutionis fiende per
„ dictum magiſtrum Johannem dicte perſone
„ de dicto argento, videlicet quindecim die-
„ rum, non incipiat nec inceptum intelliga-
„ tur niſi ea die qua dictum argentum fuerit
„ partitum: & quod de dicta partitura dicta
„ talis perſona debeat eſſe in concordia cum
„ dicto magiſtro Johanne. Item quod dictis
„ monetis ſic ut premittitur fiendis non de-
„ beat fieri ſazius de minori quantitate mar-
„ carum quingentarum dictarum monetarum;
„ ſed ut dictus magiſter Johannes facere poſſit
„ ſolutiones perſonis que ponent argentum in
„ cecha pro faciendo dictos Carrarinos ad
„ terminos ſupraſcriptos modis & ordinibus
„ infraſcriptis debeant obſervari videlicet
„ quod ad omnem inſtantiam & requiſitionem
„ dicti magiſtri Johannis officiales ſuper hoc
„ deputati ſeu deputandi debeant ire ad ce-
„ cham predictam, & de Carrarinis ſupra-
„ dictis levare & accipere debeant pro qua-
„ que marca Carrarinum medium: & quod
„ Carrarini ſic levati & accepti debeant poni
„ in uno ſacchetto qui debeat bullari bullo
„ ſive ſigillo dicti magiſtri Johannis, quo
„ bullato debeat poni penes perſonam ydo-
„ neam eligendo per dictos officiales & per
„ dictum magiſtrum Johannem. Et cum facte
„ fuerint marche quingente dictorum Carra-
„ rinorum, quod tunc de dictis Carrarinis
„ ſic acceptis & bullatis debeat fieri ſacius ad
„ contum & ad ligam per hunc modum; vi-
„ delicet quod dicti officiales debeant per
„ quamcumque perſonam eis placibilem, dum
„ tamen ſit bonus aſazator, fieri facere
„ unum ſazium qui ſit unius quarti quarti
„ uncie & non minor; & ſimiliter dictus
„ magiſter Johannes facere debeat unum
„ alium ſazium de predictis Carrarinis ſic
„ bullatis tanti ponderis videlicet quarti unius
„ uncie, quibus factis in preſentia dictorum
„ officialium videatur ſi dictus magiſter Jo-
„ hannes & dictus aſazator erunt concordes:
„ & in caſu quo non eſſent concordes, ipſi
„ magiſter Johannes & aſazator predictus fa-
„ cere debeant tot ſazios donec erunt in con-
„ cordia: Et ſimiliter debeat obſervari mo-
„ dus ſupraſcriptus in dictis monetis dicto-
„ rum ſextinorum & pizolorum; ſalvo quod
„ cum fabricate fuerint uſque ad quantitatem
„ quingentarum marcarum dictorum ſextino-
„ rum & pizolorum, per officiales ſuper
„ hoc deputatos debeant dicte quingente mar-
„ che valde bene miſceri, & de dictis mar-
„ chis quingentis ſolemniter ſazium debeat
„ elevari & fieri facere modo ſupraſcripto
„ Carrarinorum. Item quod dictus magiſter
„ Johannes dare & ſolvere teneatur aſazatori
„ predicto de quaque delivrancia marcharum
„ quingentarum ſoldos quadraginta & non
„ plus, & quod ad majorem ſolutionem mi-
„ nime teneatur. Item quod dictus magiſter
„ Johannes habere debeat ſalem ſibi neceſſa-
„ rium pro laborando ad rationem librarum
„ trium parvorum pro quoque ſtario, ad
„ menſuram ſtarii bladorum ſolvendum tamen
„ per dictum magiſtrum Johannem. Item
„ quod dictus magiſter Johannes poſſit condu-
„ cere ſeu pro eo conduci facere, & extra-
„ here & extrahi facere omnem quantitatem
„ argenti & rami ac cujuslibet alterius rei


„ ſibi


Digitized by Google


„ ſibi neceſſarie pro ſupraſcriptis & infraſcrip-
„ tis ſine ſolutione alicujus dacii vel gabelle .
„ Item quod quelibet alia perſona poſſit con-
„ ducere argentum in Paduam ſine ſolutione
„ alicujus dacii vel gabelle . Item quod ali-
„ qua perſona terrigena vel forenſis non au-
„ deat vel preſumat tenere nec expendere in
„ Padua vel ejus diſtrictu palam vel occulte
„ aliquam monetam falſam vel tonſatam vel
„ retonditam . Item quod dictus magiſter
„ Johannes dare & ſolvere teneatur tajatori
„ qui incidet ſeu ſignabit ferros de duoque
„ milliario dictarum marcarum ſupraſcripta-
„ rum libras duodecim parvorum & non plus,
„ & quod ad majorem ſolutionem minime
„ teneatur . Item quod dictus magiſter Jo
„ hannes habere debeat & quod ſupradicti
„ factores nominibus ſupraſcriptis dare te-
„ neantur uſque ad dictum terminum quorum
„ annorum unam domum habilem & ſufficien-
„ tem pro laborando & faciendo artem pre-
„ dictam , pro qua dictus magiſter Johannes
„ nullum affictum nec ſolutionem ſolvere te-
„ neatur . Item quod dictus magiſter Johan-
„ nes debeat eſſe exemptus & immunis cum
„ tota ſua familia ac omnibus ſuis officialibus
„ familiaribus & laboratoribus ab omnibus &
„ ſingulis oneribus & factionibus realibus &
„ perſonalibus civitatis Padue & ejus diſtri-
„ ctus . Item quod ad omnem inſtantiam &
„ requiſitionem dicti magiſtri Johannis omnes
„ & ſinguli ejus officiales & laboratores &
„ familiares qui ſi ſibi tenerentur & obligati
„ eſſent in aliquo quoque tempore , pro quo
„ apparerent ſcripti debitores ſuper libris di-
„ cti magiſtri Johannis ſcripti manu ſua vel
„ ſuorum officialium ; debeant per quoſcum-
„ que officiales & rectores prefati Domini ,
„ & domini Poteſtatis Padue aſtringi & com-
„ pelli realiter & perſonaliter ad dandum &
„ ſolvendum omne id quidquid dare teneren-
„ tur & apparerent ſcripti debitores ſuper
„ dictis libris dicto magiſtro Johanni ſumma-
„ rie & ejectis cavillationibus quibuſcunque .
„ Item quod dictus magiſter Johannes non te-
„ neatur nec ſit in aliquo obligatus pro aliqua
„ moneta que ullo tempore reperiretur falſa
„ vel non bona extra dictam cecham , ſed
„ ſolummodo obligatus ſit & teneatur pro illa
„ moneta que erit ſub cuſtodia & clavi offi-
„ cialis ad dictam cecham ſpecialiter deputa-
„ ti . Item quod de liga nec de pondere ali-
„ cujus monete reperte expendite per aliquod
„ tempus extra dictam cecham contra dictum
„ magiſtrum Johannem per aliquam perſonam
„ non fiat nec moveri poſſit aliqua lis vel
„ controverſia . Item quod dictus magiſter
„ Johannes poſſit extrahere vel extrahi facere
„ omnem quantitatem argenti batuti in foliis
„ extra civitatem Padue & ejus diſtrictum
„ abſque aliqua ſolutione dacii vel gabelle .
„ Item quod dictus magiſter Johannes poſſit
„ extrahere vel extrahi facere extra civitatem
„ Padue & diſtrictum omnes bombardas &
„ omne aliud laborerium de ramo bronzio
„ vel de cupro vel de alio metallo , que eſ-
„ ſent neceſſaria illuſtri domino marchioni
„ Ferrarie ; & ſimiliter omnem quantitatem
„ pulveris a bombarda : & ſimiliter conduce-
„ cere vel conduci facere in Padua & in di-
„ ſtrictu omne metallum & res que pro dictis
„ bombardis vel aliis laboreriis vel pulvere a
„ bombarda eſſent neceſſaria , abſque ſolu-
„ tione dacii vel gabelle : quod poſſit ire Fer-
„ rariam ad probandum dictas bombardas
„ ſine aliquo impedimento , prout tenetur
„ prefato domino Marchioni vigore pactorum
„ ſuorum . Item quod ſi dictus magnificus
„ Dominus dicto tempore duorum annorum
„ vellet aliquam aliam monetam argenti
„ quam ſuperius dictas facere fabricari , idem
„ magiſter Johannes eam & eas ad libitum
„ dicti Domini fabricare & cudere teneatur
„ pro dicta ſolutione ſoldorum duodecim pro
„ qualibet marca ; ut ſuperius dictum eſt .
„ Item quod aliquis forenſis vel mercator qui
„ ad preſens non habitaret Padue , non poſſit
„ ponere aliquam quantitatem argenti in ce-
„ cha , niſi prius ſit in concordia cum dicto
„ magiſtro Johanne de termino ſolutionis .
„ Item quod dictus magiſter Johannes debeat
„ tenere dictam cecham & in ea laborare ,
„ & dicti factores eam ſibi relaxare teneantur
„ pactis & conditionibus ſupraſcriptis ſine
„ alicujus obſtaculo & contradictione uſque
„ ad dictum terminum dictorum duorum an-
„ norum incipiendorum die prima menſis au-
„ guſti proxime venturi ; & ſi caſus contin-
„ geret , quod in capite dictorum duorum
„ annorum dictus magiſter Johannes eſſet in
„ concordia cum prefato Domino , & com-
„ mune Padue amplius laborandi in dicta ce-
„ cha , quod tunc & eo caſu idem magiſter
„ Johannes ſine aliqua lite & controverſia ſibi
„ per aliquem movendis tam pro dicto quam
„ temporibus retroactis & non obſtantibus
„ aliquibus per ipſum actis temporibus elapſis
„ quoquo modo per ipſum tantum obſervatis
„ pactis & conditionibus ſupraſcriptis debeat
„ libere licentiari , & ſibi fieri unam litte-

„ ram

Digitized by Google













































Digitized by Google

Tab. XC.



Digitized by Google

„ ram familiaritatis prefati Domini, & bul-
„ leta libera eundi extra Paduam & diſtri-
„ ctum cum tota ſua familia, & portando
„ omnes ſuas maſſaricias libere & expedite
„ ſine ſolutione alicujus datii pedagii vel ga-
„ belle. Quam locationem & pacta & omnia
„ & ſingula ſupraſcripta in preſenti contractu
„ contenta promiſerunt dicte partes attendere
„ obſervare & adimplere ſub pena ducatorum
„ ducentorum auri, hinc inde ſtipulatione
„ promiſſa (&c.) De quibus omnibus &
„ ſingulis requiſiverunt & rogaverunt dicte
„ partes me Zilium notarium infraſcriptum
„ ut deberem conficere & tradere utrique
„ parti publicum inſtrumentum.

Ego --- &c.

A Berlin le 5. Maj 1711.

MONSIEUR

--- --- --- M. Schott. Vous verrez dans nos *Miſcellanea*, une Diſſertation par la quelle il prouve que nôtre Roi poſſede dans ſon Cabinet, dont il eſt Gardien, la plus ancienne Medaille qui ait eté frappée parmi les Grecs. Il prepare un autre diſſertation, pour nôtre Second Voſume, par la quelle il prouvera que le Roi poſſéde auſſi la plus ancienne Medaille des modernes. Elle eſt de *François Carraria*, que (&c.) & elle fu frappée lors qu' il ſe rendit maitre de la ville de Padoüe.

Des Vignoles M.

Hæc ad Cap. XIV. Pars eſt litterarum quas ante triginta tres annos dederat Vignolius ad Bern. Zendrinum modo Reip. V. Mathematicum. Nec dubium quin de nummiſmate noſtro. Eas ipſe Zendrinus obtulit ex autographis.



ADNOTATIO

De annulo Marſilii.

AUdieram extare Venetiis apud Sanutos annulum Marſilii de Carraria, qui ſecundus ex ea gente Princeps. Idque memoriæ mandaveram. Sed alia ex aliis indaginem diu trahebant. Expleto nunc opere ſignatiſque jam tabulis, eo animum verti. Adii Aloyſium Zenum veteri jure famulitii. Ipſe rem facile ab Sanutis impetrabat. Adeo viri proceres in meo conatus ierunt.

Annulus ex auro eſt, habetque gemmæ loco diſcum pariter ex auro, qui volvitur in facies duas. Altera currus eſt, de quo vere Poeta caneret:

Aureus axis erat, temo aureus, aurea ſummae
Curvatura rotae, radiorum quoque aureus ordo.

Altera facies habet galeam, ſubjecto plauſtri clypeolo. Rota in caſſide eſt, eamque circum brachia duo veluti cornua tenent, quæ palmis utrinque reductis in arcum deſinunt. Additas brachiis manichas ii globuli probant a cubitis ad manus: & hæ neſcio quid chirothecarum præferunt. Ea viri militaris ornatum produnt; nam togatus amictum præterea laxiorem deſuper indueret, ut ævi picturæ ſtatuæque docent aliæque memoriæ. Juxta ſunt S. atque M Ea Sigillum Marſilii explices. Ita famæ res ipſa congruit, annulumque Marſilii non indubium obtines.

Habuit ea quidem ætas & Marſilietum qui de ſanguine Carrigero, qui Patavinorum quoque princeps; unde *Sigillum Marſilieti* legendum hoc crederes. At Marſilieto clypeus erat gemino curru ac leone gemino; quod Gatarus ait, quod capite X. probatum eſt. Is etiam *brevi fuit atque exili corpore, minuta facie*: teſte Vergerio rer. Italicarum pag 176. Tom. XVI. Contra annuli ſpecies hominem probat lacertoſum, pleniſque mem-

Digitized by Google

bris, ut æream vides imaginem.

Habuit ea quoque ætas Michaelem de Rabata *fide consilio militarique gloria* probatum Vergerio pag. 191. ac reliquis. Hunc *Junior* utique de Carraria *tam bene de se deque genitore suo meritum signis armis cognomine familiæ donavit, ac deinceps Carrarienſem appellari posse dedit* anno MCCCXCIII. die XX. novembris. Ex quo *Sigillum Michaelis* hoc interpretandum contenderes. At non is erat sculpturæ mos anno MCCCXCIII. ac deinceps. Adderent flosculos flosculis, & lineas implicarent lineis; adulterarent litteras, augerentque phaleras, aliasque scalptorum technas. Hæc etiam clarius ex ipsis archetypis noscas. Eaque jam Capite IX. perspecta sunt.

Contra nihil horum Marsilio repugnat, alia consentiunt. Non repugnat annuli materies, auro scilicet obrizo, quæ deceat principem. Non annuli moles quæ deceat Marsilium, *proceræ* nempe *staturæ*, qualem Vergerius ait pag. 158. Non annuli modus & ars ei non tantum seculo, sed tempori congruens. Adde locum; quippe constat annulum emersisse primum apud Carrariam, quo Marsilii corpus elatum est. Ego hac occasione viri arcam atque epitaphium spectavi. Spectarunt & alii; postremos elogii versus ita legerunt.

Annis millenis tercentum terque decenis.
Bisque quater Christi benedicti luce peracta.

Sed in mausoleo est. *Benedicti luce sacrata*; quod historiæ congruit. Nam *die XXI. mensis martii in festo Sancti Benedicti dominus Marsilius de Carraria migravit ad dominum*; velut in additamentis ad Rolandinum pag. 142. Venetis typis. Consentiunt Gatari, Cortusius, alii. Hæc minuta res; ex qua tamen intelligas *inscriptionibus* etiam *Patavinis* haud cessisse feliciter apud nostros. Ego quas in archetypis inspicio semper in editis emendandas ag oſco. Marsilii testamentum est *millesimo trecentesimo trigesimo octavo indictione sexta die dominico octavo mensis martii*, quo *corpus* efferri *suum* jubet *apud locum Carrarie*. Causam habet, *ubi* inquit, *majorum suorum corpora sunt*. Ex autographis apud Papafavios. At majores suos apud Carrariam ceteri quoque Carrarienses habebant. Et tamen Jacobus, & Marsilietus ad D. Antonium delati sunt; Ubertinus, & Jacobus alter ad D. Augustinum, Franciscus ad D. Baptistam: alii alio. Itaque Marsilius aliis etiam causis apud Carrariam condi se jusserit. Una forte est, quod vellet eo loco quiescere moriens, in quem vel augendum vel ornandum vivens intenderat. Ibi enim scilicet ad D. Stephanum nescio quid mihi animadvertere videbar, unde munificentiam Marsilii conjicerem. Erat hoc antiquum putei labellum. Saxi quidem moles exesa nonnihil ævo manuque. Sed has tamen exhibet adhuc celatorum notas. Exagonum puteal est habetque totidem facies. Habet una galeam serpentis, adiectamque parmulam, sed abrasis hanc signis. Altera currulem fert rotam. Tertia pariter habet rotam. Quarta galeam serpentis alteri geminam, scutulo rursus appositio, fractisque symbolis. Quinta clypeum dat, ipse crucem. Sexta denique rotam. Species operis æquæva Marsilio est. Marsilium vix isthic non sentias. Crucem Patavii symbolum novimus; in nummo, qui tertius in tabulis erat, serpentem vidimus; in annulo rotam tenemus, omnia Marsilii. Quam itaque habes in annulo, habes & in puteo rotam ad galeam Marsilii; quodque postulabatur, hic jam tenes. Nam memini me capite XI. diu anxium, quo Gatarum nummo tertio conciliarem, Gataro leopardum, nummo serpentem ferentibus in casside Marsilii. Res eo steterat, ut ipsi adstrueremus alterutrum, licet ex conjecturis. Hic ea fidentius exequimur, addimusque tertium Marsilio *cimmerium*, sic enim vocabant; leopardum Gatari, serpentem nummi, rotam sigilli.

Nam tres etiam Francisco galeas adsignant Gatari. Prima est Æthiops, de qua sæpius in hoc opere memoratum est. Altera est ala, de qua MCCCCIV. mense augusto, pag. 896. *bandiera rossa col ciniere dall' ala con la targa del carro*. Tertia est non una sed ala duplex. anno MCCCLXXXVII. mense martio. *Se mise in testa el suo bazinetto, sopra lo quale si era uno ciniero con doe ale doro*. Hæc de juniore Francisco. Quid senior? Age funus ejusdem quale Vergerius exhibet etiam Tom. XVI. rer Italicar. pag. 191. *pendentia*, inquit, *ab humeris eversa scuta ferebant. aderant tecti undique sonipedes. Alii sanguineam rotam, alii ejusdem coloris currum, alii pendentes retro galeas illis, quibus uti solebant, chimeriis ornatas, utpote rota, ala, atque Æthiope*. Legi hæc expressius in alio codice *illis quibus uti solebat chimeriis*, ut omnino Franciscum poscant. Dedit codicem Guillelmus e campo S. Petri. Tres etiam Senior Æthiopem, rotam, alam cassides habet.

Aliis

Digitized by Google

Aliis autem Carrarienſibus idem ceſſiſſe credimus, ut galeas plures ac cimmerios & conos haberent, quam de quibus eſt apud Gataros. Ea nunc invidet ætas. Hæc etiam decora galearum puto advenſaſſe noſtris ex dominatione locorum. Nam MCCCXCVII. menſe auguſto, quo Junior apud Gatarum luſtrabat urbis & agri copias, ita procedere videas oppida Carrarienſium.

Primum eſt Miranum. Huic *teſta d'aquila* vexillum eſt.

Alterum eſt Oriacum. Huic *rota roſſa* vexillum eſt.

Tertium eſt Carraria. Huic *carro roſſo* vexillum eſt.

Quartum Caput ſylvæ. Huic *teſta di ſerpente bianca* vexillum eſt.

Quintum eſt Arquada. Huic *ala d'un' aquila nera* vexillum eſt.

Sextum eſt Titulus. Huic *colomba bianca* vexillum eſt.

Septimum eſt Plebs. Huic *ale due roſſe* vexillum eſt.

Alia prætereo. Rota eſt in vexillo Oriaci, quæ in vertice Marſilii, primique Franciſci. Currus in vexillo Carrariæ, qui duplex in vertice primi Jacobi. Serpens in vexillo Capitisſilvæ, qui rurſus in vertice Marſilii, ac ſecundi Jacobi. Ala eſt in vexillo Arquadæ, quæ pariter in galeis utriuſque Franciſci. Geminæ quoque alæ in vexillo Plebis, & hæ rurſus in vertice novelli Franciſci. Tot vexillorum teſſeras affines Carrigeris haud quidem fortuito, ſed cauſa dominiorum putamus inductas. Movet me magis Montagnanæ vexillum, quod *un carro bianco e per cadauna ruota una ſtella d'oro* Gatarus ait. Illud enim non aliunde quam de Carrarienſibus eſt. Eas ergo Signorum notas aut loca a dominis, aut domini a locis habebant. Ut etiamnum principes ac toparchæ ſymbola vel urbium vel arcium, quas habent, inſerunt ſuis clypeis, ſi volunt. Hæ quia nummis quoque communia ſunt attingere placuit. Viam quippe ſternunt undecumque noſcendis & iis quos habemus, & iis quos aliquando proferet ætas. Nec omnia collegi, quoniam non eorum præſens uſus eſt.

Si quid hæc etiam merito ſui placent, maxime Patavinis debeas; quorum gratia ſedulitate ſtudiis ea mihi tabularia præſto ſunt, muſæa proſtant, bibliothecæ patent, alia ſuppetunt. Ii quippe non degenerem patriæ animum ferunt; eaque benevolentia factum eſt, ut & iſta nunc Re Nummaria conſtarent, & in poſterum ad majora ſpes ſit.

Perge igitur, ut facis; & victis ævo redde novitatem.
Symmach. lib. VII. epiſt. XX.

Digitized by Google

Digitized by Google

FERDINANDI SCHIAVINI

OBSERVATIONES IN VENETOS NUMMOS

A CLARISSIMO MURATORIO EDITOS;

ALIIS ITEM DE NOVO ADJECTIS;

QUIBUS ACCESSERE

NOVA ADDITAMENTA AD NUMMOS MEDIOLANENSES,

Qui in Muratoriana collectione desiderantur,

EX MUSEO

J. U. D. CANONICI CAMMILLI SCHIAVINI

DEPROMPTA.

Digitized by Google

Digitized by Google

CLARISSIMO VIRO

PHILIPPO ARGELATO BONONIENSI

FR. FERDINANDUS SCHIAVINI

CREMENSIS AUGUSTINIANUS

INSUBRICÆ, *ut vocant*, OBSERVANTIÆ

S. P. D.

Quum quatuor circiter ab hinc annis Cremæ adfuisses, ut operi tuo elucubrando, Bibliothecæ *nempe* Scriptorum Mediolanensium, *materiem congereres; quodve tam feliciter, tantoque cum Eruditorum plausu, ad umbilicum perduxisti; Tunc, inquam (ubi & primùm invisere datum fuit, nec levem talium Scriptorum tibi messem suppeditare) ex variis, quæ habuimus colloquiis, incidit & sermo de Dissertatione XXVII. inter Muratorianas Antiquitates medii ævi, quæ* De Moneta, sive jure condendi nummos *inscribitur, quam, ut candidè verum fatear, non sine magna animi oblectatione prælegeram. Extemplo tuum mihi votum aperuisti, illam iterum typis tradendi variorum Authorum animadversionibus, taisque additamentis exornatam, ut res nummaria rudium Sæculorum majus assequeretur incrementum. Nuncium hocce quam libenter excepi: eo vel maxime quod in earum monetarum studio aliquantulum delectarer, haud desperans novissimis hisce aliorum laboribus me profecturum. Verum, ut major lux affulgeret rei tenebris adhuc maximè involutæ, meam quoque tibi mentem aperui, curares nempe hacce in editione, si qui ederentur nummi, vel de jam editis ageretur, ut eorum pondus, & quoad fieri posset, argenti, vel auri bonitas, valor, sive pretium, & id genus patefierent; Quodve utinam & Muratorius in præfata Dissertatione, & Palatius in Fastis Ducalibus Venetorum Ducum, aliive præstitissent! Sic enim res monetaria medii ævi non nudæ sane, ut assolet, eruditioni: quin immo maximæ inserviret utilitati, quippe quæ ad deprehendendum, nedum mercium, prædiorum, aliarumque rerum verum pretium, sed & monetarum variorum temporum intrinsecum valorem, regiam sterneret viam. Memini & Nos de Venetis nummis verba feciisse, circa quos, quum doctissimus Muratorius judicium aliquando suum quasi conjectans ediderit, monui ego, non unum sane in errorem incidisse; quod quidem omnino est ipsi donandum, Viro nempe (mirum quantum) occupato, cui otium non suppeteret ad Venetos Historicos, vel in Re Nummaria Peritos adeundos. Adnotare me tunc jussisti, quæ a vero recedere noviissem; Sed, quod leve hoc esset, ad alias animadversiones enucleandas me impulisti, quod quamquam ægre, ut tamen tibi morem gererem, me præstiturum pollicitus fui. Neque sane ingratam rem, vel hujusmodi monetarum studiosis, vel ipsi Muratorio veritatis amantissimo fore arbitratus sum, si quod de nummis scripsere Veneti Historici in medium proferrem; subjiciendo, ubi opus esset, & quæ mihi*

Digitized by Google

hi quantulacunque Rei Nummariæ peritia ſuggereret. Quod ſi in tanta antiquitatis caligine aliquando in errorem labi mihi obtigiſſet, paratum me exhibui nedum palinodiam canere, ſed vel veritatis ſitientem de Peritiorum correctionibus gaudere. Tuo igitur coactus conſilio, Vir Clariſſime, haſce, quæcunque tandem eæ ſint, obſervationes elucubravi, & quantum potui (verum potui quamminimum) ad praxim revocare ſategi. Quum inſuper in Muſeo Fratris mei inter varios, quoſdam repererim nummos, qui in præcitata Diſſertatione deſiderantur, ut locupletior prodiret editio, iſtos etiam tibi ſubjeci, ut incidendos curares, quod & facturum tuis humaniſſimis Epiſtolis ſpopondiſti, ſicut & ego ipſos explicare conatus ſum, utinam feliciter! Accipe igitur Vir Cl. quæ, ut noris, tua potius quam mea ſunt, eaque, ut ut ſunt, æqui bonique conſule. Vale interim Vir Clariſſime, & de re literaria meritiſſime, meque tibi addictiſſimum, uti ſoles, ama.

Dabam Cremæ VII. Kal. Novembris MDCCXXXXVI.

OB

Digitized by Google

OBSERVATIONES

IN VENETOS NUMMOS

A CL. MURATORIO EDITOS.

Circa primum inter Venetos nummum, qui magnam ſane præſefert antiquitatem, quique plurimum ſimilis eſt Groſſis Turonenſibus (quorum & unum adſervat Frater meus ponderis denariorum trium, cum granis duobus, a quo tamen edendo abſtineo, quum editus reperiatur in collectione Muratoriana in nummis Regum Francorum num. VIII.) tum aliis ejuſdem ævi, non eſt cur immorer. Quum enim, ut monet laudatus Muratorius, iſte a præclariſſimo Senatore Dominico Paſqualigo illuſtratus ſit, *ſuperſedendum huic labori cenſeo*: quemadmodum de S. P. Auguſtino ajebat Hieronymus adverſus Pelag.: *ne dicatur mihi illud Horatii: in Silvam ne ligna feras. Aut enim eadem dicemus ex ſuperflua: aut ſi nova voluerimus dicere, a clariſſimo ingenio occupata ſunt meliora*. Ea propter ad ejuſdem diſſertationem typis vulgatam Lectorem remittendum cenſeo.

Verum non eſt mihi prætereundum quod Muratorius in fine paragraphi ait: *Anno autem MCXCII. tum ſolum Henricus Dandulus Dux* (cujus eſt Nummus II., quem explanare pergit) *nomen ſuum in Venetis Nummis exprimere cœpit*. Fallitur enim præſtantiſſimus Author, quum jampridem eundem morem inoleviſſe certa nos doceant monumenta. Teſtis in primis ſit mihi Muratorius ipſe, qui paullo ante (col. namque 646.), ut Venetæ Monetæ antiquitatem probaret, laudaverat Andreæ Danduli textum, qui ad Annum MXXXI. de Urſo Urſeolo Patriarcha, ac Viceduce agens ait: *Hic monetam parvam SUB EJUS NOMINE, ut vidimus, excudi fecit*; Nec enim monetam ſignandam ſtatuit quod Patriarchali Infula decoraretur (quum aliis nequaquam obtigiſſe compertum ſit); ſed quod Dux, ſive Vice Dux ad Rempublicam adminiſtrandam aſſumptus eſſet; quaproter & Ducum catalogo adſcriptus fuit, ut ipſe quoque Dandulus, & alii teſtantur. En igitur centum ſexaginta & uno annis præcedentibus hic mos invectus.

Quinimo autumo & aliam monetam ab immediato Danduli Prædeceſſore percuſſam, ejus pariter Nomine inſignitam fuiſſe, quum ab Nomine eodem & *Aureus & Aureola* communiter vocitaretur: Hoc enim uſuveniſſe vix credibile eſt. niſi Ducis *Aurei* nomen ibi inſcriptum fuiſſet.

Sed quoniam in hujus monetæ aliàs celebris mentionem incidimus, non incongruum arbitror in ea tantiſper immorari, quod plura de ea diſſona & leguntur, & audiuntur; tantoque etiam magis quod hic locus eſſet, ſervato temporum ordine, de ea diſſerendi, ſi ſors dediſſet, in aliquo forte Muſeo deliteſcentem, ipſam reperire, & typis edere.

Author obſervationum in Veronenſes Monetas, quæ extant in calce Tomi I. Chron. Veron. Petri Zagatæ impreſs. Veronæ 1745. de hac moneta ait: *In Venezia finalmente nell' Anno 1173. fu coniata una lira d'oro detta Aureola*, quam ſuperius, ut de aliis quibuſdam ſimilibus nummis prænunciavit, Duplæ aureæ, & in auri bonitate, & pondere æqualem circiter indicaverat. Verum toto Cœlo aberrat nuperus hic Author, quum anno prædicto necdum *Aurius* (a quo, ut prædixi, *Aureola* nomen ſumpſit) Ducali Corona inſignitus eſſet, ſed ejus Anteceſſor Sebaſtianus Ziani; nec aurea eſſet moneta, nec conſequenter demum libram auream, vel duplam coæquare poſſet; ut infra oſtendam.

Quum inſuper in MS. Chronico Danduli, quod in Bibliotheca Ambroſiana adſervatur, notas varias Anonymus quidam interſeruerit, quas cum Chronico ipſo Muratorius Tomo XII. Rer. Ital. innexuit, inter eas & hæc reperitur: *Aurio Maſtrophoro Duce* (indiferenter enim hic Dux & Maſtrophones, & Maſtropetrus appellabatur) *percuſſus eſt nummus dictus Aureus, diuque in uſu Urbis fuit; quorum ſinguli quinam libram valerent; Unde diu ſervatum quod in Actis in mentione pœnæ ap-*

Digitized by Google

ponerentur quinque libræ auri. Verum si rectè video, & hic longe aberrat arbitrans *Aureolam* excessivum tunc temporis quinque librarum valorem obtinuisse. Meæ sententiæ subscribere non metuent quicunque exploratum habent tum tenuem eorum temporum monetarum valorem, tum auri argentique parcitatem.

Verum, ut quid de *Aureola* sentiendum sit, constet aperte, audire operæ pretium est diligentissimum Sanutum (Tomo XXII. Rer. Ital. col. 521.) qui de adservatis vel minutioribus Reipublicæ monumentis est optimè meritus. Hæc igitur ille scribit: *Nel* 1182. *sotto questo Doge* (nempe Aurio Mastropetro) .... *ancora fu fatta una moneta d'argento, che si chiamava Aureola per la Casata del Doge, e quella moneta, che i Notai di Venezia mettevano di pena sotto i loro Istromenti*. Eadem ferè habet & Sabellicus lib. 8. Deca. 1. pag. mihi 47. tergo.

Ex quibus Sanuti verbis plura colligere possumus; atque in primis, quod si ex Familia, sive Agnomine Ducis, *Aureola* vocabatur; nomen igitur Ducis expressum in nummo fuisse necesse fuit, ut prædixi. Constat insuper ex eisdem verbis, quibus monetam argenteam declarat, auream libram non extitisse; nec consequenter ad Duplæ aureæ valorem prope accessisse contra Veronensem Observatorem. Neque insurgit Observator idem contendens Ducem Aurium præter mox laudatam argenteam Aureolam, & aliam auream percussisse; Nam ipsi repono: Cur ergo Sanutus argenteum nummum memorans, aurei postea oblitus est? Verum, ut omne ei adimatur effugium, fidenter affero, Mastropetri tempore nec dum sueviſſe Rempublicam auream pecuniam cudere, quam post integrum sæculum solum percutere statuit. Vadem do ipsum Sanutum, qui de Jo: Dandulo Duce sic ait: *Nel* 1285. *sotto questo Doge avendo avuto i privilegj da' Papi, e dagl' Imperadori, di poter fare stampare, e coniare monete di rame, d'argento, e d'oro, fino a questo giorno stamparono d'argento. Al presente ec.*

Ex quo demum argentea fuerit Aureola perspicuum est ad quinque librarum valorem pertingere non potuisse, contra id quod contendit Adnotator Codicis Ambrosiani, quum retroceſſis sæculis, uno aut altero ex postremis dempto, nec mos fuerit majoris moduli argenteas monetas signare, ut videre est in Le Blanc, & Ducangio circa nummos Gallicos, & sic pariter in Muratoriana collectione quoad Italicos. Immo nec tanti valuisse vel ipsos aureos nummos, ut de aureo Floreno cuso Florentiæ anno 1252. testis est Jo: Villani, qui de ejus valore pronunciat: *contavasi l'uno soldi venti*; Sicut de aureo Ducato Veneto testantur Administri Magistratus monetariæ Officinæ Præsidis primævum ejus valorem extitisse solidorum quadraginta grossorum, seu, ut alii judicant, trium circiter librarum parvulorum.

Verum, reclamabunt Oppositores, quomodo subsisterent, quæ de hoc nummo tradit vel ipse Sanutus iis verbis: *E quelli moneta, che i Notai mettevano di pena ec.* quam pœnam quinque librarum extitisse plurima nos edocent Instrumenta? Iis tamen in promptu responsio est: non sic intelligendum esse Sanutum, ut ipse nummus quinque libris appretiaretur; sed quod quinque illæ libræ componerentur ex ea monetæ specie, quæ *Aureola* nuncupabatur; Quod si etiam *libræ aureæ* vocitabantur, non quod aureæ, sive ex auro revera essent, sed quod ab *Aurio* Duce nomenclaturam sumerent, censendum est. Et quidem si fides manuscripto, quod adservo, sed nullam sane redolet antiquitatem, id ipsum innuit, quod dicebam: ait enim: 1178. *Doge D. Orio. Mastropietro furono stampate monete d'argento, nominate Aurelj, quali pesavano carati X. l'una* (denarium nempe unum cum granis sexdecim) *e valevano soldi due*. Et inferius de aureis Ducatis agens a Jo. Dandulo primum percussis ait: *a moneta d'Aurelj valevano Aurelj* 31. libras namque tres, & solidos duos *parvulorum*. Unde patet, monetam, de qua Sanutus agit, diversam esse a moneta *parvulorum*, ex qua conficiebantur quinque illæ libræ, ad eum modum, quo distinguebatur moneta *grossorum*; & fortasse eadem fermè fuit ac moneta ipsa *grossorum*. Atque demum manifestum fit, plura, que de *Aureo*, sive *Aureola* venditantur, esse purum putum commentum ortum ex equivocatione *Aurei*, quod & aureum nummum, & Aurei Ducis monetam significare aptum est. Se de hoc satis, superque.

Secundus nummus a Cl. Muratorio editus, qui Henrici Danduli nomen exprimit, indubitanter ex illis est, qui vulgo dicebantur *Grossi*, vel *Mattapani*: Circa quorum valorem Authores in diversa abeunt. Andreas Dandulus a Muratorio laudatus asserit quidem extitisse valoris *viginti sex parvulorum*; Verum Sabellicus lib. 8. Deca. 1. pag 47. tergo loquens de eodem Duce ait: *Ancora sotto que-*

sto

Digitized by Google

ſto Principe furono ſtampati danari, i quali da principio ſpendendoſi per la valuta di otto ſoldi, come ora, Groſſi chiamarono. De eodem Duce agens tandem laudatus Sanutus (col. 527.) ait: *In queſt' Anno* (nempe MCXCII., quo Dux fuit renunciatus, quod tamen paullo ſerius ab Hiſtorico Dandulo contigiſſe indicatur) *fu fatta una moneta d'argento, che ſi chiama Groſſo . . . . e ſi ſpendeva per ſoldi quattro Veneziani*, cui cohæret & Vocabularium poſtremo Florentiæ editum, quod vocant *della Cruſca* V. *Mattapane*. Heu in tribus Hiſtoricis tria placita! circa quæ, ut meum qualecunque judicium promam, atque laudati concilientur Authores,

Obſervare operæ pretium eſt, duas Groſſorum, ut ita dicam, ſpecies, nedum Venetiis, ſed etiam alibi jamdiu viguiſſe; unam ſcilicet minoris, & moduli, & ponderis, quæ vocabatur *Groſſo*, e *Groſſetto*; alteram majoris tum moduli, tum ponderis, licet ejuſdem ectypi, cui nomen erat *Groſſo*, & *Groſſone*. Præter has autem monetarum ſpecies, aliam etiam fuiſſe percuſſam minoris adhuc valoris, nos docent Hiſtorici, cui quidem nomen inditum erat: *Mezzanino*, quaſi medius *Groſſus*: ſicuti *Groſſonus* nuncupabatur, quaſi Duplex Groſſus; Quando igitur Dandulus ait: Groſſos fuiſſe valoris 26. parvulorum, (quorum XII. ſolidum conſtituebant) de Mezzaninis intelligendus eſt, cui concinit Sanutus laudato loco ſubjungens: *Fece fare ancora Mezzanini d'argento, e valevano piccoli 26.* Sabellicus vero intelligendus eſt de altera Groſſorum ſpecie, qui duplo valore conſtabant, nempe ſolidis octo. De prima demum Groſſorum ſpecie explicandus eſt Sanutus, dum ait: *che si ſpendeva per ſoldi quattro*.

Quænam præciſa argenti bonitas in prædictis groſſis ineſſet, pronunciare non audeo; Duos in calce vulgabo diverſi temporis, quos adſervat Frater meus Canonicus Schiavini, qui ex argento ſatis probato confecti videntur. Compertum tamen habeo, quod Sæculo XV. argenti bonitas, quæ in Venetis nummis reperiebatur, talis erat, ut in qualibet Marchia, nempe unciis octo, decem tantum æris denarii ineſſent, ſive ut ajunt Veneti, *peggio di fino carati 60*. Ex quo argui poteſt, quod priorum Sæculorum ſive Groſſi, ſive alii argentei Veneti nummi prædicta ad minus, ni forte etiam majori, bonitate gaudebant.

Tertius Nummus, ſicut & reliqui uſque ad octavum incluſivè, omnes ſub Groſſorum nomine veniunt; ideoque novo examine non indigent. Quod enim diſcriminis inter ipſos forte contigit, in ſolo pondere fuit; Quum enim temporis decurſu ſemper creſceret monetarum valor, ut Groſſi conſtituto jam valore quatuor, vel octo ſolidorum ſubſiſterent, opus fuit aliquando, ut in novis cudendis, ad debitam proportionem ſervandam cum aliis nummis, aliquod ipſis pondus adimeretur.

Nec mirandum ſi per plura ſæcula ſubſtitit hoc genus nummorum; Nam celebre admodum fuit, & in omnibus fere monetariis Italiæ Officinis Groſſi percuſſi ſunt. Atque in primis Romani Pontifices Sæculo XV. certè Groſſos ſignaverunt, quorum decem faciebant Florenum de Camera, ut habet Martinus V. in Bulla edita in Concilio Conſtantien 21. Martii 1418. Mediolanum pariter, Aſtæ, Mantua, aliæque Urbes eodem Sæculo *Groſſonos* percuſſerunt, ut tradit Albertus Brunus *de augment., & dimin. monet.* Qui Groſſi, ſive Groſſoni in Gallia etiam expendebantur anno 1456, ut teſtatur Le Blanc pag. 303.

Verum, ut ad Groſſos Venetos redeam, ſi durationem ſpectes, ſubſtitit eorum uſus ab anno 1192. ad annum circiter 1471. Qua autem cauſſa ceſſarit, accipe a laudato Sanuto his verbis: *La qual moneta* (nempe Groſſus) *ſi ſpeſe, e correva ſino al tempo del Doge di Ca* (ideſt Familiæ) *Tron, che furono banditi, perchè erano ſtronzati*.

Verumtamen poſterioribus Sæculis novos Groſſos recudit Reſpublica, ſed planè ab antiquis diverſos tum ectypo, tum pondere, tum demum argento; ita ut elapſo Sæculo in unciis duodecim ſex tantum argenti unciæ cum totidem denariis reperirentur, ut habet Doctor Baſſi in ſua Arithmetica pag. 224, ubi titulus: *Saggi di diverſe Monete*, quorum valor pariter erat quatuor ſolidorum. Eorum uſus ad præſens uſque Sæculum perduravit ad annum nempe 1722., quo, lege edita, proſcripti ſunt.

Præter recenſitos Groſſos, alii etiam imaginarii in contractibus, & per plura retro Sæcula, & etiamnum uſitatiſſimi ſunt, & *Groſſi a oro* (forſan ex prælaudato Aurio hæc vox derivata eſt) *e Groſſi di Ducato* appellantur. Hoc autem pacto accepti nihil aliud ſunt, quam vigeſima quarta Ducati pars. Sed pro pleniori intelligentia, ut mos Venetus apertior fiat,

Advertendum, alium eſſe Ducatum realem, qui vocatur etiam *Ducato d'argento*, & libris octo ad præſens expenditur; alium imaginarium, qui & vocatur: *Ducato corrente*, & libris

Digitized by Google

bris sex, solidis quatuor computatur ; Quum igitur dicimus Grossos 24. Ducatum constituere ; de hoc postremo, non de priori sermo est. Grossus insuper imaginarius in parvulos 32. dividitur, qui & ipsi imaginarii sunt. Potest autem Grossus imaginarius ad realem monetam redigi, quo pacto solidis quinque, & denariis duobus æquivalet, quibus per 24 ductis Ducatus resultat librarum sex, & solidorum quatuor. Quo ad similium Grossorum usum consuli inter alios potest Canonicus Angelus Capellius in Opere, cui titulus : *Breve compendio d'Aritmetica* impress. Venet. 1742.

Nummus IX. inter Muratorianos (sicut & XI., & XIV.) est aureus Ducatus toto ferè Orbe celeberrimus primitus sub Jo. Dandulo percussus ; ut omnes penè Veneti historici notant ; Quo tamen anno non manifestant, si unum excipias diligentissimum Sanutum ; transcripsit enim hic marmoream Inscriptionem olim a se visam in Officina monetaria, quam a me quoque exscriptam Lectori legendam exhibeo.

„ In nomine Dei Omnipotentis. Anno ab „ Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCC- „ LXXXV. mensis Martii, Indictione XIII., „ tempore Egregii Viri, & honorabilis coram „ Deo, & Hominibus Domini Johan. Dandu- „ lo inclyti Ducis Venetiarum fuit prius qui- „ dem facta Moneta auri, quæ vocata est Du- „ catus ad honorem Beati Marci Evangelistæ, „ & omnium Sanctorum, & Reipublicæ Ve- „ netorum.

Huic nequaquam consonare videtur attestatio a me visa Administri Magistratus rei monetariæ Præsidis, quæ ad annum præcedentem amandat ; hæc enim habet : 1284. 31 *Ottobre fu preso parte di stampare il Ducato d'oro da Ni nominato Cecchino*. Verum hæc facile conciliantur, si dicas, attestationem prædictam indicare tempus, quo lex de percutiendo ducato statuta est ; Inscriptionem vero explicare tempus, sive annum, quo Ducatus ipse percussus est.

Et hinc inferas velim, laudatum Veronensis monetæ Observatorem pag. 512, ubi Ducatus aurei Veneti, juxta tempora, valorem statuit, perperam uno vel altero anno percussionem ejus antevertere ; immo & multis forsan ante annis percussam supponere, quum dicat : *Prima dell'anno* 1283 *d* 3.

Alios etiam extitisse Venetos Ducatos sive aureos, sive argenteos, & quidem Dandulo anteriores, autumant aliqui, quod de iis mentio habeatur in Veneto Statuto, *lege* 1254. *De Usurariorum pœna*, *Decreto* 41., ubi inter cætera imponuntur solvendæ *libræ* 30., *solidi* 12. (Grossorum), *qui sunt Ducati undecim*, *Grossi quindecim*, *& parvuli* 32. Cui addi potest quod ad Annum 1216. referunt sæpe laudatus Sanutus, Muratorius in Annalibus Italicis, & alii ; Nempe quod quum Veneti, ac Patavini Tarvisium convenissent, ut Arcem per jocum extructam, Feminarumque præsidio munitam ludicre oppugnarent ; atque hi pullos, variaque alia comestibilia immitterent ; illi nuces, aromata, *Ducatos*, alioque nummos projecerunt, (quibus & victoria adjudicata est, quæ postea bellorum inter utrumque Populum origo fuit).

Verum nec his momentis adduci possum, ut quempiam alium antiquiorem Ducatum admittam, iis ductus rationibus, quas, de Aureola agens, exposui.

Ad rationes adversas respondendum censeo, particulam illam Statuti, in qua *Ducatus* exprimitur, additam fuisse post Veneti Ducati percussionem veluti summæ præcedentis declarationem ; Siquidem si ab initio apposita fuisset, inutilis extitisset. Et ut rem exemplo declarem : Quis non videat, quod si pœna modo taxaretur E. G. librarum 40., superflueret additamentum *quæ sunt Ducati* (hodierni) *quatuor cum libris octo* ? Cæterum si vox *Ducati* revera legi illi coæva est, dico legem illam interpretari debere de Ducatis exteris, sive Romanis, sive alterius cujusque generis, vel Provinciæ ; Ni forte subindicentur *Bisantii*, sive aurei, sive argentei, qui jamdiu, anno nempe 1043. sub Dominico Contareno, lege statuta, Venetiis expendebantur, teste Sanuto col. 476 Per quod responsio patet ad subjectum exemplum.

Aurei hujus Ducati tesseram quam similem cernimus Ducato olim Romæ percusso a Romano Senatu, & a Clarissimo Muratorio typis vulgato tum col. 565 n. 1., tum col. 695. n. 13. (quibus & alium similem possidet laudatus Canonicus Schiavini, ejusdem cum Ducato Veneto ponderis uno granulo dempto), de quo quum non plenè constet, quo anno percussus fuerit, nec facile est conjectare, an Veneti Romanum, an Romani Venetum imitati fuerint. Immo & dabo inferius alium aureum nummum ejusdem quidem ectypi, diversæ tamen Monetæ, quorum quis alteri præiverit, aliis discutiendum relinquo.

Ducati nomen, quod Veneti aureo huic nummo dederunt, per plura Sæcula constantissime retentum est, eoque ipso nomine in MSS. œconomicis libris, quorum haud exiguum

Digitized by Google

quum numerum perlegi, expensum reperio, donec declinante Sæculo XVI. *Cecchini*, vel *Zecchini* appellationem obtinuit. Qua autem de causa hæc nominis mutatio obtigerit, definire non audeo. Observator nummorum Veronensium ante laudatus autumat evenisse anno 1526.; ait enim pag. 296. *Fabbricatasi la maggior Zecca Veneta, il Ducato d'oro vien detto Zecchino*; & inferius ad annum 1556. subjungit: *Quivi il Zecchino perde affatto il nome di Ducato d'oro effettivo*. Verum, si bene memini, insignis moles pro re monetaria Sansovini opera circa annum 1560. a Republica extructa est; Nec hac de causa mutatum nomen arbitror, quum & anteriori tempore extiterit Venetiis monetaria Officina nuncupata ab Italis *Zecca*, nec propterea *Ducati* nomen mutatum est. Sed, mea quidem sententia, ideo mutatum est nomen, quia anno 1561. primum percussus est *Ducatus argenteus*, ex quo, ne æquivocatio oriretur, alteri nomen vertere optimè consultum est.

Præter hæc jam recensita nomina, ad ipsum indicandum in Gallia *Floreni* etiam nomen usurpatum est. Producit namque D. Le Blanc pag. 234. Edictum Ludovici X. Anni 1315., quo insimul cum exteris aliis monetis proscripti fuere: *Florins de Florence, Florins de Venize*. Verum apud Italos, ut debita inter utrosque servaretur discretio, vel numquam, vel certo rarissimè, tali nomine sunt appellati.

Ejus materia est aurum purum, exclusa nempe quacunque, sive æris, sive argenti admixtione, ut ex laudato Basso in sua Arithmetica, & omnibus ferè constat. Et quamvis simili auri puritate & Florentinæ Reipublicæ Florenus, qui, ut asserit Davanzatus *in sua Prælectione in Monetas pag.* 110. *Era d'oro a tutto fine*, sive ut Itali ajunt: *Di ventiquattro caratti*; (quod etiam aliis pluribus aureis tum Italicis, tum Exteris competit) sine dubio tamen Venetus Ducatus cæteris præstat, tam venustate, quam flexibilitate, & colore; Quapropter Inauratores fere omnes frequentissimè ejus auro utuntur, ipsumque alteri cuicunque præponunt.

Hodiernum ipsius pondus est denariorum duorum cum granis viginti, seu ut Veneti ajunt: *Di caratti diciasette*; Verum hoc idem pondus ei ab initio extitisse inducere in animum nequeo: quidquid in contrarium sentiant alii, quos heic reticere opportunum judico. Primigenium ergo ipsius pondus trium denariorum extitisse contendo, ideoque quatuor circiter granis moderno gravius; Quibus momentis permotus asseram breviter aperio.

Quum paullo ante Ducati nostri percussionem Florenum cudisset Florentina Respublica, anno nempe 1252. ipsum instituit ad pondus unius drachmæ, hoc est trium denariorum Romanorum; ita ut octo unciam æquarent, ut habet *Jo. Villan. lib. 6. cap.* 54. Davanzati, & alii. Credibile est ne Venetos in suo nummo cudendo non idem pondus servasse? nihil hercle. Vir Cl. J. C. Jo. Sitoni in elucubratione typis Mediolani impressa anno 1732. probat ex monetariis Edictis Mediolani, Ducatos, & Florenos unam eandemque veluti monetam (typo dempto) & synonimos extitisse, eosque Annis 1355., & 1363. fuisse ex auro optimo ad pondus trium denariorum; Et sic pariter annis 1373., 1382., 1412.; Anno verò 1474. jam pondere imminuti erant, continebantque tantum denarios duos, & grana 21., & $\frac{2}{11}$. Tandem anno 1666., teste alibi laudato Basso, ad denarios duos, granaque viginti, ut modo sunt, redacti reperiebantur. Nec mirum si Principes in re monetaria se se conforment, ut & modo in aureis Duplis, aliisque monetis manu tangimus, quum hoc plurimum ad commercii utilitatem, & commodum conferat. Quum insuper plures hujuscemodi Ducatos Sæculi XIV., & sequentis appenderim, uno ad minus grano præponderantes inveni: Evidens signum, majore antiquitus pondere constasse; & quamvis nullus, quem viderim, ad integrum pondus trium denariorum pertingat, nil mirum, quum ex frequenti eorum usu per plura Sæcula diminutionem aliquam passos esse necesse sit. Animadverti demum ex œconomicis libris Sæculi XV. Ducatum Venetum per plures annos Floreni pretium, sive valorem æquasse; immo aliquoties & superasse medio saltem, vel integro solido (qui solidi tunc temporis argentei erant). Evidens est igitur, quod si Ducatus Venetus valore æqualis ad minus erat Floreno, pondere etiam illum exæquabat.

De celeberrimo hoc nummo dicam adhuc (quod vix de alio aliquo affirmari potest) fuisse, sicut etiamnum est, toto penè Orbe spectatissimum, ejusque usum, præter Europam, & Africam, maximè in Asia frequentissimum esse.

Addam insuper, per quinque pene Sæcula numquam cessatum esse ab ejus percussione, eodem semper perfectissimo auro, eodem ectypo, eodemque pondere. (Si pauca excipias grana, de quibus supra, diminuta forsitan,

Digitized by Google

ut cum exteris debita conformitas reperiretur) Quapropter nemo inficiabitur sanè hujusce modi nummum in immensum ferè subcrevisse, non obstante ingenti eorum numero, qui quotidie, innumeris Locis ad varios usus, vel liquefiunt, vel in folia ad inaurandum rediguntur. Quod ut melius patefiat, liceat mihi modo afferre quod aliquibus circumstantibus Optimatibus, teste Sanuto, inter alia affatus est Serenissimus Thomas Mocenicus: *Voi avete veduto la nostra Zecca battere ogni anno Ducati d'oro un millione*. Hic diem clausit extremum anno 1423.

Pro coronide observationum præclarissimi hujus nummi adjicere fas esset varia ejus pretia, quibus tum Venetiis, tum aliis ejus Dominii Urbibus per diversa tempora valuisse mihi compertum est; ad dignoscendum quo pacto tum hic nummus, tum alii ab exiguo valore, quibus antecessi sæculis præditi erant, ad hodiernum usque incrementum acceperint; Sed ne modo aliorum nummorum animadversiones abrumpam, ad earum calcem reservabo.

Decimus nummus ad eos referendus est, qui *Mezzanini* dicebantur. Superius enim vidimus & sub Henrico Dandulo similes nummos fuisse percussos; verum quum illis valor inesset parvulorum 26., sive solidorum duorum, cum totidem parvulis, hic sub Andrea Dandulo cusus Parvulorum tantum duodeviginti valorem obtinuit, sive, quod idem est, solidi unius & semis, pro ut Nos docet toties laudatus Sanutus (col 616.)

Diximus supra *Mezzaninum* extitisse veluti *dimidium Grossum*, quod quamvis quo ad valorem adamussim non verificetur, & maximè de præsenti, communem tamen cum Grossis habet tum argenti bonitatem, tum tesseram, hoc dempto, quod in *Grossi* visitur Imago Servatoris in Throno sedentis, in hoc vero eadem quidem Jesu Christi Imago sed in modum resurgentis e sepulcro.

Circa hujus speciei Nummos notatu dignum existimo, quod quum percussi ter reperiantur, sub aliquo semper ex Dandulis id obtigerit. Primò nempe sub Henrico Anno 1192., & tunc valorem obtinuerunt parvulorum 26. ut diximus supra. Secundò sub Francisco, (cujus typus, sicut & præcedentis, in Muratoriana collectione desideratur) Anno scilicet 1330., & valor ipsis inerat parvulorum 18. Tertiò tandem sub Andrea (de quo & Du-Cangii glossarium a P.P. Maurinis adauctum) Anno 1347. valoris parvulorum totidem.

Undecimus, ut prædixi, aureus Ducatus est ad supradictum Ducem pertinens, unde quum, dempto Ducis nomine, idem sit cum expresso n. IX., non est cur in eo immorer; quapropter ad seguentem pergo.

Duodecimus Nummus & ipse Andreæ Danduli est, ejusdem quidem moduli, ac supra recensitus n. X sed non ejusdem ectypi; Siquidem in antica illius Dux visitur a S. Marco Vexillum recipiens, heic Dux cum eodem Vexillo solus spectatur; in illius postica exhibetur, ut diximus, Effigies Servatoris, in postica hujus apparet Leo Stans, Vexillum & ipse gestans. Solidum extitisse præsentem nummum, quem Veneti vocant *Marchetto*, fidenter affero; nec enim dubitare me sinit toties laudatus Sanutus, qui quum utriusque Danduli monetæ mentionem faciat, ne in errorem laberemur solido Leone n inesse Nos monuit. En ejus verba col 616 *Sotto il Doge Andrea Dandolo furon fatti soldi nuovi dal Lione da piccoli 12 l'uno, d'argento, e Mezzanini da piccoli 18* Quibus verbis & certi reddimur præcedentem nummum sub n. X. editum, qui ejusdem Danduli nomen præfert, verè Mezzaninum extitisse.

Dum tamen audis sub hoc Duce signatos: *Nuovi soldi dal Lione*: non hos accipias velim ut ab eodem primo cum Leone impressos credas, quum non absimiles præcedenter sub Francisco cusos monet idem Sanutus; sed hoc ideo dictum vel ex eo quia præcedentium interrupta fuerat percussio, vel quia in ectypis aliqua reperiebatur disparitas, vel pondere tandem impares erant.

Nummulus hic, sicut & præcedentes, ex argento erant satis probato, ut de aliquibus expertus sum, quos parum absimiles possidet Frater meus, a quibus tamen edendis abstineo, quum, utpote detonsi, nec integrum exhibeant ectypum, neque pondus.

Quoniam verò diximus supra solidum parvulos duodecim valuisse (quod etiamnum verificatur de solido moderno respectivè ad parvulos imaginarios) placet heic aliquid vel de ipsis Parvulis cursim attingere.

Parvuli igitur, qui a Venetis, & *Piccoli*, & *Bagattini* dicuntur, cusi primò fuere Anno 1282. sub Ducatu Joannis Danduli (sub quo mox deinde & aureus Ducatus primò prodiit, ut vidimus) Hi autem ex ære compositi fuerunt, admixta tamen aliquali argenti portione, ita ut in marchia una, seu unciis octo, unciæ quidem sex cum dimidia æris essent; reliquum vero argenti, hoc est uncia una,

Digitized by Google

una & semis. De adservata hac etiam notitia debitores sumus prælaudato Sanuto, (col. 574.) qui insuper monet, valuisse Parvulorum marchiam, libras tres, solidos quinque, & parvulos quatuor: quo posito, regulæ innixus proportionum, habita supputatione, inveni pondus parvulorum extitisse granorum quinque & $\frac{688}{784}$ sive circiter $\frac{6}{7}$

Parvulorum usus per plura sæcula invaluit; nam & exeunte Sæculo XVI. percutiebantur; Unus extat in laudato Museo percussus sub Duce Marino Grimani, qui Ducatum iniit Anno 1595. Habet hic, pro veterum solidorum more, Ducem Vexillum tenentem, sed genuflexum; in postica vero Leonem; cujus pondus granorum est 12., & ut ego quidem conjeci, ex puro ære compositus, ex quo jam monetarum pretium adauctum esset, earumque bonitas imminuta.

Præter hosce parvulos, qui, ut supra diximus, solidi pars erant duodecima, temporis successu & alii nummuli impressi sunt, qui ex eorum respectivo pretio: *Quattrini*, & *Sesini* nuncupati sunt. Cæterum cum res monetaria mox retrocesso Sæculo, proh Dii immortales! in deterius abiret, ab iis percutiendis cessatum est, solidi semis excepto, quem Veneti appellant: *Bezzo*, & *Bezzetto*, cujus usus etiamnum perdurat.

Tertius decimus nummus ejusdem omnino ectypi est cum præcedenti, si Ducis nomen excipias, unde exploratum habeo & hunc solidum esse, seu ut Veneti ajunt, *Marchetto*, quapropter neque aliquid modo addere operæ pretium est.

Quartus decimus nummus, ut prædixi, aureus Ducatus est, de quo supra satis disserui. Neque heic pariter aliquid est, quod nova animadversione egeat; ea propter ad seguentem pergo.

Quintus decimus nummus anticam exhibet eandem cum duodecimo & tertiodecimo, Ducem nempe stantem, manuque vexillum tenentem; posticam vero aliquanto dissimilem ostendit; nam heic leo alatus inspicitur, atque libro (forte Evangelii) insistens; Verum nec ob hoc alius a solidis judicari debet; Horum enim potissimum signum (ut in aliis animadverti) est Ducis sola effigies Vexillum tenentis, quæ cum in hoc quoque nummo non desideretur, & hic inter veros solidos annumerandus est.

Sextus decimus, qui Francisci Foscari nomen præfert, atque ex ære compositus, ingenuè fateor (quod & de aliis consequentibus æneis nummis dicam) mihi penitus ignotus est. Ejus typus imitatur ex parte Grossos, de quibus supra, ex parte vero nummum expressum n. XVIII., & alios quosdam sequentes; verum profecto neutri eorum accensendus est, eo quod ejusdem Ducis ætate, nec dum Grossi (quorum unum edam inferius) verum & solidi omnes argentei erant, & absque dubio præsenti abssimiles.

Legi in jam alibi laudato MS. sub Francisco Foscari nummos fuisse ex ære percussos, quibus impositum fuit nomen *Torneſi* (quod nomen ab Urbe Turonensi celebri olim in Gallia ob monetariam Officinam desumptum, jampridem & in Italiam ad designandos speciales nummos heic cusos invectum est; Sicut Ticini factum tradit Anonimus Ticinensis Tomo XI. Rer. Ital., qui nummi anno circiter 1330., quo Opus suum elucubravit, solidis quinque Papiensibus, & aliquid plus appretiabantur) quos quidem nummos pro transmarinis Reipublicæ Regionibus impressos asserunt. En ejus verba: 1430. *Doge Francesco Foscari furon battute monete nuove miste nominate Torneſi per ispendere in Levante. Tenevano d'argento per Marca Caratti* 80. denarios nempe tredecim cum granis octo. Neque hoc sane probabilitate caret: Consuevit enim Respublica, sicut & modo in more habet, pro Orientalibus Provinciis peculiares nummos, & maximè æneos percutere; immo in quibusdam vel Regiones ipsæ, ad quarum usum instituti sunt, expressæ sunt. Sic inter eos, qui in laudato Museo visuntur, in aliquibus legitur: *Dalm. & Alb.* idest. *Dalmazia, & Albania*; in aliquibus vero: *Corfù, Zante, Cef.* hoc est *Cefalonia*; in aliis demum: *Armata, & Morea*. Probabile est igitur & nummum hunc pro iis Provinciis institutum esse. Cæterum Peritioribus judicium remitto.

Decimus septimus nummus non is censendus est, ut autumat Cl Muratorius, de quo loquitur Sansovinus ab ipso laudatus, qui nempe fuerit: *Di valuta allora di venti soldi*. Quis enim inducere in animum valeat, æneum nummulum unius libræ pretium tunc temporis exæquasse? Nemo profecto. Inconcussum enim argumentum est quod Troni Ducis ætate vel solidi ipsi argentei erant. Verum de hoc infra.

Typum argentei Troni, de quo loquitur Sansovinus, evulgavit Palatius, quem veluti celeberrimi Reipublicæ nummi infra recudendum censeo. Quod ad præsentem spectat, de

eo

Digitized by Google

eò idem judicium profero, ac de præcedenti.

Nummum huic ſimilem Veronæ poſſidet Amicus meus P. Petrus Erbiſti Ord. Præd. rei monetariæ admodum deditus, quem ad me benignè viſendum tranſmiſit; ipſum autem inveni deterioris metalli; unde ipſum cenſui valoris ad ſummum hemiſolidi, immo fortaſſe tantum quadrantis.

Circa hujus Ducis nummos hoc ſilentio prætereundum non eſt, ſingulare nempe ipſis eſſe, quod naturalem ipſius effigiem præferant. Sicut namque nemo ex ejus Prædeceſſoribus talem morem invexerat (qui hoc conſilio inductus eſt ut novis hiſce nummis percuſſis, reliqui de medio tollerentur, ut plurimum vel ſpurii, vel detonſi) ſic eo vita functo, Correctores præcedenter ad novi Ducis electionem decreverunt: *Che le Immagini del Principe nelle monete ſieno ſcolpite inginocchioni dinanzi a S. Marco*; *Che non vi ſi metta ritratto alcuno*, ut refert laudatus Sanſovinus in Vita Marcelli, qui in Ducali dignitate ipſi Trono ſucceſſit. Quicunque igitur nobis objiciuntur nummi Trono ſive antiquiores, ſive recentiores, naturalem Ducum Imaginem præferentes, inter privata Numiſmata annumerandi ſunt, quorum uſum non infrequentem apud Venetos Duces extitiſſe, in Faſtis Ducalibus Palatii cernere licet.

Decimus octavus nummus Andreæ Vendramini eſt, de quo prælaudatus Muratorius anceps eſt num ex iis ſit, qui a Venetis *Oſelle* vocantur? Verum fidenter pronuncio haud quaquam eundem inter ejus generis nummos adnumerandum. Quibus ducar momentis infra exponam, quum de Chriſtophori Mauri Numiſmate a Muratorio vulgato n. XXIII. ſermo erit. Quo ad præſentem attinet, quamvis hic Vendramini nomen præferat, communiter tamen *Marcellus* nuncupabatur, quum Dux iſte is fuerit, ſub quo ſimiles nummi primum ſignati ſunt; ejuſque pretium fuit ſolidorum decem, ſive hemilibræ. Cætera autem, quæ in hunc nummum obſervanda eſſent, ad eum locum reſervare placet, quo Numinum ipſum *Marcelli* exponam, qui nunc primum ex præfato Muſeo expreſſus infra vulgabitur.

Decimus nonus nummus in Muratoriana collectione, dempto nomine Ducis, ſub quo percuſſus eſt, ſimilis omnino eſt præcedenti, ideoque communi vocabulo, communique pretio cum eo cenſebatur; Quare, ne eadem fruſtra heic repetantur, ad ſuperius dicta Lectorem amando.

Vigeſimus nummus ex ære compoſitus, quo vocitaretur vocabulo, quo pretio gauderet, penitus ignoro. Hoc unum profecto aſtruo ad ſolidi pretium haud pertigiſſe, quum vel ætate *Jo. Mocenici*, cujus nomen exhibet, ſolidi ex argento fabricarentur; Proinde vel ad aliquam Parvulorum ſpeciem rejiciendus eſt, vel certe inter nummos pro Orientalibus Provinciis impreſſos annumerandus eſt.

Vigeſimus primus ejuſdem ectypi eſt cum XVIII., & XIX., unde haud dubium eſt commune cum iis vocabulum, communem & valorem ſortitum fuiſſe. Plures iſtiuſmodi Nummi viſuntur in ſupra laudato Muſeo; verum ab iis edendis abſtinendum duco, quum nihil novi, præter Ducum nomina, exhibeant, uno excepto *Nicolai Marcelli*, qui primus (ut dixi) ſimiles nummos produxit, idemque nomen & aliis a ſucceſſoribus cuſis communiter inditum eſt.

Vigeſimus ſecundus ex ære cuſus ex iis cenſendus eſt, de quibus ſupra n. XVI., XVII. & XX., quare ne fruſtra heic immorer, Lectorem ad eos retromittens ad poſtremum pergam.

Vigeſimus tertius, & ultimus Muratorianæ collectionis eſt Chriſtophori Mauri, circa quem plura conſarcinat Cl. Muratorius, quæ quia a vero aberrare dignoſcuntur, diligentiori examine indigent. Ejus verba heic tranſcribenda duco, ne Lector in ipſa Diſſertatione adeunda remoretur: Ait igitur: *E genere Numiſmatum majoris moduli eſt, quæ* Medaglioni *Italicè nuncupantur. Venetiis autem a multis Sæculis* Oſelle *appellantur, cauſſa videlicet honoris, ac liberalitatis a novis Ducibus cuſa*. Sic pridem in XVIII. nummo explanando dixerat: *Neſcio an is Nummus ex iis Numiſmatis ſit, quæ Venetiis* Oſelle *nuncupantur, percuſſis, ut dono dentur*. Atque in primis falſo ſupponit, eas indiſcriminatim tum ex ære, ex quo præſens conſtat, tum ex argento, ex quo conflatus eſt qui XVIII. loco conſpicitur, percuſſas fuiſſe, quum revera argenteæ ſemper extiterint. A multis inſuper ſæculis cuſas arbitratur, quæ tamen nec Vendramini, nec Mauri ætate adhuc prodierant, & ſolum inſequente Sæculo XVI. editæ ſunt, ut mox videbimus. Eas præterea perperam cum Numiſmatibus confundit, publicam namque monetam, cum privata. Autumat demum, præfatos nummos tum ſolum ſignari ſolitos, quum primum Duces ſolium Ducale ineunt, atque hoc pura puta Ducum liberalitate prodire. Quæ quantum a veritate di-

Digitized by Google

distent ex iis, quæ mox proferam, demonstrantur; ex quibus etiam istiusmodi nummorum, qui *Osselle* vocantur, originem exploratam habebit.

Advertat velim, consueviſſe Duces remotioribus Sæculis Patritiis, maximeque sibi benevolentia conjunctis, vel multum operæ laborisque insumentibus in Reipublicæ utilitatem Natalitiis Servatoris recurrentibus Festis, cibaria munuscula dono mittere. Anno vero 1361., vacante Ducatu, Correctores lege statuerunt, mox eligendum Ducem (qui postea fuit Laurentius Celsus) ad hoc teneri erga quemcumque ex Patritiis, ne, ut quidem ego arbitror, partium studium in aliquo forte ex Ducibus notatum Reipublicæ, ut assolet, tranquillitatem turbaret. En verba Sanuti (col. 653) legem ipsam promentis: *Che il Doge sia obbligato di dare i Presenti, incominciando al primo di Dicembre per tutto il Mese a' Nobili, e mandi buone offelle, e non le mandando, dia in danari Grossi* 12. *per cadauno*. Qui quidem mos diu inviolatus permansit. Verum succrescente in dies ciborum delicatiorum voluptate, præfatis esculentis obsolescentibus, Avium, similiumve escarum munera succesſere, quæ quum Italicè *Uccelli* nuncupentur, factum hinc est, quod nummus, qui in eorum postea locum subiit, *Osella* vocitatus est. Præsto est mihi Palatius, qui rem totam describit opere præcitato.

Hic igitur de Antonio Grimano, (qui Ducalem iniit dignitatem Anno 1521.,) agens hæc habet: „ Sub hoc Principe lege cautum „ M. (Magni) Consilii die 18. Junii 1521., „ & 13. Maji 1522., ut in promissione Duca„ li, quod nummus percutiatur argenteus, „ qui lingua vernacula *Osella* dicitur, quia „ loco succedat cibariorum, & Avium, quas „ Civibus solebant Duces dono mittere: „ quemadmodum & Cappones, qui usque in „ hodiernum diem donari solent a Principe „ Procuratoribus D. Marci, & Judicibus Pro„ prii. Congiarium nummus iste ab aliquibus „ appellatur, sed pessimè, quia Populo illud „ Romani Cæsares elargiri consueverant; „ *Osella* autem solis Patritiis, uti a Patre „ Filiis, Teste Sansovino lib. 11 de Princi„ pis dignitate. Hinc *Principis munus*: anti„ que fuit in hisce Numismatibus epigraphes, „ solo mutato nomine Principis, ut videre est „ in Gritto, Lando, & aliis.

Quolibet igitur Anno novi cuduntur nummi *Osselle* dicti, anno ibi Ducatus expresso E. G. Ann. III. vel. IV. &c atque a Duce Optimatibus distribuuntur.

Modernum eorum pondus est denariorum septem, & granorum viginti. Aliqui duobus granis graviores ab initio fuisse prætendunt; Immo arbitror ego primigenium eorum pondus integros octo denarios æquasse, seu, ut ajunt Veneti: *Di caratti* 48. Nec enim verisimile est, novam monetam non integro pondere constitisse, ut similiter de aureo Ducato præfatus sum.

Argenti bonitas in hisce nummis eadem est, ac in quamplurimis aliis a Republica percussis, tum antiquis tum recentioribus, quorum indicem texere supervacaneum puto: hoc est denariorum viginti duorum, & granorum duodeviginti pro qualibet uncia, in qua ex consequenti reperitur æris unus denarius cum granis sex, quod in idem redit cum eo, quod Veneti dicunt: *Peggio di fino caratti* 60.

Valor eorum ad præsens est librarum trium, cum solidis duodeviginti, ut ex recentioribus Edictis monetariis constat; Aliquibus tamen in Locis ad integras libras quatuor extenditur. Sed de his nummis satis. Modo ad Mauri Numisma regredior.

Mauri igitur Numisma a Muratorio editum indubitanter privatum est. Quum enim elogium præferat Principis, publica moneta reputari haud potest: *Nec enim Respublica consuevit in honorem Principum nummos cudere*, optimè ait Palatius, qui jampridem idem Numisma vulgaverat.

Dubium mihi suboritur, num tale Numisma jussu ipsius Principis fabricatum sit? Ratio dubitationis in eo sita est quod, quum ibi inscriptum sit, ut ajebam, ejus elogium: *Religionis, & Justitiæ cultor*; dedecere videtur Virum cordatum, ne dum Principem religiosum, & justum sibi laudes contexere. Quis enim justus, & pius pietatem, vel justitiam suam ostentet, quum juxta tritum illud proloquium: laus in ore proprio sordescat? Nemo profecto. Quum igitur a Republica certum sit non fuisse percussum; atque a Religioso Principe cusum pæne nefas sit suspicari, conjectando dicam quod sentio.


Quum narrent Historici, prælaudatum Ducem sine Liberis vita functum opes suas Monasteriis, Pauperibusque legasse, fieri potuit quod Hæredes in grati animi monumentum Numisma ipsum ediderint. Verum nec alia deest conjectura ut credam, ipso demortuo, nummum confectum. Quum enim mos sit cuique Duci in Aula Magni Consilii Imaginem apponere, atque sub ipsa epigraphem aliquibus contentam versibus, quibus tum mores,

Digitized by Google

tum acta Ducis produntur, quam *Breve* vocant Veneti; Mauro ſequens appoſita fuit:

Juſtitiam colui pius, & ſi fata fuiſſent,
Pro Patria in Turcas Dux moriturus eram.

Quæ epigraphes, ut quiſque videt, prioribus verbis eadem pene eſt cum ea, quæ in Numiſmate exhibetur: *Religionis, & Juſtitiæ cultor*. Agedum, facilius ne eſt Authorem Numiſmatis Rempublicam fuiſſe imitatam vel potius contra Authorem ipſum Reipublicæ in Epigraphe ſe conformaſſe? Quod ſi hoc poſtremum vero ſimilius eſt, dicendum videtur poſt benemeriti Principis obitum, poſt exaratum Breve, tum ſolum Numiſma prodiiſſe. Hæc dicebam conjectans, paratus tamen me, meaque meliori judicio ſubmittere.



AUREI

Digitized by Google

AUREI DUCATI VENETI,

Quem *Zecchinum* vocant,

VARIA PRETIA,

Quæ ab ejus percuſſionis exordio, uſque in præſens in Dominio Veneto obtinuit.

MONITUM.

QUum exploratum ſit, monetarum pretium a priſcis temporibus uſque in præſens nedum in Italia, ſed alibi etiam immane ſubiiſſe incrementum, ut Lector benevolus modum, quo hoc obvenerit, & per quæ temporum intervalla, ob oculos habeat, ſpecimen exhibeo in aureo Ducato Veneto, cujus pretium ab ejus origine auſpicor ex variis Inſtrumentis, Literis Ducalibus, publicis atteſtationibus, monetariis Edictis, aliiſque MSS. documentis congeſtum. Quod ſi uno, vel altero anno cum aliis forſan documentis non cohæreat, ne mihi vitio vertatur. Nil enim mirum, quum ſub eodem Principe in Ditione eâdem, non idem ſemper valor monetis inſit. Immo eodem in loco plus, minuſque monetas expendi, experientia teſte, compertum eſt.

LIBRÆ VENETÆ PARVULORUM.

Anno				Anno			
1285.	l. 2. Groſſorum, ſive	l. 3.	---	1548.		l. 7.	14
1351.		l. 3.	4	1562.		l. 8.	---
1352.		l. 3.	6	1566.		l. 8.	4
1356.		l. 3.	8	1570.		l. 8.	6
1359.		l. 3.	10	1572.		l. 8.	10
1361.		l. 3.	12	1573.		l. 8.	12
1370.		l. 3.	13	1582.		l. 8.	15
1377.		l. 3.	14	1583.		l. 9.	---
1378.		l. 3.	16	1587.		l. 9.	5
1379.		l. 3.	18	1588.		l. 9.	10
1380.		l. 4.	---	1589.		l. 9.	16
1382.		l. 4.	4	1593.		l. 10.	---
1399.		l. 4.	13	1594.		l. 10.	4
1417.		l. 5.	---	1596.		l. 10.	6
1429.		l. 5.	4	1597.		l. 10.	10
1443.		l. 5.	14	1599.		l. 10.	12
1452.		l. 5.	16	1603.		l. 10.	14
1472.		l. 6.	4	1607.		l. 10.	16
1517.		l. 6.	10	1608. April.		l. 11.	---
1518.		l. 6.	14	1608 Jun.		l. 11.	6
1520.		l. 6.	10	1608. Sept.		l. 10.	---
1529		l. 7.	10	1609.		l. 10.	6

1610.

Digitized by Google

Anno			
1610.	l.	10.	10
1613.	l.	10.	12
1616.	l.	10.	14
1617.	l.	11.	—
1618.	l.	11.	10
1618.	l.	12.	—
1618.	l.	12.	6
1619. Mart.	l.	12.	10
1619. April.	l.	13.	—
1619. Jun.	l.	13.	10
1620.	l.	12.	8
1621.	l.	12.	10
1622.	l.	12.	14
1623.	l.	13.	—
1623.	l.	13.	4
1624.	l.	12.	10
1626.	l.	12.	12
1627.	l.	12.	14
1628.	l.	13.	—
1629.	l.	13.	10
1630.	l.	14.	—
1630.	l.	14.	6
1631.	l.	14.	10
1633.	l.	14.	12
1634.	l.	14.	14
1634.	l.	15.	—
1634.	l.	15.	10
1635. Maji	l.	16.	—
1635. Julii	l.	15.	—
1635. Jan.	l.	15.	10
1636. Maji	l.	16.	—
1637. Feb.	l.	15.	—
1637. Sept.	l.	16.	—
1638. Jan.	l.	15.	10
1638. Aug.	l.	16.	—
1640. Mart.	l.	16.	5
1640. Jul.	l.	16.	15
1640. Sept.	l.	17.	—
1640. Nov.	l.	17.	5
1640. Dec.	l.	17.	10
1641. Mart.	l.	16.	—
1641. April.	l.	15.	—
1641. Maji	l.	16.	—
1641. Jul.	l.	16.	10
1641. Octob.	l.	17.	10

Anno			
1642. Feb.	l.	15.	—
1642. Jun.	l.	17.	—
1643. Oct.	l.	17.	10
1643. Nov.	l.	16.	—
1644. Jul.	l.	17.	—
1645. Feb.	l.	16.	—
1645. Jun.	l.	16.	10
1646. April.	l.	17.	—
1646. Dec.	l.	17.	10
1647.	l.	18.	—
1648.	l.	18.	10
1649. Feb.	l.	19.	10
1649. April.	l.	20.	—
1649. Aug.	l.	21.	—
1650.	l.	21.	10
1651. Jun.	l.	16.	—
1655. Maji	l.	16.	10
1655. Aug.	l.	17.	—
1655. Sept.	l.	17.	10
1656.	l.	17.	—
1659. Feb.	l.	17.	10
1659. April.	l.	18.	—
1659. Dec.	l.	18.	10
1662.	l.	19.	—
1664.	l.	19.	10
1665.	l.	20.	—
1666. Jun.	l.	16.	—
1675. April.	l.	18.	—
1676. Maji	l.	16.	—
1679.	l.	19.	—
1681.	l.	21.	—
1687.	l.	17.	—
1703. Jan.	l.	18.	10
1703. Mart.	l.	19.	10
1703. Maji	l.	20.	—
1705.	l.	20.	5
1707.	l.	20.	8
1709. Feb.	l.	20.	12
1709. Jul.	l.	21.	—
1713.	l.	21.	10
1716.	l.	21.	15
1717.	l.	22.	—
1738. alicubi	l.	22.	5

Sicque usque in præsens.

Digitized by Google

MANTISSA

AD NUMMOS VENETOS

A CL. MURATORIO EDITOS.

UT præsens editio locupletior cedat, aliquos subnecto nummos Venetæ Monetæ, quos, uno dempto, possidet memoratus Canonicus Schiavini, tantoque libentius publici juris facio, quanto ex iis nonnulli celeberrimi olim extiterunt, ne dum in Veneta Ditione, sed etiam alibi: ut videbimus.

Primus itaque nummus exhibet in antica Servatoris effigiem in throno sedentis cum literis hinc inde IC. XS: ideſt *Jesus Christus*; In postica vero S. Marcum Duci Stanti Reipublicæ vexillum porrigentem cum literis in limbo S.M...IA.CTARIN. Ideſt *S. Marcus*: *Jacobus Contarini*, (Contarenum modo vocant). Is Anno Æræ communis MCCLXXV. Ducali purpura ornatus fuit. Hic nummus ex iis est, quibus *Grossorum* nomen inditum fuit, Argento, ut videtur, constat admodum perfecto, ejusque pondus ad præsens denarium unum, granaque quatuordecim non transgreditur. Cæterum quum temporis injuria diminutionem, & quod pejus, avidæ manus detonsionem non effugerit, arguendum sane denariorum ad minus duorum pondus æquasse, &, ut ego quidem conjicio, præponderasse. Pretium ejus quatuor solidorum extitisse deduci potest, tum comparatione facta cum aurei Ducati valore, qui paullo posterius e Veneta Moneta prodiit, tum ex iis, quæ in superioribus observationibus præfatus sum.

Secundus nummus præfert & ipse Jesu Christi effigiem; verum, ad differentiam editorum, leguntur huic in limbo literæ: TIBI LAVS TIBI GLORIA. Postica eadem etiam est cum præcedenti, hoc tantum excepto, quòd Dux, quum dextera vexillum recipiat a S. Marco, sinistra hastam gestare videtur, qua de caussa hoc factum sit, nescio; Verisimile est Ducem hunc, (qui fuit *Franciscus Foscari*, ut literæ circumstantes declarant, & Ducali dignitate insignitus fuit Anno MCCCCXXIII.) hisce armis ideo fuisse in typo expressum, quia strenuus extitit Miles, pluresque a Republica Regiones, ipso Duce subactæ sunt: Unde ipsius Imagini sequens, ut ajunt, Breve appositum fuit:

Post mare perdomitum, post Urbes Marte subactas,
Florentem Patriam longævus pace reliqui.

Et hic Nummus Grossus est; Verum heu quantum pondere inferior est præcedenti! Denarium enim unum non supergreditur. Ex quo deducat Lector, quantum Sæculo XV. res monetaria jam in deterius abierit. Verum quod hodie!

Tertius nummus, ab eo expressus est, quem evulgavit Palatius (In Fastis Ducalibus) nec enim mihi datum est nummum ipsum inspicere, quamvis non semel curaverim, sed irrito semper conatu. Similis in antica est jam edito a doctissimo Muratorio n. XVII. Exhibet namque naturalem Ducis effigiem cum facie barbata, quam Tronus, cujus est nummus, indesinenter gessit, ex quo Johannes ejus Filius, qui apud Euboeam Insulam, vulgo: *di Negroponte* Præses erat triremis, fato cessit. Circumvisuntur literæ NICOLAVS TRONVS DVX. In altera facie spectatur leo alatus cum Evangelii libro, circumposita epigraphe: SANCTVS MARCVS.

Nummus hic ille est, de quo loquitur Sansovinus a Muratorio transcriptus iis verbis: *Provedendo alla moneta ec*. Quibus ex verbis, tum percussionis caussa, tum pretium eruitur. Cæterum quum naturalis istiusmodi effigies absolutam Ducis dominationem subindicaret, Respublica libertatis, ut decet, zelotypa, Duce demortuo, novaque lege condita, similes Ducum Imagines a monetis ablegavit, ipsosque genuflexos, ut modo cernuntur, ante S. Marci effigiem incidi edixit, teste laudato Sansovino. Neque tamen omnino hoc novum quod Veneti Duces genuflexi in nummis repræsentarentur; Siquidem in aureis Ducatis antecedenter ad laudatam legem percussis,

Digitized by Google

quorum plures ſub oculos habui, non abſimili modo conſpiciuntur, qui tamen mos non in valuerat in nummis argenteis, in quibus ſtantes Ducum Imagines præcedenter ad legem impreſſæ ſunt.

Percuſſus hic nummus fuit Anno MCCCCLXXII. grandioris profecto moduli inter omnes nummos antehac a Republica cuſos, majoris proinde & pretii. Præcedentium ſiquidem monetarum valor octo ſolidorum pretium non exceſſerat, ut in obſervationibus in Venetos nummos præfatus ſum; *Tronus* vero viginti ſolidorum valorem obtinuit; quapropter inter Venetas libras principem locum habet. Quoniam vero mentionem librarum feci, a propoſito non digrediar, ſi earum modo indicem texam.

Quinque igitur librarum ſpecies temporis decurſu cudit Veneta Reſpublica, quarum prima *Tronus* fuit, de quo modo differimus. Secunda *Mocenicus*, de quo infra. Atque hæc Sæculo XV. Inſequenti verò duæ aliæ ſucceſſeræ. Prima (quæ in ordine tertia eſt) ſub Aloyſio Mocenico cuſa fuit circa Annum MDLXX.. Cyprio vigente bello, gravioris quidem ponderis, ſed deterioris argenti. Secunda vero paullo poſt ſub Duce eodem, inſigni parta de Turcis victoria apud Echinadas Inſulas, vulgo *de' Curzolari*, S. Juſtinæ Virginis, & Martyris effigie inſculpta, (cujus recurrente Feſto navale prælium geſtum eſt) ex ſatis probato argento ſignata eſt, (quo etiam tempore tum duplex libra, tum libræ ſemis, eodem ectypo percuſſæ ſunt). Et iſta ordine quarta eſt. Quinta tandem proximè elapſo ſæculo occaſione ſtatutæ legis circa monetarum reductionem, (quæ anno MDCLXVI Præſide Franciſco Molino evenit) impreſſa fuit, quæ utpote cæteris contractior & *Liretta*, & *Lirina* appellata eſt. Ejus uſus uſque ad præſentis Sæculi annum XXII. perduravit, quo anno, nova edita lege, abrogata fuit. Etiamnum tamen ſuperſtes eſt pluribus finitimis Urbibus, ut Bononiæ, Ferrariæ, &c. ubi Julii Romani pretio coæquatur.

Cæterum ut ad Tronum, quo digreſſus ſum, redeam; adnotare ſupereſt ejus argenti bonitatem, & pondus. Bonitas itaque talis fuit, ut in qualibet libra, unciæ undecim, & denarii novem argenti reperirentur, quod reliquum erat, ex ære componebatur; Pondus autem denariorum erat quinque, cum granis ſex. Troni pretium, ſive valor, ut præfatum eſt, extitit ſolidorum viginti; verum ſi libram modernam, quæ idealis eſt, ſpectes, eam profecto longe in pretio excellit. Sex enim iſtiuſmodi librarum, & paullo plus, aurei Ducati pretium æquabant, qui tum valebat libras ſex, & ſolidos quatuor. Quum igitur modernum aurei Ducati pretium ſit librarum viginti duarum, clarè conſtat, quemlibet Tronum appretiari modo poſſe tribus libris & ſemis, & quid etiam plus.

Unum adhuc de hoc nummo ſubjicere mihi liceat. Tam celebris fuit hic nummus tamdiuque in uſu habitus, ut etiamnum Veronæ libra *Troni* nomine vocitetur.

Quartus nummus eſt *Nicolai Marcelli*, qui *Trono* vita ceſſo Ducalem dignitatem iniit anno MCCCCLXIII. Viſitur in antica, ſicut in quibuſdam a Muratorio editis, Chriſti Servatoris Imago in cathedra ſedentis, dexterâ manu ad benedicendum extensâ, ſiniſtrâ verò Evangeliorum forte librum tenente cum epigraphe circumſtante: TIBI. LAVS. T. (*Tibi*) GLORIA. Atque heic notes velim Epigraphen hanc, tum in editis, tum in pluribus aliis in laudato Muſeo adſervatis, fuiſſe in hunc modum mutatam: TIBI. SOLI. GLORIA, hac, puto, cauſſa quod in priori haud commode collocari omnes literæ poſſent, quapropter uti figilis opus erat: ut patet in T pro *Tibi*. In poſtica exhibetur S. Marci Effigies Duci genuflexo Vexillum porrigentis, cum literis hinc inde in area F. B. Monetæ Præſidis nomen deſignantibus, in circuitu verò: S M. VENETI*arum Protector*, & *Nicolaus* MARCELLO. DVX.

Hic primus eſt ex argenteis nummis, in quo Dux genuflexus appareat vi legis prælaudatæ, quæ in præſens uſque ſarta tecta ſervata eſt; Immo ne dum in monetis, ſed & in plumbeis bullis, quibus literæ Ducales ſignari ſolent, hoc eodem anno MCCCCLXXIII. ejuſdem vi legis Imago Ducis genuflexa imprimi cœpit, quum antea ſtans in iiſdem repræſentaretur; ut teſtatur Sanſovinus in Tractatu: *Della grandezza del Prencipe*.

Quotquot hujus ectypi ſpectantur nummi (quos in Muſeis haud difficile eſt reperire) quamvis diverſorum Ducum nomina præferant, ex nomine tamen Ducis hujus, ſub quo auſpicati ſunt, *Marcelli* nomen obtinuerunt, qua ratione hunc ipſum ſpeciatim, cæteris omiſſis, edidi.

Argenti bonitas in Marcello eadem eſt ac in Trono, de quo ſupra, ideſt ut Veneti ajunt: *peggio di fino caratti* 60. pro qualibet marchia. Similis probitatis argentum vocabatur: *di bolla* ex eo quod, arbitror, publico ſigillo ſignabatur,

Digitized by Google

batur, ejuſque magnum admodum erat Venetiis commercium cum Orientalibus Regionibus, ut eruitur ex libro ibi impreſſo Anno 1540., cui titulus: *Tariffa de' peſi ec.* pag. 14.

Circa Marcelli pondus non omnes cohærent. Author ſiquidem Operis mox laudati aſſerit Marcellos 73. marchiam argenti componere: quo ſtante, ponderis habet Marcellus grana $63\frac{1}{8}$. In libro MS. anni 1551., quem apud me adſervo, & in quo incidenter aliqua monetarum pondera notantur, inter cætera hæc leguntur: *Marcelli* 108. *fanno oncie* 12. *d'Oreſice*: *Marcelli* 9 *un oncia*. *Un Marcello buono di peſo è grani* 64, cui calculationi, utpote exactiori, magis fidendum cenſeo, & hoc pacto Marcelli 72. marchiam adamuſſim exæquant. Palatius tandem in Faſtis Ducalibus pag. 172. pondere graviorem affirmat, dum ait: *Nummum Marcellus percuſſit argenteum ad pondus aurei Ducati*. Quum vero aurei Ducati pondus ſit, ut vidimus, denariorum duorum, & granorum viginti, ſeu granorum 68 utique granis quatuor graviorem judicat. Verum probabile eſt (namque & aliis monetis obveniſſe compertum eſt) primum aurei Ducati pondus æquiparaſſe, ſucceſſu autem temporis grana quatuor adempta fuiſſe. Ex iſtis nummis ſex ad minus lance expendi, quorum graviores grana 62. non excedunt, is vero cujus typus hic datur, temporis injuriam non effugit, granaque 53. non tranſgreditur.

Marcelli pretium a primæva ſui inſtitutione inditum fuit libræ ſemis; Quum enim ſub Præceſſore *Trono* libralis moneta, de qua ſupra, impreſſa fuerit; ad uberius commercii commodum, Marcello Duce, & ſemilibra percuſſa eſt; cujus pretium ab anno 1473. ad annum uſque 1518. immotum hoc eodem anno vi Literarum Ducalium diei 13. Martii ſex parvulis, ſive denariis adauctum eſt; Anno tandem 1525. ſenſim creſcente & aliarum monetarum valore, vi alterius Ducalis decreti diei 10. Novembris ad ſolidorum duodecim pretium pertigit.

De hoc nummo, utpote tunc temporis admodum celebri, pluries mentionem facit Albertus Brunus inſignis J. C Aſtenſis in ſuo *Tract. de aug. & dimin. monet.* deque eo *part.* 4. aſſerit quod ejus tempore (floruit enim ineunte Sæculo XVI.) loco Mocenicorum, de quibus infra, Venetiis Marcelli fiebant. Hujus tandem nummi percuſſio ſub diverſis Ducibus, vel ſaltem uſus uſque ad annum circiter 1570. ſubſtitit, quo tempore, novis monetæ ſpeciebus ſignatis, ejus uſus obſolevit.

Quintus nummus, quamvis Andreæ Gritti nomen præferat, qui Ducale Solium conſcendit anno MDXXIII. communi tamen uſu a Ducis nomine (ſicut & reliqui aliorum Ducum) ſub quo primo cuſus eſt, *Mocenici* nomenclaturam accepit. Fuit is *Petrus Mocenicus*, qui *Marcello* e vivis exceſſo, Anno MCCCCLXXIV. ad Ducale faſtigium pervenit, cujus nummo incaſſum quæſito, hic Gritti ſubſtitutus eſt. Effigiem hic exhibet Redemptoris dextera manu in modum benedicentis, ſiniſtra vero Crucem ſuſtinentis: circumſtat Epigraphes GLORIA. TIBI. SOLI; in ima vero parte viſuntur ſiglæ. I. M. rei monetariæ Præſidis nomen indicantes. Cernitur in poſtica Ducis genuflexi Imago, cui S. Marcus ſtans Reipublicæ vexillum porrigit cum literis in girum ſcriptis: ANDREAS GRITI. S. M. VENET. ideſt *Venetus*, ſive Venetiarum Protector.

Vidimus ſuperius ſub *Trono* Duce decretam, impreſſamque libralem monetam; Cæterum quum, ut pariter præfati ſumus, Troni ectypon ſuppreſſum fuiſſet, ut nova libra monetaria recuderetur, aliud ſubſtituere neceſſe fuit. Præſens igitur elaboratum eſt tam feliciter, ut in venuſtate cæteris Italicis Nummis tunc præiret. Teſtem profero Franciſcum Sanſovinum, qui in *Petri Mocenici* Ducis hæc habet: *E non molto dopo il Doge rinovò la moneta, la quale fu per l'avvenire chiamata dal ſuo cognome*, Mocenico: *di bella forma, e la più grata che ſi poteſſe vedere allora in Italia*.

Non eſt cur heic prodam hujus celebris nummi tum bonitatem, tum pondus, tum demum pretium; nam quæ de Troni numno dicta ſunt, eadem omnino & de *Mocenico* aſſerenda ita ut ſi typum demas, *Tronus*, & *Mocenicus* in re monetaria voces ſynonymæ habeantur, quod ne gratis dixiſſe videar, ſententiam prodo Andreæ Magni Cremæ Prætoris, qui die 1. Sept. anni 1507. contra Vectigalium Exactores in hæc verba judicium protulit; *Teneantur exigere* (Exactores) *pro eorum datiis Marcellum ad computum ſoldorum ſeptem, & denariorum octo imperialium, & conſequenter MOCENICUM, SEU TRONUM ad computum ſoldorum quindecim, & denariorum quatuor imperialium, prout in præſentiarum communiter currunt, & expenduntur*.

Quod de celeberrimo hoc nummo ſuſpicere non deſino eſt, quod Sabellicus qui tum Troni, tum Marcelli mentionem facit, Moceni-

Digitized by Google

cenicum tamen insalutatum relinquit; Et quod magis mireris, & hic idem nummus diligentiam fugit accuratissimi Sanuti; sed, mea quidem sententia, obvenit quod uterque eandem cum *Troni* moneta *Mocenicum* reputarit. Quapropter ea quæ tum de *Trono*, tum, servata proportione, de *Marcello* dicta sunt, heic recoli possunt.

Sextus nummus ex eodem Museo depromptus non heic appositus est, quod inter Venetos annumerandus sit, sed quod omnimodam pene cum aureis Venetis Ducatis similitudinem præferat. In ipsius antica Redemptor spectatur librum sinistra tenens, stellulis circumdatus ad modum aureorum Venetorum, circumstantibus literis: SIT. T. XPE. DATVS. S. REGIS. ISTE. DVCAT. Quas sic interpretari libet: SIT TIBI CHRISTE DATUS, SICUT REGIS, ISTE DUCATUS. Ac si dicat: Iste Ducatus o Christe sit tibi datus, sicut (ipsum) regis.

Varias Muratorius conglomeravit interpretationes in consimilem leoninum versum aurei Veneti Ducati, quæ mihi, parcat doctissimus Author, prosus non arridebant tanquam duriusculæ, & extortæ; planior me hercle, faciliorque est subsequens:

Sit tibi Christe datus, quem tu regis, iste Ducatus.
Idest: Christe, sit tibi datus iste Ducatus, quem tu regis.

Omnem a se anxietatem abjecisset Cl. Muratorius, si hunc nummum visere ipsi datum fuisset; nec enim pro to *dat.* exposuisset *datum*, sed *datus*, sicuti in nummo hoc apertissimè legitur, sine siglis, quæ æquivocationi, sive potius dubitationi ansam dederunt.

Frequentissimi erant rudibus Sæculis leonini versus, & maximè in inscriptionibus lapidariis, quorum plures refert tum Muratorius tum alii plurimi, præsertim historici. Ii vero dicuntur „ in quibus in media Syllaba, & in „ extrema servatur figura similiter cadens, „ ut: *Vir, precor, uxori, Frater succurre „ Sorori*. Appellati sunt leonini a Leonio „ quodam S. Benedicti Canonico, & Mona„ sterii S. Victorii Parisiensis Religioso, qui „ circa annum Christi 1160. eos non invenit „ quidem, sed in primis frequentavit „. Verba sunt Facciolati in Lexico, V. *Leoninus*. Nec absimilis sententiæ est Ducangius, qui a quodam Leone Poëta circa tempora Ludovici VII. inventos autumat; unde Leonius ille, & hic Leo unum & idem reputandi sunt. Age nunc ad præsentem numinum redeo. In postica visitur S. Joannes Baptista Duci (sive Regi) genuflexo ex more vexillum concedens; circumstant literæ: S. IOHANI. EMERICVS. DAM. Sequitur in calce BOS. Quo tandem loco in aliis prope Vexillum apponi solet *DVX*, in isto, si bene video, MD✠. legitur, ni forte legi debeat: MB✠.

Qua iste aureus nummus sit Moneta percussus, num Italica num externa; ad quem vel Regem, vel Ducem spectet, prorsus ignoro. Nec enim obtigit mihi in Historiis aliquem inter Principes legere *Emerici* nomine insignitum, cui possit hic nummus adscribi. Duos revera tamen *Emericos* suppeditat Hungariæ Regnum, (in quo per plura sæcula aureos Ducatos cudi, quos *Hungaros* appellamus, perspicuum est). Ex istis primus S. Andreæ Primi Filius Patri præmortuus circa annum 1013. Regale sceptrum non obtinuit, sed, quod magis optandum, clarus virtutibus in Cœlis coronatus Sanctorum Fastis adscriptus est. Alter vero Belæ III. exeunte Sæculo XII. Rex quidem inauguratus est; verum ad hunc ipsum pertinere affirmare non audeo. Ut ut sit, si ad ipsum spectet, quum præeat aureis Ducatis tum Venetis, tum Romanis a Senatu percussis (quorum duo a Cl. Muratorio jam editi sunt) qui certe non nisi insequente Sæculo signati sunt, concludere est, Italos Hungarici nummi exemplar fuisse sequutos. Verum de hoc Peritorum judicium expecto.

Pondus ejus, uno dempto granulo, adamussim cum aliorum pondere cohæret, non sic auri bonitas, quæ quidem Aurificum, quibus subjeci, judicio, duplarum aurearum probitatem non transgreditur; quod & profecto me detinet ad ipsum laudato *Emerico* adjudicandum, quum aliunde notum sit, retroceSSis Sæculis Hungaricum Ducatum eâdem auri perfectione præditum fuisse, qua gaudent & cæteri, ut testatur Cl. Sitoni in Dissert. Italicè edita Mediol. 1732. ubi producit monetarium edictum anni 1566., in quo idem assignatur pretium Ducato Hungarico, ac aliis; Quam pretii æqualitatem in plurimis expensarum &c. veteribus libris comperi, quod certe non evenisset, si tunc integra auri perfectione percussus non fuisset.

MAN-

Digitized by Google

MANTISSA

AD NUMMOS VENETORUM DUCUM.

I



II




III



IV



V



Nummus incertæ Regionis.

VI



Digitized by Google

Digitized by Google

EJUSDEM AUCTORIS

EXPLANATIO

NUMMI ARGENTEI BRIXIENSIS;

ET

NOVA ADDITAMENTA

AD NUMMOS MEDIOLANENSES.

Digitized by Google

Digitized by Google

BRIXIENSIS ARGENTEI NUMMI EXPLANATIO.

ARgenteus hic nummus, qui in alibi laudato Schiaviniano visitur Museo, exhibet in antica S. Apollonium Brixiensem Episcopum in Cathedra sedentem sacris indutum vestibus, dexterâ in modum benedicentis extensâ, sinistra autem baculum pastoralem tenente, cum inscriptione circumducta: S. APOLONIVS. BriSIA, sive *Brixia*. Aspectantur in postica Imagines S S. M. M. Faustini, & Jovitæ Brixiæ Patronorum; quorum prior dexteram erectam habet, extensosque indicem, & medium in modum similiter benedicentis, alter vero dextera tenet librum (fortassis Evangeliorum) pectori admotum, sinistraque Crucem, circumstantibus literis: S. FAVSTinus. S. IOVITA.

Inter nummos huc usque editos Brixianæ Civitatis inspiciuntur quidem laudatorum Martyrum effigies, haudquaquam vero Episcopi Apollonii. Cur autem inter tot Sanctos Præsules, quibus jure gloriatur eadem Civitas (quorum viginti & unum recenset Martyrologium Romanum, quosque Brixiense usque ad triginta extendit) iste potius in hoc nummo signando delectus fuerit? id in causa fuit, ipsum quoque inter Urbis Patronos olim adscriptum fuisse, sicut monet Bernardinus Faynus: *in Cœlo S. Brixianæ Ecclesiæ pag.* 19., qui tamen Author in *Martyrologio Brixiano*, quamvis de hoc Episcopo pluries mentionem habeat; de Urbis tamen protectione nihil commemorat, nisi in Notis ad diem *6. Januarii*, ubi de ipsius corporis inventione agens, Collegii Notariorum tutelam ipsi concedit, atque in ejus Arca inscriptionem insculptam tradit: *Divo Apollonio Brixiæ Pontif. Colleg. Tabell. Patrono. B. M. Monumentum P.*

Et quidem non omnes ex Brixiensibus Apollonium Protectoribus suis annumerant, inter quos eruditus Vir D. Jo. Maria Biemmi, cui Brixiæ nummum inspiendum obtuli, quo vix inspecto de sententia decessit. Ut enim duos Concives Martyres Patronos Brixia delegerat, sic & duorum ex Præsulibus suis Confessorum se in clientelam commendarit. Apollonii nempe, & Philastrii, quod ex quibusdam pervetustis Canonicalis Archivi documentis deprompsisse diligens antiquitatum Patriæ investigator R.D. Doneda mihi testatus est.

Sanctus itaque Apollonius in hujus nummi percussione selectus est vel utpote antiquior, vel in grati animi monumentum, eo quia: *totam Brixianam Provinciam Christi nam reddidit*, ut tradit in prælaudato *Cœlo* &c. Faynus, & quod *in primis Faustinum, & Jovitam ad Christum convertit, & sacris ordinibus initiavit* (unum nempe Presbyteratus, alterum Diaconatus) *sociosque in Gentium conversione sibi adjunxit*; ait idem Author in Martyrologio in ejus Natali die ad Nonas Julii.

Expressum percussionis tempus quamvis pronunciare non ausim; a vero tamen me recedere haud puto; si fidenter dixerim, inter primævos hunc nummum accensendum, ex quo nempe Brixiana Respublica Cæsareo Monetæ privilegio decorata, nummos suos cudere cœpit, quod Sæculo XII. contigit. Enimvero ipsum cum alio contuli Mediolanensi, infra edendo (cui similem Muratorius n. XIV. inter Mediolanenses, percussum judicat circiter Annum Christi MCCLX.) & ambo ab eodem Artifice confecti videntur; quamobrem nisi forte Sæculo XII. signatus sit, certe insequente Sæculo percussum censeo.

Pondus ejus (prout quidem modo reperitur) lancis examini subjeci, & inveni denarii unius, & semis; mutilatum autem arbitror quatuor, aut sex granis.

Quo demum nomine vocitaretur; quodve ipsi pretium inesset, non ita facile ad definiendum est. Laudatus Biemmi in nova Patriæ suæ Historia, quam tribus partitam tomis edere parat, de monetis etiam Tomo videlicet III. differere pollicetur, ut mihi quidem testatus est. Utinam felici calamo, ex MSS. quibus in Opere elucubrando ut plurimum utitur, & nummariam rem Patriæ suæ ipsi illustrare obveniat! Liceat interim mihi nonnulla modo prænotare, quæ qualemcunque lucem, tum circa nummum mox editum, tum circa pervetustam Brixiæ monetam Lectoribus afferent.

Duplex Brixiensibus jampridem erat moneta; Imperialis una, quæ & finitimis Civitatibus,

Digitized by Google

bus communis erat, peculiaris altera, cujus usus intra Brixianæ Provinciæ limites circumscriptus erat; de utraque enim in Brixiensibus historiis monumenta non desunt. Cauriolus etenim lib. 6 pag. 84 ait: *In quei tempi* (anno nempe 1209.) *leggiamo che si vendè il sestaro di formento quaranta, e quel di miglio, ventuno soldo IMPERIALE; Ed il carro di vino, venticinque LIRE DELLE NOSTRE*, de quibus infra. Sic pariter Malvetius (Tomo XIV. Rer. Ital. col. 956.) refert Epistolam responsivam Brixiensis Communitatis ad Carolum II Siciliæ Regem, dat. XVIII. Madii MCCXIC. qua certiorem ipsum facit, ter mille Florenis aureis ejus indigentiis subvenisse. En epistolaria verba: *Bis mille Florenos in denariis aureis, & sexcentas libras IMPERIALIUM de moneta argentea, in nostra Civitate currenti pro aliis mille Florenis ad rationem 32. solidorum IMPERIALIUM pro quolibet Floreno auri, SECUNDUM CURSUM NOSTRÆ USUALIS MONETÆ fecimus numerari*. Quæ quidem verba obscuritatem præferre videntur; Enimvero si Florenus solidis 32. *Imperialium* impendebatur, quomodo libræ sexcentæ *Imperialium* mille Florenos exæquabant? Quilibet enim arithmeticæ vel Tyro sentiet in hypothesi quod florenus 32. solidis computetur, libras mille sexcentum requiri ad mille florenos exæquandos; Si autem sexcentæ libræ mille florenis æquipollebant, tum florenum nonnisi solidos duodecim valuisse necesse est. Et ne putet quis in Malvetii textum Amanuensium, vel Typographorum indiligentiâ errorem irrepsisse, & pro *sexcentas libras*, scribendum esse *mille sexcentas*, præsto est alter Malvetii locus, qui dubitationem omnem dirimit, ait enim: (col. 950) *Diebus illis* (anno nempe 1272.) *mille aurei sexcentis libris æquivalebant; Nam in Civitate hac Brixia duodecim soldi tantum pro floreno aureo dabantur*.

Verum enim verò quæ jam præmonuimus nodum in Malvetii textu inspectum nullo negotio extricant: Ad discrimen itaque inter duas monetas oportet attendere, quarum una tum Mediolano, tum finitimis Civitatibus communis erat, (cujus & aliquis usus erat Brixiæ), & secundum eam florenus aureus 32 solidis æstimabatur, ut pluribus probare possem; altera verò Brixiæ, ut supra dixi, peculiaris, secundum quam aureus idem duodecim tantum solidis supputabatur. Sensus igitur laudatæ Epistolæ est: Exsolvimus libras sexcentum Imperialium secundum cursum nostræ monetæ, secundum quem idem librarum numerus Florenos mille exæquat, & quod in idem redit, florenus solidis duodecim æstimatur, qui florenus secundum monetæ Imperialis cursum communem 32. solidis æquiparatur.

Ex quo deducitur, Brixiensem monetam cæteris Italiæ monetis valore præstasse; nec enim legisse memini tam paucis solidis alibi valuisse Florenum aureum, ex quo primum Florentiæ percussus est.

Hæc itaque Brixiensis moneta nuncupabatur *di Planetti*, quod nomen unde originem traxerit, Brixiensibus judicium esto. Exploratum tamen habeo planettos nummos veros extitisse, licet in eorum assignanda materia discrepent Authores. Cauriolus quidem (pag. 178.) æreos statuit, dum ait: *Agli undici d'Ottobre 1458. furono banditi per comandamento del Senato* (subintellige *Veneti*) *con incredibil danno de' Bresciani i danari di rame detti minuti, altrimenti planetti*; At vero Octavius Rubeus in Opere inscripto: *Le Memorie Bresciane* ec. (impress Brixiæ 1616) argenteos fuisse autumat sequentibus verbis (pag 18.) *I Planetti erano certi piccoli danari d'argento del valor di due soldi Veneziani stampati con diversi impronti* ec Quid igitur? fides ne Rubeo, vel Cauriolo? Verum facile eos conciliabis, si advertas hoc nomen: *Planetto*, non ad indicandam mere individuam nummi speciem institutum esse, sed ad omnem in universum Brixiensium monetam explicandam. Cauriolus igitur dum planettos æreos asserit, de minutis intelligendus est, quorum duodecim solidum constituebant; Rubeus vero, dum eos affirmat argenteos, de solidis effatum esse interpretandus est.

Præter laudatas nummorum species, & alias extitisse non ambigo, probabiliter vero solidi semis, fortassis & grossum; legisse me demum memini & planetti ducatum; num vero Brixiæ percussus fuerit, num alibi, num revera talis, num imaginarius? affirmare non audeo.

Non idem semper fuit pretium monetæ hujusmodi, nec idem semper respectus tum ad Venetam, tum ad Imperialem monetas; Etenim Sæculo XIII. quo prodierunt tum Florenus, tum aureus Venetus, qui quidem ejusdem erant bonitatis, & pretii, ut alibi ostendi, eorum igitur pretium erat Venetiis librarum circiter trium, Mediolani, & aliis Civitatibus Imperiali moneta utentibus solidorum trigintaduorum, Brixiæ vero solidorum duodecim, ut vidimus. Sæculo vero XV. eadem planettorum moneta supputabatur Cremæ (ubi im-

Digitized by Google

imperialis monetæ usus vigebat) dimidio fere pluris quam imperialis, uti in libris œconomicis per plurimos annos expertus sum. Eapropter insequente Sæculo impressus Venetiis prodiit liber taxationis, seu reductionis monetarum, & ponderum, in quo sequentia leguntur verba: *La moneta Bresciana è il doppio della Veneziana, e ci vogliono sei quattrini a far un soldo di moneta di planetto; come a far un soldo Veneziano ce ne vogliono tre: ed un soldo Imperiale quattro.*

Non idem modo inter hasce monetarum species est respectus; nam Imperialis in Veneta Ditione quarto pluris quam Veneta supputatur, ita ut tres solidi Imperiales quatuor Venetorum coæquent, moneta vero sive libra Brixiensis (quæ tametsi mente tantum concepta, sicut & Imperialis, etiamnum subsistit, ut videre est in quibusdam contractibus, & præcipuè nuptialibus) supputatur in præsentiarum pro libra 1: 14: $1\frac{31}{41}$: Duæ libræ planetorum pro libris 3: 8: $3\frac{21}{41}$, & sic deinceps.

Verum, ut ad nummum, unde digressi sumus, modo revertamur, locus hic esset assignandi ejus pretium, sive valorem, quod mihi quidem haud facile est. Ne rem tamen hanc insalutatam ex toto relinquam, quantum conjicere licet, modo proferam; immo si ea recolantur, quæ prænotata sunt, nec res inaccessa est. Jam ex Malvetio visum est, aureum florenum Sæculo XIII. valuisse Brixiæ solidos duodecim, præsenti autem nummo pondus inesse denarii, seu scrupuli unius cum tribus circiter quadrantibus (particulam enim, quæ ipsi deest, restitutam fingo) si tale pondus inquam per 24 multiplices, fient scrupula 42. argenti, quæ pene pretium aurei Ducati ad præsens exæquant, tantoque hoc magis remotioribus Sæculis, quibus, ante Americanum inventum, non exigua erat argenti parcitas, & comparative ad aurum, pluris nonnihil, quam modo æstimabatur.

Ex quo fit ex his nummis 24. florenum, sive Ducatum aureum exæquasse; eapropter planetti semisolidum extitisse.

Hæc ajebam in re densa admodum antiquitatis caligine obtecta, dum interim Antiquariorum, maximè Brixiensium, judicium lubens expecto.



Digitized by Google

NOVA ADDITAMENTA
AD NUMMOS MEDIOLANENSES
A CL. MURATORIO EDITOS.

QUemadmodum ea eſt, cum naturæ, tum artis, ſive ſtudii conditio, experientia teſte, ut non omnis una ſimul profectus haberi poſſit, ſed ſenſim omnia incrementum acquirant; ſic obveniſſe vidimus circa nummos Mediolanenſes a Muratorio edito; Vix enim Clariſſimus Author ſuam collectionem abſolverat, quum a ſtudioſis Mediolanenſibus haud exigua nummorum additamenta ipſi ſuppeditata ſunt, quæ ſeorſim edita a Viro celeberrimo & explicata ſunt: quibus Res Nummaria Mediolanenſis haud exiguum progreſſum habuit. Eo quoque ſpectant vota mea; Quamobrem quum mihi obtigerit in alibi laudato Muſeo aliquos ineditos viſere, eos modo edere, & quoad poterunt vires meæ, explicare conabor.

Primus itaque argenteus nummus exhibet effigiem S. Ambroſii in Cathedra ſedentis rudi admodum Artifice inſculptam, circumſcripto ejus nomine, literiſque S. adversè poſitis hoc modo: ꝟOꝟ. AM-BROꝟIV. ideſt: S. Ambroſius. In poſtica viſitur Crux, cui quatuor bicornes lunulæ interjacent cum literis in limbo: MEDIOLANVM. Ejus pondus unius eſt denarii, ſive ſcrupuli cum tribus quadrantibus, alias probabiliter fuerit denariorum duorum. Extra dubium eſt quod, quum nullum ibi Principis nomen extet, percuſſus ſit, quo tempore Mediolanum ad modum Reipublicæ regebatur: quonam vero ſæculo, non ſic facile eſt definire. Clar. Jo. Sitoni, cui Mediolani viſendum exhibui, ſignatum credidit inter annum 1447., & 1450., quo revera tempore Reipublicæ formam tenebat; Verum tum typi ruditas, tum caracteres majorem dubio procul antiquitatem deſignant. Quo circa inter eos annumerandum cenſeo, qui a Mediolanenſi Republica circa annum 1260. cuſi ſunt, ut de non abſimili inter nummos Mediolanenſes edito n. XIV. cenſuit Muratorius.

Nomen ipſius, ſtatim ac vidit, enunciavit prælaudatus Sitoni, aſſerens eſſe *Ambroſinum groſſum*, qui valorem tum obtinebat denariorum 24. Imperialium, ut idem ipſe (in Elucubratione De antiquis &c.) affirmat. Et quidem quum alibi doceat (in allegatione ſcilicet inſcripta *Dimoſtrazioni di fatto ec.* impreſſa Mediolani 1732. *& infra recudenda cum additamentis*) ſolidi Imperialis pondus olim fuiſſe denarii unius, fit conſequenter, nummum hunc prope accedentem ad denarios duos, duorum ſolidorum pretium, ſive valorem obtinuiſſe.

Verum, aſſignati mihi huic nummo *Ambroſini* nomen, obſtat revera quod refert doctiſſimus Du-Cange in ſuo Gloſſario V. *Ambroſini*, tales nempe nummos cudi cœptos poſt inſignem Luchini Vicecomitis victoriam, quam de Lodriſio Azzonis Patruo reportavit anno Chriſti 1339. 21. Februarii, quo in prælio, ut ferunt, S. Ambroſius ab omnibus conſpiciendum ſe obtulit ferula Hoſtes cædentem, in cujus poſtea rei memoriam Ambroſini ſignati ſunt, quorum aliqui videri poſſunt in Muratoriana collectione. Et quidem Monumenta, quæ producit laudatus Sitoni, in quibus mentio fit de *Ambroſiis*, prænotato tempore poſteriores ſunt. Verum neque his ſtantibus a mea ſententia recedo; Siquidem quum in hocce nummo, tum Ambroſii Effigies, tum valor *groſſum Ambroſinum* indicent, nil prohibet, quin pro vero *Ambroſino groſſo* habeatur. Ad id autem, quod ex Du-Cangio relatum eſt, in promtu eſt reſponſio; nempe ex illa Ambroſii viſione tum primum cœptum eundem Præſulem cum ferula incidere in *Ambroſinis groſſis*, quod antea in uſu non erat, quum neque ſic eum repræſentandi ratio adeſſet; Et, ut uno verbo me expediam, viſio illa Ambroſii variandi quidem aliquid in ectypo anſam præbuit, non vero novam nummi ſpeciem cudendi, quapropter tum hic, tum editus a Muratorio ſub Henrico VII. percuſſus præcedenter ad annum 1308. tamquam veri Ambroſini groſſi cenſendi ſunt.

Secundus nummus pariter argenteus oſtendit in antica Effigiem B. V. Mariæ (quod ipſi inter Mediolanenſes nummos ſingulare eſt) dexte-

Digitized by Google

dextero brachio Puerum Jesum tenentis, literis circumstantibus: MEDILANVM. In postica visitur Crux, additis in circuitu literis IOHS VICECOES. Idest *Joannes Vicecomes*. Fuit is primum Novariæ Episcopus, inde Archiepiscopus Mediolanensis; mortuo autem Luchino ejus Fratre, cujus Dominii consors extiterat, solus dominationem obtinuit anno 1349., quam ad annum usque 1354. protulit, quo diem clausit extremum, quo quidem temporis intervallo signatus est, ponderis unius denarii, licet in præsens grana 22. cum dimidio non excedat: quod pondus de ejus tum nomine tum valore nos certos reddit, ipsum nempe solidum Imperialem extitisse.

Tertius similiter argenteus continet, sicut & præcedentes, Crucem cum epigraphe in limbo MEDIOLANVM. Visitur in aversa parte anguis puerum in ore habens cum literis B. G. idest *Bernabos*, *& Galeatius* VICECOMITES. Huic similem edidit & Muratorius signatum sub *Joanne Galeatio*; verum hic utpote antiquior non erat omittendus.

Pondus ejus in præsentiarum est granorum 20. cum quadrante: integri olim denarii fuisse autumo; Nec enim credibile est, trium pene Sæculorum spatio aliquibus granulis ex usus frequentia non fuisse imminutum; Quo pondere supposito, imperialis vere & hic solidus judicandus est.

Quartus ex subtili argentea lamina, & ad differentiam aliorum quadratus vultum præfert Episcopi Mitrati, cum baculo Pastorali (hæc forte S. Ambrosii Effigies est) nullis vel in area, vel in circuitu adjectis caracteribus. Habentur in postica figlæ VB. Si mihi divinare liceret, legerem *Vicecomes Bernabos*. Non me latet inusitatum esse præcipuè in nummis nomini agnomen præponere; verum hoc fieri potuit vel ex Artificis insciția, vel ad majorem fortasse figlorum venustatem; Hoc, inquam, divinans potius affero quam rationum vi ductus; quapropter eruditis, maximè Mediolanensibus, judicandum relinquo.

Hujus nummuli optime quidem servati granorum sex & semis pondus non superexcedit. Id pro certo habeo, hunc fuisse solidi Imperialis quadrantem, seu quartam antiqui solidi partem, quæ vulgo appellatur *Quattrino*, ut fitis ostendunt tum pondus, tum ejus quadrata figura, quæ etiamnum servatur in quadrantibus modernis; Verum oh quàm huic sunt moderni dissimiles!

Quintus est is quidem argenteus, sed ære immixtus: exhibet Crucem literis in circuitu extantibus PHILIPVS. MARIA. subintellige *Vicecomes*; In aversa autem facie spectatur scutum dissectum, in cujus dextera assuetus Vicecomitum anguis inspicitur, in sinistra vero tres aquilæ per ordinem dispositæ, quarum una alteri substat cum Epigraphe: COMES PAPIE. Quum nulla heic Mediolani mentio habeatur, hunc arbitror Papiæ percussum quo tempore, amisso Patre, juxta ipsius testamentum Papiæ Comes renunciatus fuit, quod contigit ab anno 1402. ad annum usque 1411., ut ex ejus vita a Petro Candido Decembrio (Tomo XX. Rer. Ital.) exarata deduci potest; Ea propter & ad nummos Ticinenses accensendus esset: Verum ne ordo abrumpatur, hic quoque inter Mediolanenses adscitus est, eoque magis quod *Philippus Maria*, cujus nomen præfert, tempore procedente & Mediolani dominationem suscepit.

Pondus ipsius granorum est viginti, eumque solidis Papiensibus adscribendum judico, qui olim solidi & *Mezzani*, & *Tertiolorum* nuncupati sunt ob eam, puto, rationem, quod inesset ipsis modo media, modo tertia tantum argenti pars, eorumque pretium, seu valor par erat semisolido Mediolanensi, qui vulgo appellatur *Sesino*.

Sextus nummus similiter argenteus avem ostendit inter flammas, forte phenicem, sub cujus pedibus visitur lemma, cujus literæ utpote detritæ & minimi caracteris legi haud possunt, cum inscriptione circumducta: GZ. M. SF. VICECS. DVX. MLI. V. idest: *Galeatius Maria Sforția Vicecomes Dux Mediolani Quintus*. Huic non absimilem typum cernere est in Additamentis ad Nummos Mediol. n. XXXI. In hujus vero postica spectatur regia corona, sub qua, sive anulus, sive sertum, a quo hinc inde pendent duo pallia; ni forte sit pallium nodo colligatum, quo anulum referre videatur. Circumstant literæ PP. ANGIE. Q3. CO. idest Papiæ Angleriæque Comes. AC. IANVE. DVX. Et huic similis typus conspici potest loco citato n. XXVIII. Ejus pondus est scrupulorum duorum, cum granis tribus.

Nulla mihi est dubitatio, quin ex illis nummus hic fuerit, qui *Grossi* dicebantur. Verum quum circa id tempus plures extiterint hujusmodi nummorum species, variusque eorum valor, ad quamnam ex ipsis referri tandem debeat, incertum est. P. Calvi noster in prælaudatis Ephemeridibus ad diem XI. Septembris refert Ducales literas anni 1474. quibus

Vi-

Digitized by Google

variæ monetarum ſpecies pretio minuuntur, quas inter adnumerantur ſequentes: *Groſſi novi Milaneſi ſi ſpendevano ſoldi dieci Imperiali, cioè Marchetti quindici, ridotti a Marchetti undici l'uno. Groſſi Milaneſi più piccoli da ſoldi quattro Imperiali, cioè Marchetti ſei non corrano più di Marchetti cinque, e mezzo l'uno.* Quum igitur nummus hic ad priores referri nequeat, qui haud modicè graviores erant, ut pluribus oſtendere poſſem, ad poſtremos accenſendum arbitror; Neque enim duobus tantum ſolidis valuiſſe cenſendus eſt, ut *de groſſo Ambroſino* diximus ſupra; tum quod ſcrupulorum duorum pondus ſuperat, tum quod monetarum valor Galeatii Mariæ tempore ſenſim excreverat. Ex quibus adnotare curſim poterit Lector, Mediolanenſem inter, ac Venetam monetas diſcrimen eo tempore intercedens, quod nempe idem erat ac inter binarium, & ternarium; nam duo Mediolanenſes ſolidi tres Venetos exæquabant.

Septimus nummus argenteus in area effigiem habet optimè ſculptam prædicti Principis, circumſtantibus literis: GALEAZius Maria SFortia VICECOme S. DVX. MLI QIT. ideſt *Mediolani Quintus*. Offert poſtica caſſidem coronatam, cui ſupereminet draco alatus puerum ore tenens; cum ramis hinc inde protenſis, ad quorum utrumque pendent duæ hydriæ, literis ad latera poſitis G. M. nempe *Galeatius Maria*. In inferiori parte viſitur conſuetus Vicecomitum anguis, extante in circuitu Epigraphe PP. ANGLE. Q3. CO AC IANVE. DVX, ut in præcedenti. Denarios ſeptem, granaque novemdecim ponderis non exſuperat; verum opinor ad integros octo denarios pertigiſſe.

Exploratum habeo, nummum hunc ex illis eſſe, qui vocabantur capitones, Italice: *Teſtoni*: ſic vocitati quod Principis caput in ipſis ſignatum grandiuſculum eſſet; Immo per id inter diverſarum ſpecierum argenteas monetas principem locum tenebant: nec enim mos tum erat graviores percutere monetas, ut ſunt hodierni *Philippi*, *Scuta argentea*, *Januinæ &c.* Et quod majori animadverſione dignum eſt, Galeatius ipſe Maria, ut ego quidem ſentio, primus fuit, qui ſimiles nummos invexerit, quem poſtea ſequuti ſunt ex Mediolanenſibus Ducibus tum Ludovicus appellatus Maurus ejus Frater, tum Filius Jo. Galeatius, quos inſequente ſæculo imitati ſunt Francorum Reges Ludovicus XII. qui capitones tum Mediolani, tum in Gallia, percuti juſſit, cujus exemplum ſequuti poſtea ſunt Franciſcus I., Carolus IX. & alii. Quin etiam e variis tum Italicis, tum Exteris Monetariis officinis ſimiles nummi prodierunt; Sæculo enim XVI. frequentes erant in contractibus: i *Teſtoni Milaneſi*, *Franzeſi*, *Genoveſi*, *Mantovani*, *Ferrareſi*, *Savojardi ec.*, ut ego quidem ex œconomicis expenſarum, & introituum libris didici.

Quod ad iſtiuſmodi nummorum pretium attinet; anno 1478. tum Bergomi, tum Cremæ ſolidis valebant triginta Imperialium (de quo monetæ genere tractatum, ſi ſuperis placet, brevi editurus ſum) anno vero 1496. alios, minoris fortaſſe pondesis, æſtimatos reperio ſolidis 22., inſequente vero ſæculo uſque ad 1513. & alius ſolidus eorum pretio adauctus eſt. Quotus Mediolani fuerit valor, Mediolanenſibus promendum relinquo.

Octavus argenteus, qui nomen præfert Jo. Galeatii Mariæ Stor. Vicecomitis, Ludovico Patruo gubernante, parum abſimilis eſt ab altero jam edito a Muratorio n. XLV. Quamobrem ab ejus explicatione abſtinendum duco. Ejus pondus denarios duos, granaque novem non excedit. Et hic quidem groſſis, de quibus ſupra, accenſeri poteſt.

Nonus ad eundem Ducem ſpectans, argenteus & ipſe, exhibet in antica Caſſidem, in pede vero anguem gentilitiam Vicecomitum teſſeram, inſcriptione circumpoſita: IO. GZ. M SF. ViCO. DVX. MLI. SX. ſeu *Joannes Galeatius Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani ſextus*. Continet averſa facies pro Emblemate circinum apertum faſcia obvolutum cum lemmate, quod vix legi poteſt, his exceptis literis: VERGIE, circumſtante epigraphe LVDOVICO PATRVO. GVBERNANTE. Duos ex his nummis ad trutinam perpendi; unus pene duos exæquat denarios, alter vero non niſi uno denario cum tribus quadrantibus conſtat. Et huic ſimilem edidit Muratorius n. XLIV.

Decimus & hic argenteus S. Ambroſii Imaginem oſtendit, poſitis hinc inde in area literis S. A. videlicet *S. Ambroſius*, circumſcripto lemmate: LVDOVICus D. G. FRANCORum REX. Viſitur in poſtica Hiſtrix corona ſuperimpoſita, ore baculum, vel quid ſimile tenens, cum literis in limbo: MEDIOLANI. DVX. ET. C. Pondus habet denariorum duorum cum granis ſex.

Undecimus tandem ad eundem Regem Ludovicum (XII.) ſpectans, qui & ipſe argenteus eſt, Regum Francorum teſſeram continet, tria videlicet l lia cum corona, extantibus

Digitized by Google


bus ad latera Vicecomitum anguibus, cum inſcriptione LVDOVICVS &c. ut in ſuperiori. In altera facie duo pallia inſpiciuntur ſub corona, ſive unum pallium in duo latera pendens, & ibi Epigraphes eadem eſt cum præcedenti. Pondus ipſius denarii unius eſt cum granis ſexdecim.

Ex hiſce Mediolanenſibus nummis argenteis, aliquibus *Alborum*, ſive *Blancorum* nomen Italicè *Bianchi*: impoſitum fuiſſe certiſſimum eſt; an vero & ſynonimi groſſis extiterint incompertum mihi eſt. Similes nummos Mediolanenſes valuiſſe in Gallia ſub Ludovico XI. denarios octo, teſtatur D. Le-Blanc (pag 309) quo pretio gaudebant & *Albi* tum Sabaudienſes, tum Provinciales. Circa medium Sæculi XVI. Alborum Mediolanenſium pretium taxatum reperio ſolidis novem, quo tum pretio circiter computatum & Julii Papales, Senenſes, Parmenſes, & alii. Cur autem *Albi* appellarentur hoc in cauſſa fuit, quod ii ex ſatis probato argento cudebantur, ad differentiam monetæ ære multum immixtæ, quæ *nigra* appellabatur. De his præſtat videre laudatum D Le-Blanc in Tract. Hiſtor. de Franciæ Monetis.

NUMMORUM MEDIOLANENSIUM DE NOVO ADDITORUM TYPI.

















Digitized by Google

IX



X



XI



Digitized by Google

EPISTOLÆ VII.

CLARISSIMI VIRI

STANISLAI SANTINELLI

CONGREGATIONIS A SOMASCA CLERICI REGULARIS

AD NOBILEM VIRUM

FRANCISCUM TEUPOLUM

De vetere Moneta Veneta, vulgò (*Mattapana*) vocata,

EX EDITIONE VENETA EJUSDEM OPERUM DESUMPTÆ,
ET HIC ITERUM TYPIS TRADITÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOBILI VIRO
FRANCISCO TEUPOLO
STANISLAUS SANTINELLUS F.

I.

Veteres nummos Venetorum esse omnes ejusdem generis: facilius alibi, quam Venetiis invenirì.

DE veteribus Teupolorum Principum nummis non alia a me dici possunt, quam quæ universe in omnes Venetorum veteres nummos conveniant. Et hi enim cum aliis iidem omnino. Singulos itaque proferri forte ab re fuisset ex Teupolo cimelio, nuper gentilis tui Joannis Dominici supremis tabulis in familiam tuam illato, quod ob magnam Romanorum numismatum vim omnibus est admirationi, nobis ob veterum nostratium denariorum accessionem etiam voluptati. Neque ipse dubito, quin hanc quoque celeberrimi musæi partem, sicut alias alia, pro tua, ampliſſimique patrui tui erga me humanitate, lustrandam mihi præberi, jussurus esses. Sed ad propositum finem de meo, quæ satis essent, afferre posse mihi visus, nolui alienas merces in pergula exponere. Aliquot enim Venetos priscorum temporum nummos Roma in patriam ipse detuli, fore sperans, ut his, aliisque, quos Venetiis inveniſſem, locus esset in nostra bibliotheca, quam nulla re, quæ doctis æque, ac eruditis grata esse possit, non instructam vellem. Sed hic ne uno quidem factus sum ditior. Rarius enim Venetiis, quam alibi inveniuntur. Mirum hoc nemini debere esse, ait V. Cl. Ludovicus Antonius Muratorius quadam ad Petrum Catharinum Zenum περὶ μανιείτιν epistola, quæ cum aliis ad eumdem præstantium virorum in unum volumen compactis in eadem nostra bibliotheca servatur. Quæ enim terra abduntur, fieri potest, ut aliquo casu effodias, quæ voraciſſimum mare, quod nostram hanc urbem interluit, ac cingit, absorbuit, qua ratione expiscaberis? Quamquam hoc etiam tantæ apud nos raritatis in causa fortasse est, quod ad novam cudendam vetus sæpius moneta conflata est. Ut ut tamen sese res habeat, satis nummorum antiquorum ad nos perveniſſe existimo, ut quæ ad Mattapanem, cujus generis Teupolæi nummi sunt, pertinent, explicare, ejusque fata enarrare possimus. Illius utramque faciem inspice in Petri Ziani nummo, qui in subjecta tabella primum locum tenet, quo antiquior neque apud me, neque apud alios, quod ipse noverim, extat. Hunc cum vides, majorum tuorum, utriusque Principis Teupoli, Jacobi, ac Laurentii nummos vides. Quamquam & hos altera facie addi, volui, ac alios nonnullos præterea, qui iis, quæ de Mattapane dicenda sunt, lumen aliquod afferunt. Ex gazophylacio potiſſimum tuo forte erit aliquis, qui juſtam universæ rei nummariæ Venetorum historiam aliquando conferibat. Ad hoc mihi neque satis virium, neque otii abunde est. Vale. (*)

(*) Ad calcem hujus Epistolæ eruditus Scriptor quamplures typos adjecit Nummorum Venetis formis cusorum, a quibus producendis abstineo, cùm in hac mea collectione jam reperiantur a Clariſſimo Muratorio adjecti Dissertationi suæ de Monetis, ubi egit de Nummis Ducum Venetorum. Postremo loco Scriptor hic Venetus Nummum adjecit, quem Muratorius non edidit, & Deiparæ effigiem præfert, cum puerulo Jesu, & Duce Andrea Griti ante ipsos genuflexo. Hujus formam hìc addere opportunum censui, ne quid ad illustrandam Venetam Monetariam seriem desideretur.



Digitized by Google

EIDEM

II.

Nummum Petri Ziani vere esse Mattapanem, cujus meminit Dandulus.

AMicus meus, cum in vivis degeret, Petrus Catharinus Zenus, in suis ad Joannis Casæ epistolam, quæ XV. est ad Carolum Gualteruccium, notis. Zianæum nummum credidit Mattapanem esse, quem Andreas Dandulus in suis Chronicis refert, primo cusum ab ejus gentili Henrico Dandulo. De hoc ita Historicus lib. X. c. 3. p. 5. *Subsequenter Dux argenteam monetam, vulgariter dictam* Grossi Veneziani, *vel* Mattapani, *cum imagine Jesu Christi in throno ab uno latere, & ab alio cum figura S. Marci, & Ducis, valore viginti sex parvulorum, primo fieri decrevit.* In Zeni mei sententia ipse quoque sum. Typum, quem Dandulus describit, non alius præfert, quam Zianæus nummus. Præterea cum ait Historicus, Mattapanem *primo* cusum ab Henrico Dandulo, satis declarat, hunc eum esse, qui *deinceps* sub aliis Principibus usque ad sua tempora cusus fuerat. Non alius ideo a nummo nostro Mattapanis est, quem a Petro Ziano, qui anno MCCV. Henrico Dandulo successit, ad ipsum Andream Dandulum, qui Dux renunciatus est anno MCCCXLVII. eodem metallo, modulo, ac typo, singulorum, qui fuerunt, Principum nomine signatum novimus. Tam longum nummi hujus ævum una causa fuit, aut ego fallor, cur Dandulus memoratu dignum duxerit, a quo primum percussus fuerit. Neque enim ipse, aliquid gloriæ gentili suo Henrico, Græci Imperii victori accessurum, arbitrari unquam potuit, quod primus nummulum hunc percuti jussit; sed gratum fore legentibus credidit, ejus originem noscere, quam ab antiquis temporibus repetendam sciebant, atque eo magis, quod nummo hoc nostri a priscis temporibus ad commercia cum exteris utebantur. Alii, Andrea Dandulo Duce, erant Venetis nummi. Ipsiusmet Andreæ minorem nummum exhibet tabella nostra, qui dimidium Mattapanis videri potest, forma tamen elegantiori, ac typo aliquantulum vario. Habet enim Ducem ad finistram S. Marci, præterea concinniori toga, & quæ suæ dignitatis est, indutum, ac coronatum pileo ducali, qui ab occipitio leviter assurgit. Sed Francisci Danduli, qui aliquot ante Andream annis patriæ Principatum consequutus fuit, alium nummulum vides, diverso omnino typo, tam elegantem, ut apparent & illis temporibus peritos artifices officinis monetariis apud nos nequaquam defuisse. Cur igitur adhuc cudi placebat rudem illum, & male figuratum superioris seculi nummum? Nempe illum fuisse credendum est, cujus probitas cognita, & minime ideo suspecta exteris esset, ut ceteri magis elegantes urbis, & Venetæ ditionis finibus continerentur, ille vero ad omnes gentes deferretur. Hinc factum est, ut plusculi alibi, quam Venetiis inveniantur. Quam hæc duo commendant, nullam autem præter nostram commendant, vetustas, & vulgatior ad res contrahendas usus, ea moneta est, cujus primum auctorem Dandulus in suis chronicis prodendum existimavit. Pergemus porro alias. Inter Mattapanes interim majorum tuorum nummos recense, eorumque originem refer ad Henricum Dandulum, qui Dux creatus est anno MCXCII. indubio alterius Danduli testimonio. Vale.

EIDEM

III.

De valore, ac nomine nummi Veneti.

PAuca de valore nummi nostri, ac de ejus nomine. Mattapanem sex & viginti parvulos valuisse, ait Dandulus. Si parvuli isti minutissimi illi nummi sunt, qui in desuetudinem abiere, ac duodecies ærea moneta, quam *solidum*, aut *marculum* ab impressa S. Marci figura appellamus, continebantur, *bigattini* dicti, longe abest Mattapanis ab eo, quod modo pretii illi est: si parvuli sunt ipsi nummi ærei, seu solidi nostrates, qui viceni in singulas libellas Venetas numerantur, nimium exsuperat pretium, quo nunc æstimatur. Solidi autem a nostris parvuli etiam appellantur, nihilque frequentius in mercatorum ore, quam *lire di piccoli*. Libella argentea videtur quidem in locum Mattapanis successisse, qui nunc tamen sedecim solidis penditur. Quem vero id torqueat? Aliud olim, aliud ad præsens argenti pretium, neque vacat utriusque rationem inire, neque res hæc brevi codicillo perstringenda.

Quid significet, ac unde deductum sit nomen *Mattapanis*, nemo quærat, nisi ineptire qui velit. Dictum etiam *Grossum*, testatur Dandulus. Grossus manet adhuc nomine tamen,

Digitized by Google

men, non re. Ducatus enim argenteus in quatuor & viginti groſſos, ſolidorum in ſingulos quinque, diſpertitur, qui nuſpiam tamen cuduntur. Poſtremis his temporibus terebatur manibus quædam parva moneta argentea, haud recens cuſa, ſolidorum quatuor, groſſi, ſeu groſſuli dicta, *Groſſetti*. Conflata modo eſt, & in aliam verſa. Nihilominus nomen uſurpatur, & multa venalia tot groſſis in libram indicantur. Hæc ſi pluribus perſequar, abuti tempore videbor. Vale.

EIDEM

IV.

Alium aliis temporibus ejuſdem monetæ typum fuiſſe.

QUo tempore excudi cœperit Mattapanis, traditum eſt ab hiſtoricis, quo idem tempore cudi deſierit, conjectura aſſequi conabimur. Inſpice numiſma Michaëlis Steni, qui Dux anno MCCCC. creatus eſt. Mattapanem facile agnoſcis, ſed quanto prioribus politiorem, & elegantiorem, quamque illi nummulo Andreæ Danduli, qui dimidium Mattapanis videtur, ſimilem! Dux facie eſt in alterum latus verſa, concinnius indutus, & coronatus. Lemma eſt quoque in averſæ partis ora, cum priores nummi omni epigraphe careant. Quis Ducum primus hac varietate Mattapanem cuderit, ignoro; neque enim ullum vidi unquam hujus generis, nummo Andreæ Danduli recentiorem, ante Michaëlem Stenum. Parum a vero abludemus tamen, ſi paulo poſt Danduli Principatum id credamus contigiſſe. Ex allato ejus nummulo ſatis apparet, jam tum fuiſſe, cui prior ille rudis Mattapanis ſorderet, & ab eo tempore cogitatum de nova Mattapanis forma, quæ priorum temporum inſcitiam minus oleret. Fortaſſe ideo a Joanne Gradonico cœpit nova hac forma nummus hic percuti. Eodem ipſiſſimo typo, quo Steni, & Franciſci Fuſcari nummum vidi apud V. Clar. Apoſtolum Zenum, qui pro ea, quæ mihi cum illo intercedit, amicitia, ut librorum e lectiſſima ſua bibliotheca copiam mihi nunquam non facit, ita e gaza nummaria ſua nihil non libens depromit. Quare a Nicolao Trono, qui tertius eſt a Franciſco Fuſcaro Dux, tandem puto Mattapanem cudi deſiiſſe. Hic enim novam monetam, ut narrant hiſtorici noſtri, argenteam cudi volùit, ſui ipſius imagine ad vivum impreſſa, quam ab ejus nomine *tronum* appellarunt. Hanc quoque mihi idem Zenus oſtendit, cum aliam minuſculam ex ære eadem tamen imagine ipſe tantummodo habeam. Apud finitimos vulgandam illam, curaſſe Venetos, credo, cum adhuc Vicetiæ, & Veronæ *tronus* libella noſtra appelletur. Hoc Principe extincto, lege ſtatim cautum eſt, ne alius nummos propria imagine ſignaret, ac forte cum commercia minus procederent ob novos, ideoque ſuſpectos nummos, reditum eſt ad Mattapanem. Nicolaus alter, Marcellus ſcilicet Troni ſucceſſor, Mattapanem excudi juſſit, majori modulo, quam prior, typoque aliquantulum diverſo, ſed quem ab eo eſſe, cognoſces. Dux ad ſiniſtram ante Sanctum Marcum in genua procumbit. Parte altera imagini Salvatoris nullæ litteræ adſcriptæ ſunt: lemma eſt in circulo. Additis characteribus IC. XC. imagini Servatoris noſtri, levi etiam aliqua in lemmate variatione numiſma eſt Andreæ Vendrameni. Uſque ad Andream Gritum, qui XVI. ſeculi anno tertio & viceſimo Dux creatus eſt, idem nulla varietate cuſus eſt nummus. Vide tabellam exhibitam. Poſt hunc Principem, qui forte in manus veniunt, novi omnino nummi ſunt, quorum alii ſimul cum Mattapane jam ſub aliis Principibus ante ipſum Gritum cudi cœperant, & ſub ipſo Grito cudebantur. Antiquitatum noſtrarum ſtudioſi, quem protuli nummum a Nicolao Marcello percuſſum, ideoque & ejuſdem typi alios ab aliis Principibus, eum eſſe, qui *marcellus* ab ejus nomine dictus eſt, per Monetam jurant, at *non ego credulus illis*. Quid *marcellus* fuerit, ignoro, ſed ad decem ſolidorum ſummam ſignificandam, aliquando uti adhuc hoc nomine vulgus, ſcio, cum a me prolatus Marcelli nummus quatuor & viginti ſolidorum ſummam conficiat. Ipſe & hunc, & qui deinceps uſque ad Andream Gritum huic haud multum abſimiles excuſi ſunt, Mattapanem vocatos, opinor. Paulo poſt Principis Griti obitum Joannes Caſa Nuncium Apoſtolicum Venetiis agebat. Conflatis jam omnibus illius typi nummis, ut arbitror, manebat tamen nomen, quod ille uſurpat, quo non alius certe nummus ſignificari poterat, quam ille, de quo loquimur. Habes igitur Mattapanis ortum, & interitum, cujus, ſi in re haud grandi grandibus verbis jocari me ſinis, tres epochas. Nimiſne aſſurgo? tres ætates facio: primam Mattapanis veteris, per ſeſquiſeculum ab Henrico Dandulo ad Andream cognominem: alteram novi, a Joanne Gradonico ad Chriſtophorum Maurum per annos centum: tertiam reſtituti, a Nico-

Digitized by Google

lao Marcello ad Andream Gritum per annos quinquaginta. Qui hæc riſerit, melora & certiora proferat. Vale.

EIDEM

V.

In Veneto nummo omnia Græcanice.

AGenunc Teupolæi, ſeu mavis Zianæi, ac univerſæ utramque Mattapanis partem adverſam, & averſam tandem conſideremus. Cum omnia tam rudia, tam male figurata vides, temporum inſcitiam, atque artium interitum incuſa. Ceterum omnia Græcanice. Quod Veneti imaginem D. Marci in nummis ſuis effinxere, ſumptum a Græcis, quibus mos fuit Sanctorum, quos præcipuo cultu venerabantur, imagines in nummis effingere, ut advertit Cangius diſſert. de infer. ævi numiſm. cap. XXXI. Quod Sanctus Marcus vexillum Duci porrigit, ad Græcorum pariter ſimilitudinem inventum, apparet, in quorum nummis crucem, labarum, narcethem aut tenent, aut ab altero accipiunt Imperatores, quemadmodum ab Archangelo Michaële accipit Iſaacius Angelus. Quod uterque S. Marcus, & Dux ſtances, quod uterque non luſca, ſed plena facie, quod Dux barbatus, & togatus, omnia ex Græcorum moribus, ut patet eorum nummos apud Cangium de Famil. Byzant. in ſpicienti. Aliqua deinde cultiori arte, & ex propriis moribus emendata: aliqua ad noſtra uſque tempora pervenere. Neque alicui mirum, quod ad dexteram Dux, Sanctus Marcus ad ſiniſtram locatur. Ex Latinæ etiam Eccleſiæ diſciplina locum ſiniſtrum digniori datum aliquando, novimus. Romæ in Baſilica San-paulina in aræ majoris abſide me vidiſſe memini, ex opere muſivo ad Servatoris noſtri dexteram S. Paulum, ad ſiniſtram S. Petrum. Apud Græcos etiam nemini dubium, quin id ferret conſuetudo. In eorum numiſmatis non ſolum filii ad patris dexteram, & uxores ad dexteram maritorum, ſed ad Cœlitum dexteram Imperatores. Sic Archangelus Michaël ſiniſter eſt Iſaacio Angelo in utroque ejus nummo, ſic Deipara ipſa ad ſiniſtram eſt Joanni Comneno, nec non Romano Diogeni in duplici nummo. Obſoleverat hæc conſuetudo ſeculo XIV ut apparet ex minori nummulo Andreæ Danduli. Servata nihilominus eſt, puto ad antiquitatis reverentiam, in melioris formæ Mattapane, qui deinde cuſus, ut ex Michaëlis Steni allato numiſmate. Sed tandem Nicolao Marcello Principe ad lævam Divi Patroni effingi cœpit imago Ducis. Illud vero quam Græcis uſitatum, quod in averſa nummi parte Reparatoris noſtri effigiem cudendam curarunt adſcriptis literis Græcis IC. XC. Quum primum omnium nummum hiſce adſcriptis literis affert Cangius, eſt Michaëlis Rhangabe, qui ſalutatus eſt Imperator anno DCCCXI. In nummis Zimiſcianis, ni fallor, cœpit etiam cudi Salvator in throno ſedens. Quod deinde noſtris nummis additum in circulo GLORIA TIBI SOLI, ex Græcis quoque deſumptum. Cangius inter numiſmata Leonis Iſauri unum refert, ubi Chriſtus in cathedra ſedens cum hac epigraphe TIBI SOLI REX REGNANTIUM, quamquam Leonis non eſſe credit, ac manifeſtum eſt ad inferiora tempora pertinere. Unde autem omnia ad Græcorum morem? ais. Cangius Diſſert. c. XXVIII. *Adeo*, inquit, *Veneti Byzantinis Auguſtis potiſſimum addicti, ut eorum non mores duntaxat, & habitus, ſed & monetarum typos amplexi ſint*. Ea aliquando inter Venetos, & Græcos Imperatores amicitia interceſſit, ut Venetorum Duces præcipuis aulæ Byzantinæ honoribus aucti ſæpe ſint, & uxores ſæpe ex Auguſta domo duxerint. Sed Henrici Danduli, ac Petri Ziani temporibus Veneti metuendi erant Græcis, quia ipſos, una cum Francis, jam Imperio expulerant. Græcanici igitur nummorum noſtrorum, qui tunc cuſi ſunt, typi una ratio eſt, quod artes apud nos aliæ nullæ, quam quæ huc Byzantio aliquando delatæ, hic jam conſenuerant. De his ſatis. Vale.

EIDEM

VI.

In nummi inſcriptione non alia, quam Divi patroni, & Ducis nomina.

INſcriptionem nummi haud intentatam præteribimus, ut ſi quem offendimus nodum, hunc expediamus. Cangius diſſertat. cap. XXVIII. eam ita legit: PETRUS ZIANI VENETI. S. M. Quod a dextera colli- D
gere cœpit characteres, id in nummis U
uſitatum. Verum non placet, cum ad X
ſiniſtram perveneris, deorſum ſurſum, infra ſupra percurrendum eſſe. Fortaſſe ordo hic melior P E T R U S Z I A N I S. M. VENETI. Sed omnino dicendum, D
ita colligendos characteres, ut a parte U
nobiliori incipias, quæ in nummis noſtris X

ſini-

Digitized by Google

finiſtra eſt. Ita optime circulum percurres. S M. VENETI. PETRUS ZIANI Ceterum ita legi'le Cangium puto, quod D *Veneti* jungendum cum *Ziani*, ac utrom- U que ſecundo caſu elatum credidit. Quam- X quam vox illa *Dux* admonere eum debebat, quo caſu eſſent illa *P. Ziani*, deceptus eo tamen eſt, quod illum fugit, noſtrorum pleroſque a primis temporibus familiarum cognominibus tamquam nominibus aptotis uſos nulla per caſus variatione. A Petro Ziano ad Andream Gritum ex nummis, qui apud me ſunt, unus eſt Nicolai Troni ex ære minimi moduli, ubi legitur *Nicolaus Tronus*, duo, primus, & ultimus, ubi cognomina tamquam caſibus deſtituta exeunt in I. *Petrus Ziani*, *Andreas Griti*, ceteri cognomen habent eodem modo indeclinabile, at in O definens, *Geno*, *Dandulo*, *Gradonico*, *Superantio*, *Delphino*, *Mocenico*, *Barbadico*, quibus accenſendos non dubito eos, quibus cognomen eſt ultima litera, aut etiam ſyllaba defectum, *Teupl. Sten. Marcell.* Quamvis enim haud ſit rara apud noſtros terminatio cognominis in I, longe frequentior eſt terminatio in O, ut clarum ex omnium temporum monumentis, ac potiſſimum nummis, inter quos accipe etiam novo typo, ac majori modulo nummum ejus, qui Grito ſucceſſit, ac ita inſcribitur: S. M. VENET. D PETRUS LANDO. Nec de nomini- U bus Ducum aliud reſtat conſiderandum, X niſi & hinc velimus monetariorum imperitiam reprehendere, quod nominis non ſemper integram primam ſyllabam expreſſere, unde in alterius Teupoli nummo LA. eſt *Laurentius*, in alterius Gradonici BA. eſt *Bartholomæus*. Sed accedamus jam ad ceterarum literarum interpretationem, nec pudeat ὕστερον πρότερον proceſſiſſe.

Compendiariis illis literis S. M. ſignificari *Sanctus Marcus*, cum de rebus Venetorum agitur, pronum eſt intelligere. In aliarum gentium nummis ſignificari iiſdem literis *Sancta Maria*, monet vir omnigenæ eruditionis, Archiepiſcopus Ancyranus, Juſtus Fontaninus in ſuo Commentario de Diſc. Vot. cap. XIV. ubi etiam ait, non niſi poſt ſeculum XI. inductum morem, ut *Sanctus* unica litera S ſcriberetur. Quod ſequitur VENETI. integrum eſſe, neque aliter legendum aliqui credunt. Credidit idem Cangius, qui appoſitum illud voluit Ducis nomini. At melius alii, qui illud a ceteris ſeparatim ſumentes, illo, ajunt, Venetorum commune ſignificari, ut primum nomen Divi patroni ſit, gentis & civitatis deinde, tum Ducis, ſapienterque factum, ut poſt patroni nomen ſtatim nomen gentis ſubjiceretur, quo intelligerent omnes, imperium non Ducis eſſe, ſed Venetorum. Satis acute. Verum ſi verbi illius ſententiam nos modo aſſequimur, cur nam eam non aſſequuti majores noſtri? Libertatis tenaciſſimi, & in Ducis jura numquam non intenti, hoc ſcilicet neglexiſſent aſſerti communi civium principatus teſtimonium? VENETI. igitur in veteribus nummis eſt VENETIcus, ex priſcorum temporum appellatione. Numquam enim *Veneti* in *Venetus* mutari paſſa eſſet reſpublica, ſi commune omnium civium imperium ſignificari per illud credidiſſet; *Veneticus* in *Venetus* mutari & juſſiſſe potuit. Clare autem, nullo elemento deſtitutum legitur S. MARCUS VENETUS in averſa parte nummuli argentei, Andreæ Griti nomine ſignati, alio a Mattapane typo, ac literis, quæ ejus temporis ſunt. Cum autem alio majoris moduli, ſeu Mattapane, ejuſdem Griti VENET. ſit *Veneti*: quemadmodum integre exprimitur in ejuſdem moduli, ac typi nummis Joannis Mocenici, & Auguſtini Barbadici, in eo vero, qui ultimus eſt in tabula noſtra, integre exprimatur VENETUS; mihi non videtur dubitandum, utrobique epitheton illud eſſe, quo Divum patronum, in ſui cultus, ac poſitæ in eo ſpei teſtimonium, donant noſtri, ideoque VENETI. *Veneticus* eſſe. In priſcis igitur nummis, & qui ad priſcos accedunt, VENETI. *Veneticus*, in recentioribus ſi occurrat VENET. *Venetus*, nihil hærendo in re ſatis certa, interpretaberis. Quod enim utrobique aliqui explicant *Venetiarum*, & in priſcis non levem habet difficultatem, & in recentioribus ſatis refellitur eorum inſcriptione, ubi integrum eſt VENETUS. Vale.

EIDEM

V. II.

De notis ſanctorum nominum Jeſu Chriſti.

IN tot epiſtolas diſpertita, longius, quam pro re, excurriſſe oratio forte viſa eſt. Ita quod ad levandam legendi faſtidium excogitavi, eo faſtidium ne auxerim, timeo. Finem propterea ſcribendi hac epiſtola faciam, poſtquam pauca de characteribus in parte averſa nummi imagini Redemptoris adſcriptis verba fecero. Cave primum, latinas literas illas IC. XC. eſſe, credas. Græcæ ſunt. I *iota*, X *chi*, C *ſigma* eſt, ex angulato Σ ita rotundatum.

Con-

Digitized by Google

Contigit hoc & Latinis literis, ut ex angulatis ob ſcribendi celeritatem rotundæ fierent, quod per earum aliquot eundo oſtendit Brencmannus Hiſt. Pandect. lib. II. c. 2. Nec quærendum, utrum Græci a Latinis, an Latini a Græcis id didicerint, cum utrique docti hoc fint a natura, laboris, ac temporis compendium ſuadente, ut viri docti obſervarunt. Apud Latinos, ut id obiter dicam, quæ prima has viciſſitudines paſſa eſt, fuit forte litera M pro nota numeri milliarii, quæ hebetatis omnino angulis abiit in ∞, quod non inter cifras Gothicas, ut videtur credere Brencmannus, ſed inter notas Romanorum recenſendum eſt, cum temporibus Auguſti uſurparetur teſte Panvinio, ac præterea Tabula Antii reperta, & *Antiatinæ* nomine deſignata, quam edidit libello ſingulari Joſeph Rocchus Vulpius, ac itidem t. 3. *Lat. Vet.* Verum ne longius ab inſtituto recedam, IC. XC. in nummis Imperatorum Græcorum paſſim videbis apud Cangium de Fam. Byzant. adſcripta imagini Redemptoris, ſicut Deiparæ imagini MP. ΘV. Hæc valent MHTHP ΘEOV; illa IHCOTC XPICTOC. Latine ſcribentibus eadem horum venerabilium nominum ſignificandorum nota ſæpius uſurpata, Græcis tamen literis latinas immiſcentes pro IC. XC. IS. XS. ſcripſere. Hoc primum accidiſſe potuit, quod, aliqui ſigmati ea figura ſcriptitarent, qua Jones utebantur. Cum autem hæc proxime ad Latinum S accedat, ut Brencmannus loco cit. obſervavit, factum eſt, ut imperiti librarii Græco ſigmati Latinum S ſubſtituerint. Non duabus, ſed tribus literis eadem nomina placuit etiam ſignificare, iiſque aut omnibus Græcis, ut primum de primo dicam, IHC, aut ultima Latina IHS, quod noſtris temporibus uſitatius. Varios etiam caſus hujus venerabilis nominis ultima litera Latina per eamdem notam efformarunt, nec ſolum invenies IHS, ſed etiam IHU pro Jeſu. Cum multi autem illud H pro Latina aſpiratione acciperent, tanta eſt nonnullorum inſcitia, factum eſt, ut etiam ſcriberent IhS, quod miror ne Græcos quidem puduiſſe facere. Extat inter alia apud Cangium numiſma Baſilii Macedonis ſic inſcriptum IhS XS REX REGNANTIUM.

Quod attinet ad nomen Chriſti, antiquiſſimis temporibus aut per ſolam Græcam X, aut per duas priores, utramque Græcam X & P ſignificabatur, quæ ſimul etiam implicabantur, ſecunda in medio prima intexta hoc modo $\overset{P}{X}$. Plura vide de his in *Flavii Clementis Tumulo Illuſtrato*. Frequentior tamen hujus nominis nota eſt prima, & ultima litera, aut utraque Græca XC, aut prior Græca altera Latina XS quæ variatur etiam pro caſus variatione, ut cum ſcribimus PAX XI. Uſitatius vero adhuc tribus literis ſacroſanctum hoc nomen ſignificare, duabus prioribus Græcis, ultima Latina, varia pro varietate caſus XPS XPI XPO XPM. At inſubidi aliqui P non *rho* Græcum, ſed Latinam literam exiſtimantes, ſcripſere etiam Xps Xpi. Scitius illi, qui ſecundam etiam literam a Latinis ſumentes XRS ſcribere maluerunt, quod aliquando & a Græcis factum, quemadmodum in nummo Romani Diogenis apud ſæpe laudatum Cangium IhS XRS REX REGNANTIUM. Hæc habui, Vir Ampliſſime, quæ ſumpta ex Majorum tuorum nummis occaſione de veteribus nummis Venetorum ad te ſcriberem. Subſecivas horas, quibus ob moleſtiſſimas muneris mei curas non niſi ſatis brevibus uti poſſum, libens, & gaudens ad id contuli, non eo ſolum, quod hujuſmodi ſtudiis mirifice delector, ſed ut gratum tibi facerem, qui aliqua de his a me audire optabas. Hoc ſi præſtiti, maximum ex levi labore fructum cœpiſſe, credam. Tu voluntatem meam boni conſule. Optime valere te, valere Laurentium patruum tuum, patronum meum benigniſſimum, juvandis omnibus natum, vehementer cupio. Vale.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google